2
1
125
BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE - FIRENZE
Biblioteca Nazionale Centrale - Firenze

Coar. Mor. 128 b

2. 1. 125
2 M: 1. 125

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SARDINIA
SACRA
SEU
DE EPISCOPIS SARDIS
HISTORIA

Nunc primò confecta

A

F. ANTONIO FELICE MATTHÆJO

MINORITA CONVENTUALI

Sacræ Theologiæ Magiſtro, Piſanique Cœnobii Alumno.

Præcedit ejuſdem Auctoris Diſſertatio

DE SARDINIA, ET ILLIUS ECCLESIIS.

ROMÆ MDCCLVIII.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL APUD MONTEM JORDANUM.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

2.1.125
~~Storia, 128~~ b

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

NEREO CORSINIO

S. R. E. PRINCIPI CARDINALI

F. ANTONIUS FELIX MATTHÆJUS
MINORITA CONVENTUALIS
FELICITATEM.

CUM primum ad omnium Eccleſiarum Inſulæ Sardiniæ hiſtoriam ſcribendam animum appuli, ut qui non eram neſcius fore, ut in multorum reprehenſionem incurrerem, quorum alii in ea ab homine, cujus ſama in obſcuro eſt, confecta cultiorem ſtylum, clariorem methodum, ac majo-

Digitized by Google

rem utilitatem optarent; alii prioribus difficiliores non paucos errores ſe deprehendiſſe gloriarentur; etſi alteros quamplurium exemplo, qui operam, & induſtriam ſuam in hoc ſtudiorum genere ſumma cum laude collocarunt; alteros monumentis, quorum auctoritate utor, revincere nullo negotio poſſem; nihilo tamen minus alicujus Viri præſidio, qui illi decorem afferret, ejus benevolos objurgatores placaret, invidos vituperatores repelleret, opus mihi eſſe probè intelligebam. Cogitans itaque cuinam, ut voti compos fierem, offerre hujuſmodi opus deberem, oculos, mentemque meam in Te, Cardinalis Amplissime, ſtatim defixi, quem ob ſanguinis ſplendorem, & auctoritatem id totum præſtare poſſe non ignorabam. Et ſane decus, ornamentumque maximum ex inclyto nomine tuo operi meo acceſſurum eſſe tum planè confido, cum animadverto, Te non modo dignitate, quæ in toto Orbe ſumma eſt, renidere, verum etiam ex Corsinia Gente originem trahere, cujus vetuſta nobilitas, plurium oppidorum avita poſſeſſio, Summorum Virorum longa ſeries, innumera domi, foriſque præclara geſta, eorumque honores, & præmia ampla, illuſtria, ac ſingularia habitant in omnium oculis, & in univerſæ Italiæ, immò verò etiam Europæ finibus adeò perſonant, ut verenda mihi non eſſet aut aſſentatoris, aut amplificatoris nota, ſi in iis celebrandis multis, ac magnificentiſſimis verbis detinere me vellem. Tacitus tamen ea prætereo, ſiquidem firmiſſima mihi ineſt opinio, quod referre ſingula inſtituens modeſtiam læderem tuam, inque illud ingrederer orationis genus, cujus initium perfacile quidem eſt, finis difficillimus.

limus . Nec timendum mihi erit , futurum eſſe quempiam , qui hiſtoriam hanc vellicet , ſuggilletque ; quis namque improbare audebit , quod tibi aut probatum , aut in patrocinium ſuſceptum viderit ? Enim verò Te ob raram prudentiam , pietatem , animi magnitudinem , rerum agendarum uſum , ac tot officia , quibus communi plauſu nunc fungeris , & functus antehac es , magna apud omnes auctoritate , atque æſtimatione pollere quiſque novit , nulluſque eſt , quem fugiat , tum poſteaquam ab immortali CLEMENTE hujus nominis XII. Patruo tuo olim Supremo Eccleſiæ Paſtore in Principum Cardinalium Senatum allectus fuiſti , tum a juventute , licet variis civilibus curis , Legationibus præſertim ad Gallos , Anglos , aliaſque Gentes , Coſmi III. Etruriæ Magni Ducis nomine gloriosiſſimè geſtis diſtentum , cum omnibus Muſis rationem habuiſſe Te , & litteratos Homines præcipuo ſemper amore , ac patrocinio foviſſe . Rationibus , quas , me , ut ad Te , Princeps Munificentissime , confugerem , & ſupplicarem , ut hoc opus , quale tandem cumque eſt , dicari tibi , conſecrarique tuo clariſſimo nomini paterere , impuliſſe , paullò ante narravi : alia etiam , eaque graviſſima accedit , quò nempe in clientelam recipi poſſe illius Viri , quem natura , ſed maximè virtus omni genere honorum , & amplitudinum cumularunt . In magnam ſanè ſpem venio fore , ut id conſequar non quidem ratione doni , quod ut tibi offerre mihi liceret , benigna fortuna dedit ; nam quam ſit hoc exiguum , planè ſentio , ſed illius amoris ratione , quo litterarum ſtudioſos adeò proſequeris , ut eorum

rum

rum Patronus, ac Mœcenas ab omnibus optimo jure prædiceris. Reliquum nunc eſt, ut in Sacræ Purpuræ oſculo Tibi meipſum penitus dedam; Deumque immortalem deprecer, quo Te ſummo Eccleſiæ ſuæ bono diutiſſimè ſervet, ac in dies magis fortunet.

Digitized by Google

IN SARDINIAM SACRAM
PRÆFATIO.

INter ſingulas Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ partes, quæ de Epiſcopatibus agit, præ cæteris digna eſt, ut in illa ſcribenda litteratorum Hominum certet induſtria. Ex hac enim planè dignoſcuntur Epiſcopi, qui Eccleſias inſtituerunt, eas inſtitutas gubernarunt, ac Religio, quam eædem ſartam tectam omni tempore habuerunt; unde Majores noſtri graviſſimum ad refellendos Hæreticos argumentum deſumere conſueverunt (1). Atque id in cauſſa fuiſſe reor, quamobrem in Eccleſiarum Hiſtoria conficienda operam, & induſtriam ſuam poſuere non modò Euſebius cum quibuſdam aliis antiquis, verum etiam plures alii, qui noſtra, Patrumque noſtrorum ætate floruerunt doctiſſimi, atque eruditiſſimi Viri: Ughellius nempe in adornanda Eccleſiarum Italiæ, & Corſicæ Hiſtoria, Pyrrus Siciliæ, Claudius Roberti primo, deinde Sammarthani Fratres, tum Patres Maurini Galliæ, Floretius Hiſpaniæ, Bucelinus, & poſt eum Hanſitius Germaniæ, Buzelinus Gallo-Flandriæ, Sanderus Flandriæ item, & Brabantiæ, Scottius Helvetiæ, Nunninghius Weſtphaliæ, Heuſſenius Belgii Fæderati, Wartonus Angliæ, Farlatus Illyrici, Cornelius Cretæ, Tertius Syriæ, Lequienius totius Orientis, quem Hiſtoriam etiam Epiſcopalium Africæ Sedium adumbraſſe intelligo, ſed hæc, quantum ſcio, publicam lucem nondum vidit.

Nec defuere etiam Hiſtorici magni, atque nobiles, qui ea ducti ratione, maximæ eſſe Chriſtianæ Religioni utilitati Epiſcopatuum origines, & antiquitates perſpectas habere, ad Eccleſiarum particularium incunabula diligentius, quam alii fecerint, examinanda animum induxerunt, ut Papebrochius Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, Renaudotius, atque Sollerius Alexandrinæ, Boſchius Antiochenæ, Cuperus Conſtantinopolitanæ, Saxius Mediolanenſis, de Rubeis Aquilejenſis, Tartarotti Tridentinæ, Zacharias Piſtorienſis, & Cremonenſis, Gradonigus Brixienſis, Sartius Eugubinæ, Georgius Setinæ, Fontaninus Hortanæ, Marronus Ticinenſis, & quamplurium aliarum Eccleſiarum in Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, Polonia, cæteriſque Provinciis alii ſexcenti, quos, ne plus æquo ſim longus, ſilentio prætereo.

Verum etſi tam utile viſum ſemper eſt eruditis Hominibus Epiſcopatuum primordia in aperto collocare, nihilo tamen minus nullum hucuſque Sardiniæ Inſula nacta erat Scriptorem, qui de tempore, quo finem errandi fecit, de ipſius Eccleſiarum origine, ac numero, deque Antiſtitibus, qui eas gubernarunt, accuratè, quoad hujus Hiſtoriæ obſcuritas patitur, & eruditè ſermonem inſtituerit. Immortalis Ughellius quidem variis in locis, maximè verò in recenſendis

Piſa-

(1) Sanctus Irenæus, ut Hæreticorum dogmata falſa eſſe demonſtret, ad Eccleſiarum traditionem confugit; ſcribit enim *lib. 1. adverſus Hæreſes cap. 10. pag. 49. edit. Venet. 1734.* „ & neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ, Ec„ cleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt; ne„ que hæ, quæ in Hiberis ſunt; nequæ hæ, quæ „ in Celtis; neque hæ, quæ in Oriente; neque „ hæ, quæ in Ægypto; neque hæ, quæ in Li„ bya; neque hæ, quæ in medio Mundi conſti„ tutæ. „ Vide item Tertullianum *de Præſcript. Hæretic. cap. 32. pag. 213. edit. Venet. 1744.*

Piſanis Pontificibus (1)*, quos Sardiniæ omnis jam inde ab antiquis temporibus Primates, ac Legatos eſſe, explorata res eſt, ſpartam hanc ornare ſpoponderat, atque ad fidem datam liberandam non pauca monumenta, ut ſibi ipſe teſtis eſt, collegerat: ubi autem ad opus manum admovit, ſentiens, quæ in eo erat, difficultatem; metuenſque plures in ſeſe excitare turbas, animum a re præconcepta avocavit, ſatiuſque eſſe duxit, multis laboribus parata apud Ordinis ſui Sodales deliteſcere* (2).

Poſt Ughellii mortem, quæ Romæ anno MDCLXX. decimoquarto calendas Junias accidit, Sardiniæ Hiſtoriam Sacram, & Profanam illuſtrare in mentem venerat Joanni Paullo Nurræ Calaritano patriæ Eccleſiæ Canonico, eamque in lucem ſe editurum ſpem fecerat clariſſimo Magliabechio (3) *Magnorum Etruriæ Ducum Bibliothecario: ſed quamvis ab Eruditis, qui memoratum Nurram Virum* capable d'executer habilement ce grand deſſein (4) *habebant, avidè expectaretur, tamen Florentiæ anno MDCCXI. extremum diem morte ille confecit, antequam promiſſa ſervaret* (5).

Cum hæc omnia non ignorarem, viderenque, hujuſmodi Hiſtoriam perquam utilem, ne quid gravius dicam, futuram eſſe, propterea quod & ab aliis neglectam, & de Sardiniæ rebus Eccleſiaſticis a Baronio, Pagio, Spondano, Raynaldo, Bzovio, Natali Alexandro, Graveſonio, Manſio, Samuele Baſnagio, Pfaffio, Spanhemio, cæteriſque hujus generis ſive Noſtris, ſive Proteſtantibus Scriptoribus, aut nullo modo, aut per tranſennam tantum, ut ajunt, agi, ſentiebam; animo verſare cœpi eamdem perſcribere: quam quidem arduam provinciam eo alacrius aggreſſus ſum, quia ad hanc non ſolum hortabantur me Viri ſumma doctrina, ac eruditione præditi, quibus acquieſcendum eſſe cenſebam; ſed præſertim quia multum me proficere poſſe ſperabam ex monumentis ab Ughellio, & Nurra congeſtis; hinc quamplurium Bibliothecarum Indices a Montfauconio, & aliis clariſſimis Viris publicatos diligenter evolvi; non paucos litteratos Homines Romæ per meipſum, Florentiæ per Amicum conſului, ut ea deprehenderem, ſed irritus ſemper fuit omnis conatus: etenim neque invenire, neque etiam, utrum adhuc ſuperſint, intelligere valui.

Ubi cognovi iis deſtitui ſubſidiis, quibus fore, ut maxima ex parte improbus labor remitteretur, mihi deſpondebam; ſi tum ſuſcepti operis pœnituiſſe me dicam, non mentiar. Timebam enim, ne ob illorum defectum, quod mihi conſtitueram, vix incipere, perficere nullo modo poſſem. Verum poſtea animadvertens, tot diplomata a Wadingo, Troncio, Monſignano, Martenio, atque Durandio, Muratorio, Gattola, Grandio, Montfauconio, Bremondio, Mittarellio, & Coſtadonio

(1) *T. III. Ital. Sacræ num. 52. col. 443. edit. Venet.*

(2) Confer eruditiſſimos Bollandianos *in notis ad Ephemerides Græco-Moſcas menſe Februario die 5. pag. 13. Exſt. initio T. I. Menſis Maii, & in nova Veneta Collect. monum. a Joann. Bollando &c. elucubratorum T. I. pag. 293.* Lege etiam *Fragment. Epiſt. Ferdinandi Ughellii ad Papebrochium data, eſtque T. III. Aprilis ad diem 23. pag. 212. edit. Antuerp.*

(3) In Actis Eruditorum Lipſienſium *anno* 1709. *menſe Aprili pag.* 189. hæc leguntur „ Interim lucubrationes de Sardinia cum profana, „ tum Sacra avidè exſpectamus, quarum ſpem „ Noſter (*Joan. Paullus Nurra*) facit cl. Magliabechio. „

(4) Acta Trevoltiana *anno* 1710. *menſe Februario pag.* 358.

(5) Conſule Diarium Litteratorum Italiæ *T. VI. art. 14. pag. 503.*

donio in lucem emiſſa non parum ad rem meam conducere, revocavi animum, mœſtumque timorem dimiſi.

Quam ob rem ad Sardiniam Sacram reverſus ſum, ac nihil neglexi, quod aliquando mihi uſui futurum eſſe perſpicerem. Quid utilitatis, & commodi præſens opus Reipublicæ Litterariæ allaturum ſit, meum non eſt judicare. Illud tamen, quin modeſtiæ fines tranſgrediar, mihi aſſerere poſſe videor, me omnium primum non pauca inveſtigaſſe; pleraque ab aliis obiter ſolum attacta, & infeliciter expoſita prolixius, atque accuratius tractaſſe; & quandoque etiam in aperto poſuiſſe. Sed non propterea tantum mihi ſumo, ut ejuſmodi opus omnibus omninò numeris abſolutum in lucem prodire arbitrer: ecquis enim tam audax eſt, ut hoc non dicam aſſerat, ſed ne cogitet quidem? eſt namque hiſtoricum argumentum, quemadmodum Auſonius ſcribit, campus, in quo alius alio plura invenire poteſt, nemo omnia; unde quamcunque Hiſtoriam perfectè conficere, præcipuè Eccleſiarum difficillimum eſſe omnes probè norunt, qui in hoc ſtudiorum genere vel pauliſper verſati ſunt.

Atque ad id probandum inſignem Florentinam Eccleſiam maximo argumento mihi eſſe cenſeo. De hujus primordiis, & Pontificum numero ſæculo decimo ſexto ad finem properante tractavit ex inſtituto Illuſtriſſimus Borghinius, tum Ughellius, deinde Migliorius, tandem Cerrachinius egerunt. Porrò hi non adeò felices, omnique ex parte beati fuerunt, ut omne tulerint punctum; immò quædam contra, ac veritas poſtulat, aſſeruerunt; nonnullos ignorarunt Epiſcopos; & quorum meminerunt, non ſemper felici exitu digeſſerunt ætatem, prout oſtendit Joannes Lamius (1), cujus nomen ob ſingularem eruditionem, maximarum rerum ſcientiam, totque præclara opera in communem uſum data, nec Jovis ira .... nec edax abolere vetuſtas ullo unquam tempore poterunt.

Itaque ſi laudati Viri de Florentinis Epiſcopis ſermonem inſtituentes multa peccarunt, quamquam Tabularia diligenter pervolvendi copiam habuerint, & ex patriarum rerum Scriptoribus multum proficere quiverint, quid Deus immortalis Sardiniæ omnis Eccleſiarum Hiſtoriam mihi illuſtranti ſperandum erit, qui nec earum Tabularia luſtrare valui, nec ullum nactus ſum indigenam Scriptorem, qui claram facem mihi præferret? tum inter Sardos, qui de rebus ſuis Commentarios in lucem quoquomodo emiſerint, pauci ſint, qui copiosè, & accuratè nemo; nam Joannes Franciſcus Fara Saſſaritanus Hiſtoria de Rebus Sardois anno MDLXXX. Calari edita, itemque Lugduni Batavorum anno MDCCXXV. Volumine xv. Theſauri Antiquitatum, & Hiſtoriarum Italiæ Petri Burmanni; Franciſcus Vicus pariter Saſſaritanus, cujus Hiſtoria General de la Isla, y Reyno de Sardeña anno MDCXXXIX. publicis litteris conſignata eſt Barchinone; Ambroſius Machinus Archiepiſcopus Calaritanus, a quo anno MDCXL. Calari publici juris facta eſt Defenſio Primatus Archiepiſcopi Calaritani, & ejuſdem Primitialis Eccleſiæ; Salvator Vitalis Calaritanus Ordinis FF. Minorum, ut ajunt, de Obſervantia, qui Annales Sardiniæ anno MDCXLV. Mediolani publicavit, denuò in laudato Theſauri Burmanniani Volumine cuſos; aut pauca de rebus Eccleſiaſticis ſcripſerunt,

(1) In Supplemento ad nuncia litteraria Florentin. anni 1747. Diffuſius, atque eruditius idipſum oſtendet Vir ille clariſſimus in opere inſcripto Monumenta Sanctæ Eccleſiæ Florentinæ, cujus ſpecimen exhibet in nunciis citatis anni 1757. menſ. Novemb. num. 47.

aut ſi plura, ex his utpotè minus caſtigatis nihil admodum ſubſidii ſam conſequutus. Ac Fara quidem nonnullos Turritanos Epiſcopos numerat, quorum pleroſque amnes ad Eccleſias hujus nominis aat Africæ, aut Brutii, non vero Sardiniæ, prout ille opinatur, ſpectare demonſtro. Vicus, ut prætercam brevem nimis eſſe, ita ut ſæpè ſæpius præter Antiſtitam nomina nihil ultra habeat, qua de re Petrus Joſephus Cantelius (1) *meritò conqueritur; non de omnibas Sardiniæ Epiſcopatibus Hiſtoriam ſcribit, ſed de iis tantum, qui aat ſuperſtites ſunt, aut ſi aboliti Turritano Pontifici olim obtemperabant; in illis verò, quorum primordia inquirit, & Præſulum ſeriem texit, perplura peccat: in primis quod ad chronologiam attinet, quæ uti ſentiunt Viri in hac arte verſatiſſimi Petavius* (2), *& Pagius noſter* (3), *eſtque communi ſuffragio ab eruditis recepta opinio, maxima Hiſtoriæ pars eſt, ita imperitum ſe prodis, ut ferè ſemper in errore verſetur: quod verò ad Hiſtoriam ſpectat, non pluris faciendus eſt: de rebus antiquis loquens Patriæ ſtudio ductus plus tribuit quibuſdam monumentis, quam poſtulet ratio ipſa, traditioneſque vulgi ſine ullo delecta, ut fieri plerumque a minus cautis ſolet, conſectatur: de rebus poſt initium ſæculi decimiquarti ſermonem inſtituens non adeò mendax, mea quidem ſententia, eſt; tametſi in eo reprehendendus, quod ferè nunquam monumenta laadet, ex quibus illas hauſerit, ſed plagiariorum more proprio ingenio ſingulas narrare videatur; unde licet Vici auctoritate non rarò utor, & multos Antiſtites, qui poſt ſæculi decimiquarti initium vixerunt, nec aliundè mihi innoteſcunt, ex eo recenſeo; tamen in rebus, qae longè ante noſtram ætatem acciderant, fidenter aſſero, memorutum Scriptorem, plus tenebrarum, quam lucis menti meæ offudiſſe. Machinus id habet cum Vico commune, quod non ſecus, ac ille valdè mendax ſit; id verò præcipuum, quod de ſolis Calaritanis Archiepiſcopis agat, deque iis non ex inſtitato, ſed obiter tantum, ut ajunt. Vitalis præter breviſſimum Calaritanorum Antiſtitum indicem, nonnulla perſcribit de Eccleſiis, quæ adhuc in Sardinia ſunt, ac de Epiſcopatibus, qui olim tribus Metropolitis ſuffragabantur. In his tradendis, quippe citatas Auctor ea complectitur pauciſſimis, non in multis erratis ipſius opinio eſt; ſed in numerandis Calaritanis Præſulibus maximè priorum æræ valgaris ſæculorum adeò turpiter hallacinatur, ut vel ex hoc uno probe ſentiam, æquiſſimam eſſe judicium a Luca Wadingo* (4) *de eo latum, quod nempe Vir fuit* facilioris calami, quam maturioris judicii. Multa ſcripſit, & tumultuariè congeſſit, in quibus cordati quique meliorem methodum, limatiorem doctrinam, & ſtylum planiorem deſiderent. *Archiepiſcoporum Arborenſium catalogum a Franciſco Manſones, & Nin anno MDCCXII. publicatum poſt* (5) *Synodi Diœceſanæ ab ſe anno MDCCVIII. celebratæ Conſtitutiones; quem cum Eccleſiæ Arborenſis hiſtoria*

typis

(1) *Hiſtoria Civili, & Eccleſ. Metropolitan. Urbium Par. 3. Diſſertat. 6. cap. 6. n. 5. pag. 485. edit. Pariſ. 1684.*

(2) *T. II. de Doctrina Temp. in Proleg. ad poſter. partem edit. Veron. 1735.*

(3) *Præfat. ad Crit. in Annal. Baronii n. 3. edit. Pariſ. 1689.* Adeundi etiam Uſſerius apud Samuelem Baſnagium, & Baſnagius ipſe *in Præfat. ad Annal. Politico-Eccleſiaſticos*.

(4) *In Syllabo Script. Ord. Min. pag. 313.* Salvatorem Vitalem nihili facit Jacobus Perizonius; nam *Præfat. in Theſaurum Antiquitatum, & Hiſtoriarum Italiæ* collectum a Joanne Georgio Grævio *pag. 3. ed. Lugduni Batav. 1704.*, inquit, quod hujuſmodi *Auctore ineptiorem, ſtultioremque ipſe ſol nunquam vidit*.

(5) Hujuſmodi catalogus eſt *pag. 657. & ſequens. operis cit.*

Digitized by Google

typis commiſſa eſt, me legere nequiviſſe vehementer dolebam, tandem aliquando e Sardinia Romam ſumma cujuſdam Amici humanitate advectum accepi. Quamquam hic dicatur ſacardo de las Synodos antiguas, libros, y noticias tenidas de conſagrationes de Igleſias, y Altares, tamen nec quod ad Antiſtitum numerum, nec quod ad eorum ætatem ſpectat, multum accuratus eſt, prout hunc cum illo a me perſcripto conferenti patebit. Dionyſii Bonfantii opus, cui titulus Breve Tratado del Primado de Sardeña, y Corcega en favor de los Arcobiſpos de Caller in Urbe Calaritana anno MDCXXXVII. vulgatum, quod præfatæ Urbis Pontificum Hiſtoriam complectitur, numquam vidi. Quare nihil eſt, quod de illo judicium meum interponam. Verum Bonfantii fidem Viris eruditis ſuſpectam haberi aſſerit clariſſimus Bollandianus Henſchenius (1). De Joanne Arca, Dima Serpi, Jacobo Pinto, & Martino Carilo nullum verbum faciam; ſiquidem cum ex ipſorum operum inſcriptione intelligerem, nihil ferè tradere, quod ad rem, quam mihi conſtitueram ſpectaret, aut primoribus tantum, aut ne primoribus quidem labiis eoſdem attigi.

Quid in hoc opere diſputatum a me ſit, exponendum nunc mihi eſſe video, quo univerſa ejuſdem methodus Lectorum oculis ſtatim ſubjiciatur. Operis initio Diſſertationem de Sardinia, & illius Eccleſiis poſui, quam etiam in quinque capita tribui. In horum primo pauca conſumpſi verba in veſtigandis ſitu, nomine, amplitudine, ac fertilitate Sardiniæ. Quandoquidem ad unius alicujus Provinciæ res Eccleſiaſticas perfectè dignoſcendas multum ſcire intereſt, quinam viri Principes eam gubernarunt; hinc capite ſecundo de varia Sardiniæ fortuna, quod ad civile regimen attinet a Chriſto nato ad hæc uſque tempora, pertractavi: ad calcem verò ejuſdem capitis diſtinctis paragraphis catalogum confeci Judicum, ſeu Regum, qui Provincias quatuor, in quas Inſula omnis a Piſanis diviſa fuit, rexerunt a tempore, quo Saraceni illam deſerere coacti ſunt, uſque donec Aragoniæ Rex expulſis Piſanis ipſis eadem potitus eſt: idque præſtiti, ut aliquam lucem acciperet Sardiniæ Hiſtoria medii Ævi, quæ adeo obſcura eſt, ut ignotum ſibi eſſe candidè faſſus ſit Vir ille ſummus, ac illius ætatis Hiſtoriæ longe peritiſſimus Ludovicus Antonius Muratorius (2) Italiæ noſtræ decus, ornamentumque. Capite tertio in eam ingreſſus ſum diſputationem, quæ eſt de ortu, & progreſſu Religionis noſtræ in Inſula memorata. De Eccleſiarum numero, quæ variis temporibus in ea fuerunt, diſſerui capite quarto. Tandem capite quinto inveſtigavi, quot Metropolitani ante ſæculum decimum in Sardinia fuerunt: quando Calaritanus Metropolita inſtitutus eſt, & quas in Eccleſias ſuam juriſdictionem exercuit.

Deſcendi poſtea ad Epiſcopatuum Hiſtoriam, ac Metropoles eo ordine, quo in veteribus Notitiis Eccleſiaſticis numerantur, Eccleſias vero eiſdem ſuffraganteſ methodo alphabetica recenſui: primum, ut in more, inſtitutoque poſitum eſſe apud omnes ſentio, ad examen vocavi uniuſcujuſque Urbis, in qua Sedes poſitæ erant, ſitum, & primordia, deinde Sedis originem, tandem illarum Antiſtitum catalogum conſcripſi. Sparſim quoque de nonnullis Conciliis, deque loco, ac tempore,

quo

(1) In Actis SS. T. III. Maii ad diem 14. pag. 272. Quantum ex litteris Viri eruditi Gavini Coſſa Sanna Calari hoc anno 1758. octavo Idus Aprilis ad me ſcriptis intelligo, ne ipſi quidem Sardi Bonfantii auctoritati multum fidunt.

(2) T. II. Antiquitatum Italiæ Medii Ævi Diſſertat. 32. col. 1062.

quo in Sardinia celebrata ſunt, mentionem feci: quæ omnia alicui uſui eſſe poterunt Antonio Zattæ Typographo Veneto noviſſimam, ac omnium locupletiſſimam Sacrorum Conciliorum editionem brevi ſuſcepturo, cujus conſpectum jam inde a Kalendis Maii præſentis anni cum Litteratis communicavit. De Eccleſiis Civitatenſi, & Galtellinenſi, quas non ſemper Inſulæ Metropolitanis obtemperaſſe explorata res eſt, agendum eſſe duxi poſt aliarum Eccleſiarum Hiſtoriam; quemadmodum etiam de quibuſdam Epiſcopis, quos Apoſtolicum munus in Sardinia geſſiſſe veteres Scriptores tradunt, ſed quænam fuerit Cathedra, quam conſcenderunt, hucuſque ignoratur. Sequuntur pauca quædam antiqua monumenta a me notis illuſtrata, quæ non modo ad Eccleſiarum Sardiniæ Hiſtoriam mihi profuerunt, ſed etiam illorum auxilio Ughellius, Patres Maurini, & Lequienius in nonnullis ſupplentur, & emendantur. Ad calcem tandem Operis ea poſui, quæ aut delenda, aut addenda, aut corrigenda mihi eſſe ſum opinatus.

Quandoque non contentus varias litteras, aliaque diplomata jam publicata indicaſſe duntaxat, eadem exſcripſi. Porrò id præſtiti, tum quod videbam, Sardiniæ Hiſtoriam magnam ex ipſis lucem eſſe accepturam, tum quod ſperabam, Lectori, cui eos libros, in quibus illa continentur, manu verſandi copia non eſt, gratum me eſſe facturum; novi enim cum ſanctiſſimo, ac doctiſſimo Hipponenſi Epiſcopo Auguſtino (1) quemadmodum ſoleat contriſtare Lectorem, quum ab eo libro, quem gerit in manibus, quando in aliquem nodum quæſtionis inciderit, in alium mittitur, ubi ejus ſolutionem requirat, quem forte non habet.

Non me latet, Cajo Plinio (2) monente, Hominis eſſe benè inſtituti, ingenuique pudoris pleni fateri, per quos ipſe profecerit; ſed non idcirco Lectores mei vitio mihi vertere optimo jure poterunt, quod in præſentia eos non referam Auctores, quos in hac Hiſtoria conficienda adhibui: ſatius namque duxi, cum ratio poſtulavit, eoſdem infra paginam collocare, ut facilius quiſque dignoſcat, quorum auxiliis adjutus, quorumque auctoritate, & fide uſus ſim in rebus narrandis, quæ longè ante noſtram ætatem evenerunt. Ubi nullum Scriptorem deſignatum invenient, ſciant, me aut ex Franciſco Vico, aut ſi poſt annum MDCXL. facta ſunt, ex Actis Conſiſtorialibus illa hauſiſſe.

Duo tamen ſunt Viri celeberrimi, quos utpote præ cæteris de hoc meo opere præclarè meritos ſine culpa omittere nequeo; alter eſt Sbaralea noſter, qui non pauca ab ſe olim animadverſa ad rem meam ſpectantia candidè, ac libenter, ut aſſolet, mihi indicavit; alter Joannes Benedictus Mittarellius Venetus inclytæ Congregationis Camaldulenſis Abbas eruditiſſimus, cui plurium diplomatum hucuſque in Tabulariis deliteſcentium, ex quibus Sardiniæ Hiſtoriam valde illuſtrare mihi licuit, notitiam acceptam refero.

Multa in hoc opere continentur, quæ dubio procul aliquibus Sardis ſummoperè diſplicebunt. Hi namque non ſecus perinde ac Itali, aliæque Gentes quaſdam de ſuarum Eccleſiarum origine, & antiquitate hiſtoriolas paucis ab hinc ſæculis (3)

a Vi-

(1) Lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas c.1. T. IX. op. col.63. ed. Maur. Antuerp. 1700.

(2) T. I. Hiſt. Natural. lib.1. pag. 4. edit. Pariſ. 1741.

(3) Immortalis Scipio Maffejus de Eccleſiarum Italicarum origine, & antiquitate falſas hiſtoriolas decimo ſexto ut plurimum ſæculo concinnatas fuiſſe opinatur. V. Ejus Epiſt. ad Nicolaum Coletum col. 676. Exſt. T. V. Italiæ Sacræ, & in fine Hiſtoriæ Theolog. pag. 241. Tridenti edita an. 1742.

a Viris bonis quidem, ſed non ſatis eruditis excogitatas pugnaciſſimè defendunt. Quantum perſenſi, ut ego vel eaſdem probaſſem, vel ſaltem ab illis apertè rejiciendis abſtinuiſſem, optaſſent. Certè ſi ego is eſſem, qui juxta Poetæ (1) *morem.*

cum primum animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negocii credidit ſolum dari,
Populo, ut placerent, quas feciſſet fabulas:

eorum voluntati obſequi potuiſſem. Verum Hiſtoriam conficiens, cujus, uti Cicero (2) *tradit, prima lex eſt*, ne quid falſi dicere andeat, deinde ne quid verè non audeat, *utrum eas ceu veras tutari debuerim, videant, qui partium ſtudio non tenentur, benèque ſapiunt. Neque in iis connivendum mihi erat, cum Hiſtorici munus ſit res eo prorſus modo, quo acciderunt, litteris conſignare*: Talis igitur, *inquit Lucianus Samoſatenſis*, mihi ſit Hiſtoricus, metus expers, incorruptus, liber, fiduciæ, & veritatis amicus, qui, Comici verbo ficum vocet ficum, ſcapham vocet ſcapham: non odio, neque amicitia tribuens cuiquam quidquam, non parcens, non miſericordia, aut pudore, vel verecundia tactus, judex æquus, benevolus omnibus eatenus, ne quid alteri juſto plus tribuat, hoſpes in libris ſuis, nullius Civitatis, ſuis ipſe legibus vivens, Regem agnoſcens nullum, non quid hic, vel ille exiſtimaturus ſit, reputans, ſed dicens quid factum ſit (3).

Hæc ſi mente præjudiciis exuta perpendant Sardi, vel ipſos rationem meam haud improbaturos eſſe planè confido. Interea lectores mirum in modum obteſtor, ut minus accuratè, minuſque diligenter a me ſcripta indicare velint; quod non modò mihi non diſplicebit, ſed inſuper in cauſſa erit, quamobrem maximo me ſibi beneficio illi conſtringant; ſiquidem memoria teneo, æternumque tenebo Sanctiſſimi Præſulis, ac Martyris Cypriani verba ad Quintum Fratrem (4): non vincimur, quando offeruntur nobis meliora, ſed inſtruimur.

Dabam Romæ in Ædibus Sanctorum duodecim Apoſtolorum decimo Calendas menſis Sextilis Anno MDCCLVIII.

PROTESTATIO AUCTORIS.

NON ſemel de quibuſdam Viris loquens, illis aut *Beati*, aut *Sancti* appellationes tribui, virtutes, & miracula adjudicavi, tametſi Sedes Apoſtolica nihil de his uſque adhuc definierit. Porrò non ut Romani Pontificis Urbani hujus nominis VIII. decretis obſiſterem id præſtiti, ſed ut me ad varios Scriptores conformarem, quibus tamen non niſi humanam fidem adhibendam eſſe fateor.

Fr.

(1) Terent. *in Prologo Andriæ v. 1.*

(2) *De Oratore lib. 2. cap. 15. pag. 93. T. I. op. edit. Amſtel.* 1724.

(3) *In lib.* quomodo Hiſtoria conſcribenda ſit *pag. 54. ſeq. T. II. op. ed. Amſtel.* 1743.

(4) *Epiſt. 71. pag. 127. edit. Pariſ.* 1726.

FR. JOANNES BAPTISTA CONSTANTIUS
DE ASSISIO,
ARTIUM, ET SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOR;

Ac totius Ordinis Minorum Sancti FRANCISCI Conventualium
poſt Seraphicum Patriarcham

MINISTER GENERALIS LXXXVI.

CUM opus, cui titulus *Sardinia Sacra, ſeu de Epiſcopis Sardis Hiſtoria nunc primò confecta a Fr. Antonio Felice Matthejo Sacræ Theologiæ Magiſtro Piſani Cœnobii alumno* duo Ordinis noſtri Theologi juſſu noſtro recognoverint, & in lucem edi poſſe teſtati fuerint: facultatem impertimur, ut Typis tradatur, ſi iis, ad quos attinet, ita videbitur. In quorum &c.

Dat. Cunei in Sancta Viſitatione die 23. Auguſti 1757.

F. Joan. Baptiſta Conſtantius
Miniſter Generalis.

Fr. Joſeph Antonius Ubertalli de Bugella Secretarius,
& Aſſiſtens Ordinis, ac Provincialis Angliæ.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinopolitanus Viceſgerens.

APPROBATIONES.

JUſſus a Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali Ordinis noſtri legi opus, cui præfigitur titulus *Sardinia Sacra &c.* Teſtor proinde jure, meritoque in argumento tam obſcuro, ac perdifficili me adnotaſſe Auctoris judicium ad leges criticas exactum, multiplicem, appoſitamque eruditionem, iccircò non mediocre lumen per novum hoc opus rebus Eccleſiaſticis allatum iri enimvero ajo; præſertim cum nihil offenderim, quod moribus obſit, aut Religioni. Ita cenſeo

Fr. Carolus Antonius Tedeſchi Ordinis Minorum Conventual. Ex-Provincialis Marchiæ, & Sac. Rituum Congreg. Conſultor.

LIbrum, cui titulus *Sardinia Sacra &c.* a P. Magiſtro Antonio Felice Matthæjo noſtri Ordinis Minorum S. Franciſci Conventualium confectum juſſu Reverendiſſimi Patris Miniſtri Generalis ſedulò perluſtravi, nihilque offendi, quod Religioni, quod moribus contradicat: quin ſummam Auctoris in monumentis conquirendis diligentiam, ac laborem, in exponendis verò ſolertiam, ac judicium, ingenuum denique in toto opere veritatis ſtudium admiratus ſum: adeo ut non parum utilitatis, ac ſolatii Eccleſiaſticæ hiſtoriæ amatoribus multa præterea, quam ſuppetit, eruditione allaturum confidam. E re igitur publica, noſtraque cenſerem in lucem emitti.
Datum Romæ in SS. XII. Apoſtolorum Cœnobio Calendis Auguſti 1757.

Fr. Joſeph Antonius Martinelli de Caſali Majore Ex-Aſſiſtens Ordinis, & Sacræ Indicis Congregationis Conſultor.

HUnc ego Librum *de Epiſcopis Sardis* cum ex mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici attentè perlegerim, nihil in eo offendi, quod reprehenſione, immò verò quod non laude dignum videatur; cum Auctor rerum Eccleſiaſticarum valdè peritus rebus illuſtrandis quæ planè obſcuræ erant, ſummam adhibuerit diligentiam; quamobrem eum in lucem emittendum eſſe judico.
Datum ex Ædibus S. Petri ad Vincula 25. Auguſti 1757.

D. Michael Angelus Monſacrati Abbas, & Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM

Diſſertationis de Sardinia, & illius Eccleſiis.

CAP. I.

De Sardinia Situ, Nomine, Amplitudine, ac Fertilitate. Pag. 1.

CAP. II.

De Varia Sardiniæ fortuna a Chriſto nato uſque ad hoc tempus. 3.

§. I.

De Judicibus, ſeu Regibus Calaritanis. 24.

§. II.

De Judicibus, ſeu Regibus Arborenſibus. 30.

§. III.

De Judicibus, ſeu Regibus Turritanis. 33.

§. IV.

De Judicibus, ſeu Regibus Gallurienſibus. 36.

CAP. III.

De tempore, quo Sardi cœperunt colere Inſtituta noſtra. A quo ea edocti ſunt. De ſtatu Religionis Chriſtianæ uſque ad ſæculum præſens. 40.

CAP. IV.

De numero Eccleſiarum Sardiniæ. 51.

CAP. V.

Quot fuerunt in Sardinia Metropolitæ ante decimum Eccleſiæ ſeculum. Quando hæc Inſula Metropolitam primò adepta eſt. In quas Eccleſias juriſdictionem ille exercebat. 59.

INDEX

OMNIUM ECCLESIARUM.

Metropolis	*Calaritana.*	Pag. 66.		*Caſtrenſis.*	207.
Eccl. Suffrag.	*Dolienſis.*	110.		*Giraclenſis.*	213.
	Foro-Trajanenſis.	114.		*Ochanenſis.*	219.
	Phauſanienſis.	117.		*Plovacenſis.*	224.
	Suellenſis.	120.		*Sorrenſis.*	228.
	Sulcitana.	125.	Metropolis	*Arborenſis, ſeu Oriſtanenſis.*	233.
Metropolis	*Turritana, ſeu Saſſuritana.*	138.	Eccl. Suffrag.	*Sanctæ Juſtæ.*	253.
Eccl. Suffrag.	*Algurienſis.*	171.		*Terralbenſis.*	259.
	Ampurienſis, ſeu Caſtri Aragonenſis.	180.		*Uſellenſis, ſeu Alenſis.*	263.
	Boſanenſis.	192.	Eccl. immed. ſubjectæ	*Civitatenſis.*	275.
				Gultellinenſis.	280.

CAP. UNICUM.

De quibuſdam Epiſcopis Sardis, quorum ignorantur Sedes. 286.

Appendix Monumentorum. 289.

Addenda, delenda, & mutanda. 320.

DISSER-

DISSERTATIO

DE SARDINIA, EJUSQUE ECCLESIIS

CAP. I.

De Sardiniæ Situ, Nomine, Amplitudine, ac Fertilitate.

I. SArdinia ingens Italiæ Inſula ſita eſt in Mari Mediterraneo, quam *ab ortu Solis Mare Thyrrhenum, a meridie Africum, ab occaſu Sardoum ambit, a Septemtrione Mare, quod ipſam, & Corſicam interluit* (1). Si Italiæ ratio habeatur, ſpectat inter meridiem, & occidentem Solem. Diſtat a Corſica minus octo millibus, ab Africa millia paſſuum CC. (2): ab Inſula Baleari minori ſere CD. millia, a Sicilia CLXX. millia paſſuum. Omnis eſt diviſa in partes duas fluminibus Cedro, ac Thyrſo, quarum una italicè *Capo di Logodori*, altera *Capo di Cagliari* nuncupatur (3).

II. Antiquitus præfatam Inſulam, ſi qua Plinio (4) fides, *Timæus Sandaliotin appellavit ab effigie Soleæ: Myrſilus Ichnuſam a ſimilitudine veſtigii*. Tandem cum in eam regionem navigaſſent Afri, quorum Dux Sardus appellabatur, ab ipſo Sardiniæ vocabulum ſortita ea eſt (5). Alia nomina,

A quæ

(1) Blaeu *Par. 3. Theatri Orbis Terr. Fol.* 109. *Ed. Amſterd.* 1645.

(2) Plinius *T.* 1. *Hiſt. Nat. l.* 3. *cap.* 7. *pag.* 160. *Edit. Harduiniana*.

(3) Baudrandius Lex. Geograph. ad ver. *Sardin. & Sicilia*.

(4) *Loc. & opp. indic. pag.* 161.

(5) Confer Pauſaniam in *Phocicis cap.* 17. com quo concinunt Silius, Solinus, Martianus Capella, Iſidorus, & alii, quos, ne ſim longus, omitto. Samuel Bochartos *Par.* 2. *Geograph. Sacra l.* 1. *cap.* 31. contendit, Sardiniam vocatam fuiſſe a verbo hebraico *Saad*, quod greſſum, & veſtigium ſignificat. Sed Bochartum hullocinari demonſtrat Philipp. a Turre *in Monum. vet. Antii Par.* 1. *col.* 5., *& ſeq. T. VIII. Par.* 4. *Theſauri Antiq.*, *& Hiſt. Italiæ Burmanni*. Sardus verò fuit Herculis Libyci Filius, qoi a Sardis maxima Religione cultus, Pater-

quæ illi tribuit P. Salvator Vitalis (1), cum incorruptis rerum geſtarum monumentis tradita non ſint, nec affirmare, nec refellere in animo eſt.

III. De ejus longitudine, & circuitu non parva lis agitur inter Geographos, cum Veteres, tum Recentiores. Plinius (2) e Veteribus ſcribit, Sardiniam ab oriente patere *CLXXXVIII. millia paſſuum : ab occidente CLXX. millia : a meridie LXXVII. millia : a ſeptemtrione CXXV. : circuitu DLXV. millia*. Baudrandius (3) e Modernis ſentit, illius latitudinem eſſe CLXX. millia paſſuum, longitudinem majorem LXXX., circuitum CCCCL. Non deſunt item, qui minus verè Sardiniam Siciliæ fermè exæquant (4), ac etiam, qui per ſummum errorem iſti præferant (5).

IV. Plura olim in hac Inſula fuere oppida. Decem ex inſignioribus conſtruxit Jolaus Herculis Fratris Filius, teſte Vindingio (6). Horum *notitia unis fermè debemus Ptolomeo, & Antonini Itinerario, nam cæteri de iis parum adnotarunt; quamquam Ptolemæus heic quoque, ſicut fere in reliquis orbis partibus mirus turbator eſt; & Itinerarium a Librariis miſerè vitiatum deprehenditur* (7). Celebriora decem, & octo fuiſſe tradit Plinius (8), licet ipſe ſex tantummodo, & unam Coloniam nominat. His vero temporibus ſeptem exſtant, videlicet Calaris, Saſſaris, Oriſtanum, Boſa, Algherium, Caſtrum Aragonenſe, & Eccleſia, de quibus omnibus nonnulla perſequemur, ubi de eorundem Epiſcopalibus ſedibus nobis res erit.

V. Quamquam Sardum Cœlum *propter noxias exhalationes Salinarum, ac paludum ..... quibus accedit montium verſus Liguriam, & Corſicam altitudo* (9) inſalubre ſit, tamen Sardinia fertilis appellatur a Mela (10), a Silio (11) verò dicitur *propenſæ Cereris nutrita favore*. Quam ob rem inter loca, quæ Romanæ Urbi, & Italiæ frumentum ſuppeditabant, hanc quoque Inſulam numerat Tullius (12) dicens,, nondum
,, tempeſtivo ad navigandum mari Si-
,, ciliam adiit (Pompejus), Africam
,, exploravit; inde Sardiniam cum
,, claſſe venit, atque hæc tria frumen-
,, taria ſubſidia Reipublicæ firmiſſimis
,, præſidiis, claſſibuſque munivit.

CAP.

Paterque vocatus eſt. Ejus effigiem numiſmatibus quoque conſecrarunt, ut videri poteſt apud Gronovium *T. 1. Antiq. Græc.*, Philippum a Turre *loco cit.*, ac Holſtenium *in Annotat. ad Ortelium pag.* 168.

(1) *Appar. ad Annal; Sard. col.* 18. *T. XV. Theſ. Antiq. Italiæ Burman.*

(2) *Loco paulo ante cit.*

(3) *Opp. indic. v. Sard.*

(4) Diodorus *Bibliotb. Hiſt. lib.* 5., quem ſequuntur Cluverius *col.* 3. *Sard, Antiq. T. XV. Theſ. Burmanni*, & Cellarius *T.* 1. *Geograph. Novæ pag.* 107. Ed. *Jennenſis*.

(5) Conſule Cluv. *ibidem*.

(6) *Hellen col.* 540. *T. XI. Theſ. Antiq. Græc. Jacobi Gronovii*.

(7) Cluverius *ibid. col.* 14.

(8) *Loco nuper indic.*

(9) Joan. Baptiſta Donius *de Reſtituenda Salub. Agri Romani col.* 956. *T.* 1. *Novi Theſ. Antiq. Roman. congeſti ab Alb. Henrico de Sallengre*. Donius id de Sardin. indiſcriminatim aſſerit, quod ſane nobis minus probatur; nam Cœlum Calaritanum, Saſſaritanum, & Algherenſe ſalubre eſſe comperta res eſt.

(10) *De ſitu Orbis l.* 2. *cap.* 7.

(11) *De Bello Punico l.* 12. *v.* 375.

(12) *Orat. pro L. Manilia c.* 12. *T.* 1. *Opp. pag.* 425. *Ed. Amſtel.* 1724.

CAP. II.

De varia Sardiniæ fortuna a Chriſto nato uſque ad hoc tempus.

I. De varia Sardiniæ fortuna quod ad civile regimen attinet, verba facturi, curioſius haud inveſtigabimus ſub quarum Nationum Imperium ea ante Salvatoris noſtri ortum fuerit; cum quia hac de re, ut Livium, cæteroſque Veteres mittamus, egerunt breviter quidem, ſed accuratè Sigonius, atque Panvinius (1), tum maxime quia id nil penitus confert ad Hiſtoriæ Eccleſiarum Sardiniæ cognitionem, cujus præſertim gratia hæc traduntur. Ergo totam hujus generis orationem noſtram ſpatio temporis, quod inter Chriſti Nativitatem, & hos dies interceſſit, definiemus.

II. Jam primum omnium ſatis conſtat, Sardiniam Chriſtianæ Religionis exordio ſub Romanorum, quibus ante annos plures a Carthaginenſibus tradita erat (2) poteſtate fuiſſe, ſimulque cum Corſica unam conflaſſe Provinciam, quæ ſolo Sardiniæ vocabulo appellabatur. Id præ cæteris tradit cl. Sigonius dicens (3) *Corſica verò ..., ut inquit Rufus, Sardiniæ attributa eſt, atque ex duabus una Provincia facta, atque uno Sardiniæ nomine inſignita*. At ineunte ſecundo Eccleſiæ ſæculo, vel paullo ante diſiunctæ fuere, poſteaque ſeparatim adminiſtratæ; nam in deſcriptione Provinciarum Imperii Occidentalis facta ſub Hadriano Imperatore (4) duæ dicuntur Provinciæ, quarum utraque ſuum peculiarem habebat Præſidem; in deſcriptione autem a Conſtantino Magno (5) facta vocantur Provinciæ *Præſidiales ſub Vicario Urbis*.

III. Romano Imperio Sardinia obtemperavit uſque ad ſæculum quintum. Tunc enim cum Vandali, qui in omnem fermè Europam irruperant, in Africam penetraſſent anno CCCCXXIX. juxta accuratiſſimos Pagii Calculos (6), illamque brevi tempore ſibi ſubjeciſſent, Inſulas quoque proximas, in quarum numero fuere Sardinia, & Corſica, debellarunt; Unde anno CCCC. LXXXIV. Sardinia Septima erat Provinciarum Vandalorum Africani Regni dominantis in laudatam Inſulam, Corſicam, Balearides Inſulas Majoricam, & Minoricam, atque Ebuſum; ſicuti clare liquet ex Victore Vitenſi (7).

IV. Nondum integro exacto ſæculo ab dira captivitate Vandalis ex Africa a Juſtiniano Imperatore pulſis, Sardinia quoque recuperata eſt ope Beliſarii, Procopio (8) teſte: attamen ita Juſtiniano præcipiente ſemper Africæ Præfecto ſubjecta fuit; ut manifeſtum eſt non ſolum ex Sancto Gregorio Ma-

A 2 gno

(1) Sigon. *de Antiq. Jure Provinc. l. 1. c. 4. T. 11. col.* 1538. *Theſ. Antiq. Rom. Grævii*. Panvin. *de Imper. Romano c. 14. col. 394. T. 1. ejuſdem Theſ.* Confer item Paullum Manutium *de Leg. Rom. c. 10. col. 1055. T. 11. ejuſdem Theſ.* nec non A. G. *de Armis Roman. l. 2. cap. 8. col 1290. T. 1. Suppl. Theſ. Antiq. Græcarum, & Rom. Joan. Poleni*. Faram, Vitalem, Vicum utpote totius Artis Criticea imperitos, miſſos facio.

(2) Confer Sigon. *loco indic.* Martinus Schoochius *Achaja Vet. cap. 5. T. V. Theſ. Gronovii* Sigonio hac in re obſtat, aſſerens ab Romanis armorum vi captam fuiſſe.

(3) *Loco indic.*

(4) Exſt apud Panvin. *Opp. cit. col.* 447.

(5) Apud eundem *col.* 451.

(6) *Critica Bar. ad an. 428. n. 2., & ſeq. pag. 277. T. VII. Ed. Manſianæ*.

(7) *Lib. 4. de Perſeq. Vandal. T. VIII. Biblioth. Vet. PP. pag. 689. Ed. Lug. 1677.*

(8) *De Bello Vandal. l. 2. cap. 5. pag. 246. T. 1. Ed. Pariſ. 1662.*

gno (1) verum etiam apertius ex laudati Imperatoris Codice, in quo legitur (2) Africanam Præfecturam Septem complexam fuiſſe Provincias, quarum poſtrema erat Sardinia. Anno DLI., ut auctor eſt Pagius (3) a Gothis debellata fuit, ſed triennio poſt, eodem viro Doctiſſimo (4) judice, extincto in Italia Gothorum Regno, Sardinia una cum Italia, Sicilia, & Corſica *Imperio Orientali attributa eſt, atque in victoriæ præmium Narſi ab Imperatore adminiſtranda conceſſa* (5). Nec tamen ob id Sardinia a moleſtiis libera evaſit. Nam poſt Gothos eam divexare cæperunt *Barbaricini* (6), qui licet primum, ut litteris conſignavit Procopius (7) *vicinos Calari montes occuparunt*, tamen poſtea, *cum ad tria millia excreviſſent*, *renuntiarunt latebris, ita ut apertè circumjectis in locis omnibus graſſarentur*; qua de re Sardi queſti ſunt per Vitalem Defenſorem ſuum apud Phocam Imperatorem anno DCIII., prout eſt in Sancti Gregorii Magni Epiſtolis (8).

V. Orientis Imperatoribus ſubjecta fuit Sardinia plures annos, nimirum uſque, donec Saraceni, qui anno DCLXIX. Siciliam occupaverant (9), illam quoque ante ſæculi octavi medietatem invaſerunt (10) Tempus, quo Sara-

(1) *V. ejus Epiſt. 61. l. 1. T. 11. Opp. col. 550. Ed. Maur. Pariſ.*

(2) *L. 1. Tex. 30. de Offic. Præf. Africæ Leg. 1. col. 152. 153. Ed. Lugd. 1549.*

(3) *Crit. par. ad an. 551. n. 16. T. X. cit. Ed.*

(4) *Ad ann. 554. n. 6., & ſeq.*

(5) Panvin. *de Imper. Rom. c. 28. col. 469. T. 1. Theſ. Gravii.*

(6) Barbaricini juxta id quod tradunt viri Doctiſſ. Baronius *T. VIII. An. ad an. 594. pag. 70. Ed. Rom.* 1599. Mabillon. *T. 1. Annal. Bened. l. 8. ad an. 594. n. 46. pag. 232. Ed. Pariſ.* 1703. Dufreſnius *T. 1. Gloſſ. mediæ, & inf. Lat.*, populi erant Africæ, qui Vandalorum infeſtatione preſſi una cum propriis Filiis, & uxoribus in Sardiniam commigraverant. De illorum fide alibi diſſeram. Regio, in qua habitabant dicta eſt lingua Sarda *los Barbarias* teſte Laſor *T. 1. Univerſi Terr. Orbis*. Cl. Dufreſne opinatur ab eorum incolatu quandam Sardiniæ partem *Barbatiam* appellatam fuiſſe a Dante Aldigerio *can. 23. Purgat.* ubi Foreſium de propria muliere Florentiæ ab ſe relicta ita loquentem facit: *Che la Barbagia di Sardigna aſſai nelle femine ſue è più pudica: che la Barbagia dov' io laſciai.*

De Barbaricinis et eorum Duce Hospitone Vide S. Gregorii Lib. IV. Epist. 23. 24. 25.

(7) *De Bello Vandal. l. 2. c. 13. pag. 268. cit. Ed.*

(8) Confer *Epiſt. 1. l. 14. col. 1260. Ed. Maurin.*

(9) Adeundi Baronius *ad illum annum n. 4.* ac Pagius *ad eundem an. n. 5. Ed. Manſ. T. XI.*, adverſus Auctorem Vitar. PP. diſputantes, qui *Tom. IV. pag. 74. Ed. Salvioni*, ait, ſerius occupatam Siciliam fuiſſe.

(10) Nullum hactenus magni nominis Scriptorem videre potui, qui tempus, quo Saraceni primò in Sardiniam impetum fecerunt, ex inſtituto inveſtigaverit. Equidem Magnus Baronius *ad an. 725. n. 1.* circa hunc an. invaſionem accidiſſe narrat, ſed cum Inuitatus Epiſt. Petri Oldradi Archiep. Mediolan. ad Carolum Magnum, quam Pagius noſter *ad an. 725. n. 2.*, & ex eo Zannotti *T. 11. delle memorie del Regno de Longobardi in Italia l. 5. pag. 714.* Spuriam pluribus probant, dubiam fatetur Joannes Stiltingus *ad diem 28. Auguſti T. VI. pag. 368. Ed. Antuerp.* Viro doctiſſimo non ſtatim fidem eſſe adhibendam, nemo eſt, qui non videat, probeque ſentiat; etſi forſitan verum dicat. Hujus irruptionis epocha lucem non modicam accipit ab epocha translationis Corporis S. Auguſt. e Civit. Calarit. in Sard. primò Genuam, mox Ticinum; nam ejuſmodi translat. factam fuiſſe, Sardinia a Saracenis debellata omnes ad unum ſentiunt. Ergo ſupervacuum non erit in medium afferre quid de Auguſtinianæ translat. tempore poſterorum memoriæ mandarunt nobiliſſimi Critici. Baronius *loco indic.* putat translationem laudatam factam fuiſſe an. 725., Baronium ſequitur Cointius *T. VII. Annal. Eccleſ. Fran. ad an. 815. n. 10.* Mabillon. *T. III. Act. SS. O. B. pag. 414. Ed. Ven. 1734.*, anno

721.,

Digitized by Google

Saraceni ibidem morati ſunt definiri haud poteſt. Doctiſſimus Carolus le Cointe (1) cum ſcribat Calipham, qui ſedem ſuam in Hiſpania circa medium ſæculum octavum fixerat, Balearides Inſulas, Sardiniam, & Corſicam ſuis adjungere ditionibus tentaſſe, indicat jam tum illos pulſos fuiſſe. Et ſanè Saracenos in Hiſpania exſtantes Sardiniæ inhiaſſe exploratæ fidei eſt. Tradit enim Eginhardus (2), eos anno DCCCVII. ex Hiſpania egreſſos Sardiniam adpuliſſe, & cum Sardis prælio commiſſo tria illorum millia obiiſſe. Idem periculum fecerunt Saraceni anno quoque DCCCXIII., ſed conatu omnino irrito non ſecus, ac antea; nam victi ſunt, & fugati a Sardis, ac inſuper centum naves amiſerunt (3).

VI. Licet autem pugnas adeo claras, memorabileſque adverſus Barbaros pugnaverint Sardi, nihiloſecius ſub eorum poteſtatem iterum redigi non mediocriter pertimeſcebant. Quam ob rem, ne tale infortunium, quod maximum eſſe experti fuerant, ſibi accideret, anno DCCCXV. Legatos ſuos e Civitate Calaritana ad Ludovicum Pium Romanorum Imperatorem, & Galliæ Regem miſere, cui ſponte ſe dediderunt (4) Ludovicus vero biennio poſt Paſchali I. Romano Pontifici Sardiniam dono conceſſit, quemadmodum liquet ex illius Conſtitutione, quam etſi nonnulli Critici in apocryphis numerant, multo plures genuinam eſſe propugnant (5).

VII. Nihil tamen Sardis profuit ad im-

782., quod ut ipſe ſcribit, ſentit etiam Sigonius; At *in Itin. Ital. pag.* 219. *Ed. Pariſ.* 1724. priorem deſervit opinionem, & anno 718. illigavit, eum quo concinit ejus Diſcipul. Ruinartus *Hiſt. Perſeq. Vandal. cap.* 9, *n.* 17. *Tomo II. Annal. Bened. lib.* 8. *pag.* 66. Mabillonius ad primam rediit ſententiam. Montfauconius *Diario Ital. cap.* 2. *pag.* 26. anno 781. Fontaninus *in Diſquiſit. de Corpore S. Auguſt. c.* 10., Luitprandum Longobard. Regem præfatam translat. feciſſe an. 722., certum eſſe affirmat. Tametſi Critici, quorum opiniones retulimus: omninò inter ſe non conveniant; tamen, ſi Tillemont. *T. XIII. H. E. nota* 95. *ad S. Auguſt. pag.* 1048. *Ed. Ven.* 1732. ac Pagius *ad an.* 725. *n.* 8. exiſtimantes, tempus translat. Auguſt. ignorari, excipiantur, omnes communi ſuffragio aſſerunt poſt annum 712., & ante annum 726 factam fuiſſe. Itaque, inter præfatos annos, Sardiniam quoque a Saracenis occupatam eſſe dicendum eſt.

(1) *Loco antea indic.*

(2) *Annal. Franc. ad eum an. apud And. Duchesnium T. II. Script. Hiſt. Franc. pag.* 254. *Ed. Pariſ.* 1636. Conſulito etiam Annal. Loiſelianos *ibidem pag.* 44. Vitam Caroli Magni *ibidem pag.* 83. & Annalis. Saxonem *ad eum an. col.* 169. apud Ecchardum *T. I. Corporis Hiſt. Medii ævi*.

(3) Legendi Eginhardus *pag.* 258., Annal. *cit. pag.* 49., itemque Leo III. *Epiſt. IV. quæ eſt ad Carol. M.* apud Labb. *Tom. VII. col.* 1115.

(4) Adiſis Le-Coint *ad eum an. n.* 10.

(5) Omnium mortalium primus, qui Ludovici Pii Conſtitut. negavit fuit Carolus Molinæus Calviniſta. Hunc ſequuti ſunt Joan. Wolphius, Mornæus, Goldaſtus, Conringius, Walchius, & alii hujus farinæ viri. Ex Catholicis eamdem ſuppoſititiam dixere Pagius *ad an.* 817. *n.* 7. Muratorius *T. IV. Par.* 2. *degl' Annali d' Italia ad an.* 817. *pag.* 298. *Ed. Rom.* 1752.; Roncaglia *in Not. ad Nat. Alexand. T. VI. Hiſt. Eccleſ. pag.* 362. *Ed.* 1734. De eadem ambigerunt Balutius *in Capitul. Franc. T. II. pag.* 1104 Mabillon. *de Re Diplom. l.* 2. *cap.* 3. §. 13. *pag.* 76. *Ed.* 1681. Dubitavit quoque, ne dicam eam omnino reſpuiſſe, Graveſonius *T. III. Hiſt. Eccl. ſæc.* 9. *Colloq.* 8. *pag.* 199. *Ed. Rom.* 1717. Qui præfatam Conſtit. ceu genuinam tutantur, ſunt, præter antiquos non paucos, quos laudat Erudítiſſ. Bianchi *T. VI. l.* 4. *c.* 3. §. 2. *pag.* 260. *della Poteſtà, e della Politia della Chieſa*: Baronius *ad an.* 817.

Digitized by Google

impediendum, quominus Saraceni novam everſionem, depopulationem, ac vaſtitatem patrio ſolo inferrent, defendi, & protegi a potentiſſimis Principibus; reipſa enim Barbari magis, magiſque animoſi facti, ac etiam potentes, quod in dies eorum dilataretur Imperium, denuo ſibi captivam reddiderunt Sardiniam. Quando id acciderit pauci ſunt, qui diſputant, & his aqua hæret, ut ajunt, adeo res obſcura, & involuta eſt.

VIII. Eruditiſſimus Muratorius (1) poſteaquam palam fecit, ſibi ad manus non fuiſſe ullam Sardiniæ Hiſtoriam ab aliquo erudito Scriptore confectam, quæ res illius Inſulæ antiquas ex tabulis, ac monumentis vetuſtis traderet, fatetur ſe in ea verſari ſententia, ut judicet, ſaltem ante annum DCCCLXV. Saracenorum diro jugo ſubjectam non extaſſe. Ita vero opinatur, primo quia ex H. E. conſtat, anno DCCCLII. Sardos non paucos patrio relicto ſolo, alio, ac præſertim Urbem æternam commigraſſe, ad quam, inquit Vir Clariſſimus, falſum eſt acceſſiſſe, a Barbaris Inſulam armis, flammiſque devaſtantibus compulſos, prout litteris conſignavit Doctiſſimus Annalium Parens; deinde, quia ex eadem Hiſtoria Eccleſiaſtica perſpicuum eſt anno DCCCLXV. plures fuiſſe in Sardinia Orthodoxos, & Judices, qui eos regebant, quos utpote peſſimam degentes vitam Nicolaus I. P. M. excomunicatione perculſit, ut alio loco diſſeram prolixius.

IX. Rationibus Muratorii tres alias idem prima facie ſuadentes addam ab ipſomet haud animadverſas: harum una eſt Leonem IV. Papam poſt annum DCCCXXXXVII. ad Sardiniæ Judices litteras miſiſſe, in quibus de rebus agebat Eccleſiaſticis, ſi qua Ivoni Carnotenſi fides (2); altera, anno circiter DCCCLXXXXI. hac in Inſula adhuc quatuor extitiſſe Epiſcopales Sedes, Calaritanam nimirum, Sulcienſem, Turritanam & Phauſanienſem (3); tertia vero, ſæculo nono vertente Sardiniam unam fuiſſe ex Provinciis Imperii Orientalis Urbi Romæ ſubjectis (4). Utrum hæc momenta probent præfatam Inſulam

817. *n.* 11. Cappellus; *de Succeſſ. Epiſ. Rom. c.* 10. *T. XVI. Biblioth. Pontif. Rocaberti pag.* 112. Binius apud Labbe. *T. VII. Act. Concil. col.* 1515. Petrus de Marca *de Concordia Sacerdotii, & Imperii l.* 3. *c.* 10. *n.* 6. *pag.* 108. *Ed.* 1742. Spondanus *T. II. epit. Annal. Bar. ad an.* 817. *n.* 2. Cointius *Opp. ulias indic. ad an.* 817. *n.* 6., *& ſeqq.* Sigonius *de Regno Italiæ l.* 4. *ad an.* 817. *T. II. Opp. col.* 267., *& ſeq. Ed. Med.* 1732. Natal. Alexand. *T. VI. Hiſt. E. ſæc.* 9. 10. *c.* 7. *art.* 7. Gretſerus *Apol. pro C. Baron. T. VI. Opp. c.* 8. *pag.* 194. *Ed. Ratisb.* Bianchi laud. *ibid.* Fontaninus *l.* 1. *de Antiq. Hortæ pag.* 37. *cap.* 4. *T. VIII. Par.* 3. *Theſ. Antiq.*, *& Hiſt. Italiæ Burmanni*; idem Fontaninus, vel quiſquis eſt auctor libri, cui titulus: *Difeſa ſeconda del Dominio della S. Sede ſopra Comacchio pag.* 73., *& ſeq. Ed. Rom.* 1711., Sandinius, Catalanus, Schuuarz, & alii Sexcenti.

(1) *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ.* 32. *col.* 1076.

(2) Apud Eminent. Baron. *T. XVIII. ad an.* 1099. *n.* 5.

(3) Confer Notitiam Epiſcopatuum Græcorum. Hanc plures ediderunt cum primis Doctiſſ. Goar *ad calcem Georgii Codini de Off. Magnæ Eccleſ. & Aulæ Conſtant. pag.* 353. *in Hiſt. Byzant. Ed. Pariſ.* ac Beveregius *ex Biblioth. Bodlejana T. II. in Annot. ad Pandectas canon. SS. Apoſtol. pag.* 143. *Ed.* 1672. Collectam fuiſſe non an. 881., vel 883. ut putavit Schelſtratius *T. II. Antiq. Eccleſ. in Append. ad opus Geograph. pag.* 688., ſed anno 891. probat Beveregius *pag.* 148. in cujus ſententiam concedit quoque vir celeberrimus Pagius *ad an.* 893. *n.* 1.

(4) Id patet ex notitia Provinciarum Imperii Orient. apud Schelſtratium *opp. indic. pag.* 719. Ab ipſo Eruditiſſ. viro hæc Hierocli Grammatico adjudicatur, qui ut idem Schelſt. demonſtrat

ſulam per ea tempora a Saracenorum ſervitute liberam, nec ſatis ſcio, nec ſi ſcirem dicere auſim. Id unum in præſentia obiter ego animadverto, ex eo quod memoria proditum ſit in aliqua Provincia Epiſcopos, & alios, qui inſtituta noſtra coluerint, exſtaſſe, per errorem inferri, ſi nulla alia accedat ratio, Saracenos eidem non fuiſſe dominatos (1). Verum, licet, quo anno Sardinienſis captivitas acciderit, ignoretur; certum tamen, exploratumque eſt, infelicem Inſulam expugnatam ſecundo a Barbaris fuiſſe, ut paullo ante dixi, quos circa initium ſæculi undecimi in fugam conſternarunt Piſani, & Genuenſes.

X. Joannes XVIII. ægro ferens animo Sardiniam jam inde a pluribus annis ſub gravi Saracenorum jugo detentam fuiſſe, annum circiter MIV. Diploma emiſit, quo eandem Inſulam cuicumque a Maurorum immanitate liberaſſet, concedebat. Pontificis munificentia allecti Piſani Sardiniam ingenti claſſe invaſerunt, ſed vix incepto bello, cum Lucenſes in eorum irruiſſent oppida, Sardiniæ oppugnandæ animum averterunt, Piſaſque reverſi ſunt infectis rebus. Paucis exactis annis iterum Sardiniam verſus dederunt vela Piſani, ac brevi tempore Barbarorum copiis disjectis, tota regione, quam petierant, potiti ſunt. Mugetus eorum Dux animo ob id non defecit, ſed majoribus comparatis viribus ſecundo Inſulam ſub propriam redegit poteſtatem, quam ob rem graviter commotus illius temporis Romanus Pontifex Epiſcopum Oſtienſem Legatum ſuum Piſas miſit, quo una cum Lamberto illius Urbis Antiſtite Cives hortaretur ad prælium in Mugetum denuo committendum; atque, ut alacrius illud ſuſciperent, Sardiniæ dominatum Pontificio Diplomate ipſis ratum fecit; quocirca Piſani ingenti deſiderio incenſi immanis Regis audaciam frangendi, Naves conſcendunt, & ad Sardiniam appulſi bellantur, nec ipſis præter votum res accidit (2). At vero Muſactus magis, magiſque in furorem elatus

ſtrat, ante Conſtantin. Porphyrogenit. Imperat. vixit. Hunc Imperii habenas moderari cœpiſſe anno 912. omnes ſciunt, qui aliquantiſper in Cæſarum Hiſt. verſati ſunt. Confer item Orlendium *Parerg. variar. notit. exſt.* ad calcem *Part. 1. Orbis Sacri, & Profani.*

(1) Doctiſſ. Aſſemanus *T. II. ſcript. Italicæ Hiſt. cap. 3. pag.* 83. opinatur nonnullos Caliphas (ita vocabantur, qui apud Saracenos primas habebant; atque hocce nomen, aut Mahometis ſucceſſorem, aut Dei Vicarium ſignificat, ut eſt apud Dufreſne Gloſſ. mediæ, & inf. Lat. ad v. *chalifa*) noſtris plenam exercendæ Religionis Catholicæ libertatem dediſſe. Idem aſſerit Lequienius *T. III. Orient. Chriſt. col.* 277. *in Patriar. Hieroſol.* Ante horum utrumque illud oſtenderat Papebroch. *H. C. P. Hieroſol.* quæ exſt. initio *T. III. M. Maii Parerg. 8. col.* 32., *& ſeq.* Etiam Rocchus Pyrrus *T. I. Siciliæ Sacræ in Not. Eccleſ. Panormit. col.* 608., *& in Diſquiſit. 3. pag.* 105. *Ed.* 1733. totus eſt in demonſtrando, Saracenis in Siciliam dominantibus, & non paucos, qui orthodoxam colebant Religionem, & Epiſcopos quoque ibidem extitiſſe.

(2) Sardiniam recuperatam fuiſſe a Piſanis, & Januenſibus ex Hiſtoricis, quorum Commentarios legere potui, narrant Mich. de *Vico in Breviario Hiſt. Piſanæ T. VI. S. R. I. Murat. col.* 167. Auctor Anonymus Chron. II. Piſani apud Ughell. *T. X. Italiæ Sac. col.* 97. *Ed. Coleti* (hanc Subaudi Ed. quotieſcunque Ughel. deinceps citabimus). Sigonius *l. 7. de Regno Italiæ col.* 478., *& ſeq. Ed. alias cit.* Pagius *ad an.* 1016. *n.* 10. Folieta *l. 1. H. Genuenſ. col.* 236. *T. 1. Par. 1. Theſ. Antiq., ac Hiſt. Ital. Grævii*; Paulius Troncius *Annali di Piſa pag.* 9., *& ſeq. Ed. Libur.* 1682. De anno, quo Piſani primo eduxerunt exercitum

in

tus tertio præfatam regionem ſibi ſubjecit: id cum ſenſiſſent Piſani, ſibi in armorum ſocietate devinxerunt Genuenſes; atque ita fortiores facti adverſus inflatum Barbarorum Regem dimicantes, Piſani *ceperunt illum, & totam terram, & coronam Romano Imperatori dederunt* (1).

XI. Expugnata Sardinia, illiuſque nefario Rege, Piſani tota Inſula potiti ſunt relicta Januenſibus præda, juxta id, quod ex pacto inter ſe convenerant (2). Tum iidem Piſani hanc diviſerunt in Dynaſtias quatuor, Calaritanam, Arborenſem, Turritanam, & Gallurienſem, & unicuique peculiaris datus eſt Judex (3), quem Regem quoque vocatum fuiſſe non eſt quamobrem in controverſiam vertatur, hoc aperte teſtantibus Diplomatibus bene multis a viris Eruditiſſimis Martene, Durand, Muratorio, & Gattola publici juris factis (4).

XII. Verum non diu Genuenſium, & Piſanorum animi concordes inter ſe permanſerunt, nam paullo poſt tot rixæ, & contentiones ortæ inter eos ſunt, ut commiſſo prælio Genuenſes e Sardinia diſcedere coacti fuerint a Piſanis, quos item expulſos poſtea ab eadem fuiſſe, & inſuper Inſulæ dominatu privatos probat Eraſmus Gattola (5) ex ſcelere, quod, ut narrat Leo Oſtienſis (6), illi patrarunt adverſus Monachos Caſſinenſes, qui Bariſonis Sardiniæ Regis rogatu eo legati fuerunt poſt medium ſæculum undecimum, ut Monaſticum Inſtitutum eo pacto; quo in noſtra Italia vigebat, ſtabilirent. Hac de re opportunior alibi ſermo redibit.

XIII. Gattolæ ſenſus demonſtratur etiam invicte ex Gregorio VII. Is enim anno MLXXX. Orzoco Judici Calaritano ſequentes litteras dedit (7) „ Nolumus ſcientiam tuam latere, „ nobis terram veſtram a multis gentibus eſſe petitam, maxima ſervitia, „ ſi ea permitteremus invadi, fuiſſe „ promiſſa; ita ut medietatem totius „ terræ noſtro uſui vellent relinque„ re, partemque alteram ad fidelita„ tem noſtram ſibi habere. Cumque

„ hoc

in expeditionem; & Inſulam auferrent Saracenis, itemque de anno, quo Legatus Pontificius ad Piſanos acceſſit, & hi fœdus cum Genuenſibus iniverunt, variant inter ſe fere omnes laudati Scriptores.

(1) Ita narrat *Breviar. Hiſt. Piſanæ loco indic.* cui aſſentiuntur Sigonius *l. 7. col.* 521. Troncius, & alii. Contra Obertus Cancellarius *l.* 2. *Annal. Genuenſ. col.* 3151 *apud Murat. T. VI. Script. R. I.*, ac poſt eum Folieta *loco cit.* contendunt a Genuenſibus captum fuiſſe Muſactum, & ad Cæſarem conductum. Recte ne hi, an ſecus ſentiant, aliorum eſto judicium.

(2) Benvenutus Imolenſis *Comment. in Dantis Commæd.* apud Murat. T. I. Antiq. Medii Ævi col. 1089.: *Inſula recuperata convenerunt inter ſe, quod Januenſes avidi prædæ aſportarent quidquid prædæ eſſet ſuper terram; Piſani vero haberent ſolum nudum.* Eadem eſt opinio Landini *in Comm. ad Dantem can.* 22. *Inferni. pag.* 111. *Ed. Ven.* 1564. His obſtant Sigonius *col.* 481., ac etiam Folieta *loco, quem nuper cit.*, qui præterea nonnullas in medium profert conjecturas ad probandum, Genuenſes quoque partem ſuam in Sard. obtinuiſſe; ſed illas ſolvit Troncius *Annali Piſani pag.* 14.

(3) Adeundi Triſtanus Calchus *l.* 11. *H. Mediol. col.* 262. *apud Græviam T. II. Theſ. H. & Antiq. Italiæ Par.* 1. Sigonius *loco modo deſignato*, Muratorius *T.* 1. *Antiq. M. Ævi Diſſ.* 5. *col.* 247.

(4) V. ſeriem eorumdem Judicum.

(5) *T.* 1. *Hiſt. Abbat. Caſſ. Par.* 1. *pag.* 154

(6) *Chron. Caſſ. l.* 3. *c.* 23. *apud Murat. T. IV. Script. R. I. pag.* 433.

(7) *Epiſt.* 10. *l.* 8. *apud Hard. T. VI. Par.* 1. *Act. Concil. col.* 1460.

† Tuscis, hoc est, Marchionibus Tusciae

„ hoc non ſolum a Nortmannis, & a „ Tuſcis, † ac Longobardis, ſed etiam „ a quibuſdam Ultramontanis crebro „ ex nobis eſſet poſtulatum, nemini in „ ea re unquam aſſenſum dare decre- „ vimus; donec ad vos Legatum no- „ ſtrum mittentes animum veſtrum de- „ prehenderemus. Igitur, quia devo- „ tionem B. Petro te habere in Lega- „ to ſuo monſtraſti; ſi eam, ſicut opor- „ tet, ſervare volueris, non ſolum per „ nos nulli terram veſtram vi ingre- „ diendi licentia dabitur; ſed etiam, „ ſi quis attentaverit, & ſeculariter, „ & ſpiritualiter prohibebitur a nobis, „ ac repulſabitur „. Hactenus Sanctiſſimus Pontifex, cujus verba ſole clariora indicant, præter Eccleſiam Romanam, & Judices nullum alium jus aut Supremum, aut ab altero dependens in Sardinia habuiſſe.

XIV. Quo Romani Pontifices majorem dabant operam, ut memoratam Inſulam ſartam tectam Eccleſiæ ſervarent, hoc magis Piſani, & Januenſes non ceſſabant omnem movere lapidem, ut eidem, & ſibi invicem ipſam eriperent; quocirca Judicibus quoque varias in partes tractis non ſemel inter ſe dimicarunt, in primis vero anno MC. LXIV., quo, quum Petrus Judex Calaritanus a quodam indigena privatus dignitate eſſet, in priſtinum ſtatum reſtitutus fuit a Bariſone ejus Fratre Judice Turritano, cui & opibus, & armis ſuppetias tulerunt Piſani, qui præterea hac non contenti victoria, ſed glorioſiorem aventes triumphum Bariſoni Judici Arborenſi, a quo plures paſſi erant injurias, bellum anno ſequenti intulerunt; cumque de menſe Aprili ea potiti eſſent, poſt palatia, domos, & alia multa igni tradita, viros non paucos, mulieres, & ſpolia, quæ a flammis intacta ſervata fuerant, ſecum tranſportaverunt, & ad publicam ſibi interponendam fidem eatenus, quoad Arborenſis Judex in Sardiniam reverteretur, reliquos Toparchas compellerunt: (1) „ Baraſon Judex Turritanus cum Fatribus, & Avunculis „ ſuis Piſanis, Barile ſcilicet, Gaynel- „ lo, Paganello, & Paulo, & Domi- „ cellus Petrus de Callari Frater Ju- „ dicis Paraſonis de Turri fecerunt ma „ gnum exercitum contra Paraſonem „ Judicem Arboreæ pro multis inju- „ riis, quas ei fecerat. Et menſe Apri- „ lis in Arboream intraverunt Palatia, „ & domos, & omnia bona comburen- „ tes vicos, & mulieres, & ſpolia in- „ de plurima abſtulerunt. Item eodem „ anno menſe Maii Ildebrandinus quon- „ dam Ranuccii Janni Piſanorum con- „ ſul ivit in Sardiniam, & fecit o- „ mnes Judices Sardiniæ jurare præce- „ pta Piſani communis; & treguam „ præcepit eſſe uſque ad reditum Ju- „ dicis Arboreæ.

Credibilene est Pisanos, et Ianuenses Provinciam Ecclesiae invadere voluisse?

XV. Incenſæ in Arborenſem Judicem Piſanorum iræ faces addidit, quod in præſentia narraturi ſumus. Bariſon utpote qui in Sardinia opibus, & potentia cæteros anteibat Toparchas curavit, ut ad Genuenſes adjungeret neceſſitudinem ſuam: ipſi res ex voto ceſſit, atque hoc pacto magis, magiſque a Piſanis ſe avertit. Cum Januenſes eum armis, pecuniaque protegere ſpopondiſſent, caput extulit, ac omne ſtudium, omneque ingenium ſuum contulit ad Sardiniæ Regnum, Piſanis expulſis, ſibi acquirendum. Itaque conſultis Genuenſibus, qui non ſolum non ſunt eum a re, quam mente præconceperat, dehortati, ſed inſuper calcar currenti addiderunt, Ugo Epiſcopus Sanctæ Juſtæ, nec non Legati Ge-

(1) *Breviar. Hiſt. Piſanæ col.* 175.

nuenſium Imperatorem, qui tunc Parmæ morabatur, petierunt, rogantes, *ut quatuor millibus Marcharum acceptis novum Regni Sardiniæ titulum inſtitueret, ideſt Bariſonem Arboreæ, quæ pars erat Sardiniæ, Judicem, appellaret Regem* (1) Imperator ſine cunctatione Januenſium voluntati eſt obſequutus, ideo præcepit illis, ut Bariſonem è Sardinia Genuam traiicerent, indeque Ticinum ducerent, ubi *pecunia pacta iv. Nonas Auguſti Regem Sardiniæ appellavit, ac diademate ſolemni cæremonia redimivit* (2).

XVI. Piſanorum plures Legati rei a Cæſare geſtæ aderant, qui primo quidem *conticuere omnes, intentique ora tenebant*; ſed poſtmodum Legatorum princeps cum linguam cohibere non amplius potis eſſet, his verbis Cæſarem eſt alloquutus (3): „ Ita ne vero,
„ fieri oportet, Cæſar? hanc ne tu
„ gratiam perpetuis Piſanorum in Cæ-
„ ſarianum ſolium ſtudiis, ac tot pro
„ illius dignitate dimicationibus, &
„ diſcriminibus ſuſceptis, ac forti, & fi-
„ deli toties navatæ operæ refers, ut
„ illis Sardiniam juſto Imperio tot ſæ-
„ cula poſſeſſam auferas, parvoque
„ pretio emptam, quæ tua non eſt,
„ aliis dones? ac degenerem ditionis
„ noſtræ hominem, nobiſque ſervitutem
„ ſervire aſſuetum per ſummam noſtram
„ injuriam, & contumeliam tanto ho-
„ nore afficis?

XVII. Nihil tamen his querelis tunc conſequuti ſunt Piſani, quod, ipſos ægro tuliſſe animo, ſi dixerim, ſum profecto verus. Id ſimiliter quammaxime diſplicuit aliis Sardiniæ Judicibus, qui proinde Piſanorum auxilio freti iterum aggreſſi ſunt Arboream, eamque ferme totam ab imo everterunt, ut ulciſcerentur Bariſonem, qui titulo regio inſignitus, Genuamque reverſus poſt debitas actas civibus grates, ac plura promiſſa ipſis facta (4) *habitis a Januenſibus triginta millibus libris navigavit Sardiniam ſperans cum ſuo exercitu non ſolum Arboream revincere, verum etiam totam ſibi Sardiniam ſubjugare* (5). At enim præter ſpem res Bariſoni accidit; anno enim MCLXV. Piſani Legatos ſuos miſerunt ad Imperatorem jam tum in Germaniam reverſum, & (6) „ Inſulam totam Sardi-
„ niam ſibi privilegiari pro communi
„ ab ipſo Imperatore ſecerunt. Et
„ Uguctionem Conſulem Imperator i-
„ pſe, dando ei vexillum, inveſtivit
„ de ipſa Inſula (7), & hominibus,
„ & bonis; præſentibus ad hæc Januen-
„ ſibus, & Paraſone ſupraſcripto, quem
„ coronaverat Papiæ, de Judicatu Ar-
„ boreæ ipſe Imperator in Dominum.
„ Eodem anno Januenſes cum prædi-
„ cto Judice Arboreæ in Sardiniam
„ iverunt cum magno exercitu, ſed
„ Piſani illuc currentes de tota Sardi-
„ nia, & Januenſes, & Judicem expu-
„ lerunt.

XVIII. Genuenſes e Sardinia ſecundo

(1) Sigonius *l. 3. de R. I. ad an.* 1164. *col.* 769.

(2) Idem Sig. *ibidem*. Conſulito item Calchum *loco, quem citavimus*, Morenam *Hiſt. Laudenſ. col.* 1003. apud Grævium *T. III. Par.* 2. *Theſau. Hiſt. Italiæ*, & apud Murat. *T. VI. S. R. I. col.* 1126, cum primis vero Obertum Cancellarium *l.* 2. *Annal. Genuenſ.* ubi de hujuſmodi facto hic plura narrat.

(3) Confer. Folietam *Opp. alias cit. col.* 270.

(4) V. Dipl. Bariſ. apud Ughel. *T. IV. in Arch. Jannenſ. num.* 27.

(5) *Breviar. Hiſt. Piſanæ col.* 176.

(6) Idem *ibidem*.

(7) Diploma, quo Fridericus Sard. conceſſit Piſanis exſtat apud Troncium *opp. alias indic. pag.* 213.

do a Piſanis expulſi in Patriam remearunt, ſecumque Bariſonem duxerunt, qui cum pecuniam ſolvere non potuiſſet, quam ab ipſis ad regium faſtigium emendum mutuò acceperat, in cuſtodiam, donec penderet, traditur (1). In ea porro octo annos fuit, iiſque elapſis *a quatuor Genuenſibus Triremibus, quibus præfuit Otbo Caſſarus unus ex Conſulibus in Sardiniam trajectus eſt, magna primariorum Civium caterva honoris cauſſa illum comitante* (2). Incautus Bariſon Arboream reverſus an fractus animo arma projecerit, an bellum ſuo tempore renovaverit, Piſanorum Hiſtoriæ non docent. Hæ namque ſolum narrant (3), anno ſequenti in *villa de Octano* Sardos interfeciſſe 80. Piſanos, inſciis tamen Bariſone Turritano, & Petro Calaritano Judicibus; ſicut ipſi faſſi ſunt Piſis, quo ſe contulerant propriam innocentiam Civibus Piſanis ſignificaturi.

XIX. Inexplicabile gaudium, quod animo conceperant Piſani ob Sardiniæ jura a Friderico recuperata, non diu perſtitit; quippe anno MCLXXI. Chriſtianus Archiepiſcopus Moguntinus Imperatoris Legatus in Comitiis generalibus per ea tempora habitis *eos privilegiis privavit tam de moneta, quam de Sardinia* (4). Verum quatuor poſt annos idem ipſe Chriſtianus eoſdem *a banno abſolvit, & in ſuam gratiam revocavit* (5); unde dies, ac noctes nihil aliud tunc egerunt Piſani, nihil curarunt, niſi ut in ſuam redigerent poteſtatem Inſulam; & Sardorum animum inducerent ad jurandum in ſuas leges, cum a Genuenſibus jam ex parte expugnati fuiſſent. Operam quoque dederunt ſuam defendendæ præfatæ regioni a Saracenis, qui anno MCLXXVIII. denuo *cœperunt bellare, & invadere Inſulam Sardiniæ, & ire in partibus Piſanorum ...... Piſa vero elevavit ſe cum Conſule, & vicit Mugetum Regem* (6).

XX. Quamdiu in vivis fuit Fridericus Ænobarbus Imperator, ut ſi quis alius Romanis Pontificibus infenſiſſimus, tamdiu hi viſi ſunt, ut majora vitarent mala, parum ſolliciti de recuperandis bonis, quæ omni jure Eccleſiæ debebantur. At enim anno MCXC. extincto Friderico, & octo poſt annos ad ſummam Pontificatus dignitatem evecto Innocentio III., qui prout Eruditiſſimus Franciſcus Pagi memoriæ prodidit (7) *nihil etiam ipſo ſui Pontificatus exordio antiquius habuit, quam ut Tyrannos occupantes Dominium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ procul abigeret, revocaretque ſublatas Provincias ejuſdem Eccleſiæ poteſtati*; quod ad Sardiniam attinet, res variatæ ſunt. Innocentius enim anno a ſua electione ſecundo litteras dedit Judici Calaritano, quibus primo in ejus nefaria facinora invehitur; deinde ei ſignificat, Sardiniam peculiari quodam, ac legitimo jure ad Apoſtolicam Sedem pertinere (8): quod pariter confirmavit triennio poſt ad Turritanum, Calaritanum, & Arborenſem Judices in hæc verba ſcribens: *quanto Sardinia ſpecialius ad Romanam Eccleſiam noſcitur pertinere, utpote cui*

(1) Confer. *Brev. Hiſt. Piſana loco nuper cit.*, itemque Sigonium *l.* 13. *de R. I. col.* 771.

(2) Folieta *opp. indic. col.* 284.

(3) *Brev. Hiſt. Piſanæ col.* 177.

(4) Idem *col.* 186.

(5) Idem *ibidem*.

(6) *Chron. Ill. Piſanum apud Ughel. col.* 117. *T. X.*

(7) *T. III. Breviarii RR. PP. in ejus vita n.* 7. *pag.* 162. *Ed.* 1718. *Antuerp.*

(8) Confer. Clariſſ. Oderic. Raynaldum *T.* 1. *continuat. Annal. Eccleſ. ad ann.* 1200. *n.* 49.

tam in ſpiritualibus,quam in temporalibus eſt ſubjecta; tanto propenſius prçcavere volumus, & debemus, ne attententur in ea, per quod & ſtatus perturbetur ipſius, & graviter Dominus offendatur (1). Cumque Ubaldus Lafranchi Archiepiſcopus Piſanus Maſſæ Marchionis Judicis Calaritani animum induxiſſet ad ſibi, ſuæque Eccleſiæ juramentum fidelitatis præſtandum, atque hortatus ad eundem Marchionem ab juſiurando abſolvendum,morem non geſſiſſet Innocentio; ipſemet anno MCCVI. acerrime præfatum Antiſtitem minitatus eſt; eique mandavit, aut Pontifici obtemperare; aut intra unius menſis ſpatium vel per ſe, vel per ſuum Procuratorem ad Apoſtolicam accedere Sedem(2);ac inſuper anno MCCVI.commiſit Epiſcopo Florentino, ut Piſanos Cives ad Inſtrumenta quædam publica juribus Eccleſiæ Romanæ de Sardiniæ ſupremo dominatu contraria diſcindenda compelleret (3).

XXI. Hoc interim ſpatio diem obierunt ſupremum Ubaldus, atque Innocentius; Cathedram Piſanam annnm circiter MCCVIII., ut eſt auctor Ughellius (4), conſcendit Lotharius Civis Cremonenſis, Romanam vero Honorius III die 18. Julii anno MCCXVI., judice Pagio (5). Lotharium Sardiniæ negotiis ſe immiſcuiſse Hiſtoriæ non tradunt. De Civibus Piſanis autem litteris exſtat, quod nova cupiditate Inſulæ citatæ ſuæ dominationi adjungendæ flagrantes, plurium navium claſſe ſibi comparata ad eam appulere, eam denuo expugnarunt, & inſuper loca caſtellis idonea communierunt. Quæ quidem ſuſque, deque haud habuit Pontifex Honorius, ſed Ugolinum Cardinalem electum poſtea in Papam nomine Gregorii IX. Legatum ſuum miſit, cui multa agenda præcepit, quæ indicat ſequens Epiſtola (6) „ Oſtienſi Epiſco-
„ po Apoſtolicæ Sedis Legato. Cum
„ Poteſtas, & Populus Piſanus ſuper
„ facto Sardiniæ noſtris jurarint ſtare
„ mandatis, Fraternitati tuæ præſen-
„ tium auctoritate mandamus, quate-
„ nus eis vice noſtra ſub debito præ-
„ ſtiti juramenti præcipias, ut Pote-
„ ſtatem ipſum, & eorum exercitum
„ de Sardinia protinus revocent; & ad
„ propria redire compellant; & de
„ cætero ipſam Sardiniam, quæ ad
„ Apoſtolicam Sedem noſcitur pertine-
„ re, per ſe, vel per alios non infe-
„ ſtent, reſtituentes Apoſtolicæ Sedi
„ terras quaſcunque in ea dicti Pote-
„ ſtas, & exercitus occuparunt; & Ca-
„ ſtrum, quod contra mandatum feli-
„ cis memoriæ Innocentii Papæ præ-
„ deceſſoris noſtri, ſententia excomu-
„ nicationis contempta,in Eccleſiæ præ-
„ judicium erexerunt, faciant penitus
„ demoliri.

XXXII. Ca-

(1) Extat apud eundem *ad an.* 1203. *n.* 63. T. 1. *Ed. Manſ.*

(2) Id teſtatur Raynaldus Vatic. monumentis innixus *ad an.* 1205. *n.* 66., *& ad an.* 1206. *n.*36. Confer etiam *l.* 2. *Decret. Tit.* 26. *de Præſcript. cap.* 17. apud Pithæum *pag.* 126. *Ed. Taurin.* 1746. ubi Innocentii exſtant de hoc argumento ad Piſanum Archiepiſcop. Epiſtolæ.

(3) Confer Raynald. *loco ultimo cit.* Antiſtes Florentinus, cui Innocentius hæc demandavit eſt Joannes Velliternenſis Canonicus Regul. electus in Epiſcop. an. 1205. Ughel. *in Antiſt.Florent. T. III. col.* 105., Bzovium ſequutus, Joannem præcepta Pontificis executioni mandaſſe anno 1211., ſcribit. Sed ego potiſſimum Raynaldo credo, quod in Hiſt. Eccleſ. narranda accuratiorem fuiſſe omnes ad unum ſentiunt.

(4) *T. III. in Arch. Piſanis col.* 421.

(5) *T. III. Breviarii in ejus vita n.* 1. *pag.* 129.

(6) Apud Raynald. *ad an.* 1217. *n.* 86. *pag.* 427. *T.* 1. *Ed. Manſ.*

XXII. Caſtrum, quod hac in Epiſtola memoratur, ſi qua fides antiquis monumentis, (1) conſtruxerunt Piſani anno MCCXV., in quodam colle, quem eis, dono conceſſerat Benedicta Regina Calaritana, poſteaquam ipſa cum viro ſuo Judice Arborenſi fidem Romano Pontifici datam fefellerat, & in Piſanorum juraverat leges; verum præſtat audire litteras, quas præfata Regina ob Piſanorum inopinatam irruptionem in diſcrimen amittendæ dignitatis adducta, ac undique periculis cincta anno MCCXVII. miſit ad Honorium. Scio illis, qui copiam non habent manu verſandi Annales Eccleſiaſticos, in optatis fore, me eaſdem litteras integras in medium afferre, quibus ſane morem gerere, licet prolixæ ſint, volo; etenim a nobis dicta egregie confirmant, demonſtrantque, Romanos Pontifices, jam uſque ab antiquis temporibus Sardiniam habuiſſe vectigalem.

,, Piiſſimo(2)Patri,& Domino ſuo Ho-
,, norio Dei gratia Summo Pontifici,B....
,, eadem, & ſua gratia Maſſæ Marchi-
,, ſia, & Judiciſſa Calaritana, & Ar-
,, borenſis ſubjectionem perpetuæ ſer-
,, vitutis.

,, Cum poſt deceſſum præclaræ me-
,, moriæ Illuſtris viri Domini, & Pa-
,, tris mei Vv. Marchionis Maſſæ,
,, & Judicis Calaritan. omnis clerus,
,, & univerſus populus terræ Calarita-
,, næ conveniſſent in unum, ut me in
,, judicatum Calaritanum, qui jure
,, hæreditario me contingebat, more
,, ſolito confirmarent, ſuſceptoque ba-
,, culo regali, quod eſt ſignum confir-
,, mationis in Regnum, de manibus
,, venerabilis Patris, & Domini mei
,, Archiepiſcopi Calarit. cum aſſenſu,
,, & præſentia ſuffraganeorum ſuorum,
,, & omnium nobilium terræ Calarita-
,, næ; juravi protinus eiſdem, coram
,, ipſis ante cœtera, & præter alia,
,, quod Regnum Calaritanum non alie-
,, narem, neque minuerem; & Caſtel-
,, lum alicui aliquo titulo non dona-
,, rem, neque pactum aliquod, aut So-
,, cietatem aliquam cum gente quali-
,, bet extranea inirem aliquatenus, aut
,, facerem ſine conſenſu, & voluntate
,, omnium eorundem.

XXII. ,, Poſt non multum vero
,, temporis poſt iſtud, habito conſilio
,, cum melioribus terræ meæ, ſuſcepi
,, in virum nobilem virum P.... no-
,, mine, filium quondam Judicis P....
,, Arboreæ, ob multiplicem guerram
,, inter præfatos progenitores noſtros
,, diu habitam a nobis ſedandam; in
,, cujus matrimonii diſpenſatione ſuper
,, quarto, & quinto gradu conſangui-
,, nitatis, quo nos attingebamus, a fe-
,, licis memoriæ anteceſſore veſtro no-
,, bis conceſſa, manibus memorati Ar-
,, chiepiſcopi Calaritani prædicto an-
,, teceſſori veſtro, ſuiſque Succeſſori-
,, bus in perpetuum pro Eccleſia Ro-
,, mana juxta formam ab Apoſtolica
,, Sede mihi expreſſam, juramentum
,, exhibui una cum viro meo fidelita-
,, tis debitæ. Cujus formam, & ſe-
,, riem bulla regni mei bullatam,
,, & per meum vobis nuncium deſti-
,, natam, credo vos habere in Arma-
,, rio Eccleſiæ Romanæ.

XXIV. ,, Cumque poſt hæc, heu
,, proh dolor! altiſſima fruerer pace
,, in tota terra mea, ecce Piſanorum
,, Conſul cum multis ſibi ſequacibus
,, nobilibus, multis minis, & terrori-
,, bus, multiſque adulationum perſua-
,, ſionibus in tantum, & taliter inſti-
,, tit mihi, quod ſine maximo rubo-

,, re

(1) *Chron. V. Piſanum apud Ughel. T. X. col.* 122.

(2) Exſt. apud Raynal. *ad an.* 1217. *n.* 90. *& ſeq. pag.* 428., *& ſeq.*

Digitized by Google

„ re, ac intimo cordis dolore profer-
„ re nequeo, ut ſine conſilio, & vo-
„ luntate bonorum terræ meæ viro-
„ rum juravi ſibi, & communi Piſano
„ in perpetuum una cum viro meo de
„ novo fidelitatem; atque inveſtitura
„ terræ meæ cum viro meo ab eodem
„ conſule per vexillum Piſanum ſu-
„ cepta, tanquam fatua, & inſipiens
„ prioris juramenti oblita donavi pari-
„ ter cum viro meo, ad inſtantiam
„ conſulis memorati collem quemdam
„ cum ſuis pertinentiis memoratis Pi-
„ ſanis. In quo poſtea ipſi ædificave-
„ runt ſibi munitiſſimum Caſtrum in
„ damnum, & occupationem non ſo-
„ lum terræ ipſius, ſed totius Sardi-
„ niæ.

XXV. „ Nunc autem cum ſpera-
„ rem ab eis ſecundum ſua mihi præ-
„ ſtita juramenta protectionem a quo-
„ libet mihi vim inferente, atque de-
„ fenſionem; nec ipſi terram, vel ho-
„ norem, aut aliquod jus meum de-
„ bebant mihi, ſeu viro meo auferre
„ quacunque de cauſſa, vel minuere;
„ en contra Piſanorum Poteſtas, quæ
„ cum maximo exercitu intravit in
„ Sardiniam, præter multa damna,
„ quæ mihi, & hominibus terræ meæ
„ tam Clericis, quam Laicis crudeli-
„ ter intulit, & quotidie infert, jus,
„ & honorem viri mei, & meum omni-
„ bus modis aufert, & conatur in po-
„ ſterum viribus auferre. Nam & in-
„ troitus portus per omnia ſibi vendi-
„ cavit, & vendicat; & homines ter-
„ ræ meæ nobiles etiam capiendo,
„ atque incarcerando, me, ac viro meo
„ invitis, judicium ſibi Regis, & do-
„ minium violenter uſurpavit, tan-
„ quam ſit Dominus terræ naturalis,
„ & Judex.

XXVI. „ Quocirca cum non ſit mi-
„ hi, vel viro meo refugium aliud præ-
„ ter Deum, quam veſtrum; nec ab
„ alio aliquo ſperamus juvari, ac ma-
„ nu teneri, quam ab Apoſtolica pie-
„ tate; licet avolaverim tanquam in-
„ ſcia ſine pennis, ac deviaverim,
„ quo non debebam, velut amens ef-
„ fecta, deceptave peregerim, quod
„ me in poſterum pœniteret, tanquam
„ mobilis, & mollis puella; tandem
„ tamen ut Filia prodiga in me rever-
„ ſa lacrymabili voce, ac genuflexo,
„ modis, quibus valeo, veſtram exo-
„ ro dominationem, & Paternitatem,
„ quatenus etſi non filiationis reſpectu,
„ quo me meis privavi omnino meri-
„ tis, pietatis tamen divinæ interven-
„ tu, ac officii debito paſtoralis, quo
„ & ovem erroneam ad ovile humeris
„ apportare, & oppreſſis injuſte tene-
„ mini ſubvenire; mihi, & viro meo,
„ ſervis, & fidelibus veſtris, nec non
„ & toti Sardiniæ, prout melius ex-
„ pedire ſanctitatis veſtræ diſcretio vi-
„ derit, quantocyus, ut optamus, non
„ dedignemini occurrendo ſubvenire.
„ Et quemadmodum ſperabamus ſecu-
„ re in brachio potenti anteceſſoris
„ veſtri, tantum, & eo amplius, ſe-
„ cundum vobis gratiam de ſupernis,
„ collatam, in veſtræ fortitudinis in-
„ vincibili robore confidentius dein-
„ ceps valeamus perſiſtere.

XXVII. „ Supplicamus præterea
„ vir meus ſervus veſter, & ego, &
„ & precum iterata inſtantia modis,
„ quibus valemus, pariter implora-
„ mus, ut veſtræ indulgentiæ auctori-
„ rate habita liceat nobis, ſi expedie-
„ rit, vel cum Judice Turritano, aut
„ cum Januenſi, ſeu cum alia gente
„ extranea pactionis inire, ac ſocieta-
„ tis fœdus, ut vinculo abſoluto inju-
„ ſti Sacramenti Piſanis ipſis præſtiti
„ poſſimus ab eorum manibus liberari,
„ & colla excutere onerata ab iniquo
„ jugo

„ jugo, & importabili eorundem; ne„ ve teneamur juramento injuſte eis „ præſtito, ſi quoque modo potuerimus „ nos ab eis non defendi. Cum & pri„ mum noſtrum juramentum irritum, „ heu proh pudor! & inane fecerimus; „ propter quod reparandum non de„ beret, ut credimus, poſterius vale„ re; & quia ſuum nobis juſiurandum „ fregerunt, propter quod eis fides „ non eſſet uſquequaque a nobis obſer„ vanda.

XXVIII. „ Præterea, Sanctiſſime „ Pater, ac metuende domine, timor, „ & tremor maximus nuper venerunt, „ ſuper me, ac cunctos terræ meæ, „ pro eo quod ipſi ſæpefati Piſani non „ ſolum de novo inſultant, & valde „ jactant; verum etiam conſtantiſſime „ aſſeverant, Caſtrum illud memora„ tum veſtra gratia voluntaria, & gra„ tuita voluntate, in ſuo robore ut „ fundatum eſt, & perpetua duratu„ rum firmitate. Quod ſi verum eſt, „ quod abſit, non ſolum jus, & domi„ nium meum, cunctorumque Sardiniæ „ Judicum eo toto violenter occupa„ bunt; verum etiam Sacroſancta ipſa „ Eccleſia non dico nullas, ſed valde „ modicas in tota Sardinia ſui juris vi„ res habebit, vel dominari poterit „ in ea, ut olim conſuevit. Nam ſi „ bonæ memoriæ Magiſtro Blaſio Tur„ ritano Archiepiſcopo, in Apoſtolicæ „ Sedis obſequio, quondam ad Cala„ rim venienti, pro eo quod crede„ batur ab ipſis Apoſtolicæ Sedis Le„ gatus, multas injurias, ac mortis mi„ nas nequiter intulerint; cum non „ eſſent in fortitudine aliqua conſtitu„ ti; multo fortius, ac vehementius „ credendum eſt, nullum impoſterum „ Romanæ Sedis Nuncium, aut etiam „ Legatum alium, qui non ſit Piſanus, „ poſſe ſuas vices inter eos explere; „ præcipue cum ſint modo in arce ro„ boris radicati, & in ſpecula ſuperbiæ „ apud ſemetipſos firmiſſime fundati.

XXIX. „ Eapropter, domine vene„ rande, ac Sanctiſſime Pater, chari„ tate illa, quæ Chriſtus eſt, qua & „ tenemini potenter ſubvenire oppreſ„ ſis violenter, mittite Nuncium ve„ ſtrum virum utique honeſtum pari„ ter, & diſcretum avaritiæ execrato„ rem, & charitatis, juſtitiæque ama„ torem, qui perſcrutetur ſubtiliter, „ & inquirat; quique etiam diligenter „ inveſtiget, & veritatem ſciat, quis „ profectus, aut defectus; quod com„ modum, aut incommodum; quod „ gravamen; aut levamen; quæ juſti„ tia, vel injuſtitia de oppido illo ac„ ciderit hactenus; vel denuo ſpere„ tur poſſe accidere toti terræ Sardi„ niæ; ut ex tunc ad plenum cognita „ veritate ſecundum ſapientiam vobis „ cælitus datam valeatis terram iſtam, „ ut velitis, ordinare. Ego enim, & „ homines terræ meæ Clerici, & Lai„ ci non ſolum nuncium manifeſtum, „ qui ſanctitati veſtræ oſtenderet no„ ſtra gravamina, non audemus vobis „ tranſmittere; verum etiam litteras „ ipſas ſolas, niſi furtim, & occultè „ nequimus deſtinare. Hoc tamen to„ tum taliter Veſtræ Sanctitatis domi„ nationi ſupplicans comitto, taliter„ que veſtra diſcretio id moderetur, „ quod ad aures ipſorum Piſanorum „ venire non poſſit, me vobis talia „ contra eos ſcripſiſſe; alioquin eorum „ manus effugere non poſſem, cum ſim „ circumvallata eorum hoſtili manu, „ & ſub poteſtate degam crudeli eo„ rundem „.

XXX. Honorius ergo, & opera Ugolini Legati, & epiſtolis ad Piſanos miſſis eoſdem adduxit ad ſingula dimittenda, quæ in Sardinia occupaverant; quod

quod manifeſtum eſt ex litteris, quas Archiepiſcopo Piſanæ Urbis dedit, cui etiam mandavit in fidelium cœtum Piſanos Cives recipere (1) Fallitur tamen quicunque ducit, res in Sardinia ſedatas fuiſſe; ſiquidem, licet Piſana Reſpublica per hoc tempus Pontificis præceptis obtemperaverit, tamen duo viri nobiles ex illa Ubaldus, ac Lambertus opibus, & potentia præ cæteris florentes, & non parum factioſi Sardiniam aggreſſi ſunt, brevique tempore Calaritanum Principatum expugnarunt. Illico, oppidoque Pontifex, quemadmodum aſſolebat, operam dedit, ut a re inſtituta eos averteret paternis monitis, quæ illi ne pili quidem ſecerunt. Quocirca excomunicationis fulmen in eoſdem intorſit (2), ac præterea ſentiens, eorum effrenes impetus nullo pacto retardari poſſe cenſuris Eccleſiaſticis, ad ipſos armorum vi frangendos oculos, mentemque convertit; proinde Indulgentiarum præmiis propoſitis, an.MCCXVIII. die 10. Novembris Mediolanenſibus ſcripſit, ut de finibus ſuis magnis copiis egreſſi Mariani Judicis Turritani ſectarentur ſigna, qui adveniente Martio bellum geſturus erat adverſus injuſtos Eccleſiæ bonorum poſſeſſores (3).

XXXI. Utrum Mediolanenſes Pontificis voluntati ſint obſequuti, cum nulla hac de re invenerim certa monumenta, prorſus ignoro. Tantum ſcio, anno etiam MCCXXIX. Ubaldum Sardiniæ partem in ſua tenuiſſe poteſtate; en Gregorii IX. Romani Pontificis verba hoc aperte indicantia: *excomunicamus, & anathematizamus Ubaldum Civem Piſanum, pro eo quod contra juramentum præſtitum Eccleſiæ Romanæ hoſtiliter intravit in Sardiniam ad Romanam Eccleſiam pertinentem, & partem ipſius terræ violenter detinet occupatam, qui etiam ad mandatum dilecti Filii G..... tituli Sancti Marci Presbyteri Cardinalis A. S. L. pignora pro ſatisfactione non præſtitit, nec in aliquo ſatisfecit* (4).

XXXII. Ob ejuſmodi cenſuram, licet optimo jure a Gregorio in Ubaldum latam, magis magiſque in furorem elati ſunt Piſani, qui non contenti Calaritanum Principatum poſſidendi, animo verſari cæperunt Turritanam quoque Provinciam ſibi ſubjicere. In magnam enim ſpem venerant illam occupandi, quod per populorum rebelliones prædæ expoſita eſſet, cum Sarzanenſes milites anno MCCXXXVI. barbarica crudelitate efferati, Baraſonem Mariani Turritani Judicis prædefuncti Filium impuberem non ſolum trucidaſſent, ſed etiam in fruſtula feris exponendum dilaniaſſent: de quo tam atroci facinore cum conqueſta eſſet Adelaſia Baraſonis germana Soror apud Gregorium, in mandatis ipſe dedit Archiepiſcopo Piſano ut in tanti ſceleris auctores excomunicationis telum conjiceret (5).

XXXIII. Poſt non multo videtur Sardinia pacem tamdiu optatam adepta. Singuli illius Judices Romano Pontifici reconciliati ſunt, ipſique in omnibus obtemperabant, cum primis vero Ubaldus, qui non ſolum ſe in bonam frugem recepit, proindeque a cenſura abſolutus eſt una cum Judice Arborenſi,

(1) Monum. Vatic. apud Raynald. *T. I. ad an.* 1217. *n.* 86., *& ſeq.*
(2) Confer. eund. Auct. *ad an.* 1218. *n.* 31.
(3) Honorii III. epiſtola extat *T. III. Novi Bull. Rom. n.* 27. *pag.* 200.
(4) Adi-Sis Raynal. *ad an.* 1229. *n.* 41. *T. II. pag.* 13. *Ed. Lucenſ.*
(5) Confer eundem *ad ann.* 1236. *n.* 26. *Ed. cit. pag.* 143. *T. II.*

Digitized by Google

ſi, qui Ubaldo in bonis Eccleſiæ diripiendis fœderatus pari modo excommunicatione obſtrictus fuerat, verum etiam palam omnibus fecit, Principatus Gallurienſem, & Turritanum ab ſe ob Matrimonium cum Adelaſia initum acquiſitos eſſe Romani Pontificis vectigales, eoſque jure fiduciario ſe poſſidere. Obſequium ſuum erga Romanam Sedem ſignificavit item Ubaldi Uxor Adelaſia, ſiquidem facta donatione inter vivos, ut ajunt, Turritanam, & Gallurienſem Provincias in eandem contulit, illaſque Alexander Capellanus, & Legatus Pontificius nomine Gregorii IX. accepit, iterumque fiduciarias conceſſit eidem Adelaſiæ, quæ ſemet, ſuoſque natos ad perſolvendas quotannis quatuor argenti libras obſtrinxit, ſi autem ſine liberis diem obiiſſet ſupremum, teſtata eſt, ſe velle, ut præfatæ Provinciæ ad Romanam devolverentur Eccleſiam.

XXXIV. Piiſſimos conjuges imitatus eſt Petrus Arboreæ Judex, qui Provinciam ſuam ad Romanos Pontifices ſpectare publicis tabulis, ac etiam juramento poſterorum memoriæ mandavit. Utque ſummum in Arborenſem Dynaſtiam ſtabiliretur Imperium, Petrus ab Legato Pontificis vexillo, in quo duæ claves cum Cruce depictæ erant, ſibi tradito Arborenſem Principatum vectigalem, ſtipendiariumque accepit, ac mille, & centum byzantios (1) nomine cenſus Romanæ Eccleſiæ ſolvere quotannis juſſus eſt Legato Pontificis, vel eo abſente Archiepiſcopo Arborenſi; cumque liberis carere cerneret, ditionis ſuæ hæredem Papam inſtituit; quam ob rem Gregorius ſummis laudibus Petrum eſt proſequutus (2).

XXXV. Felix, quaterque beata dici potuiſſet Sardinia, ſi ei permiſſum eſſet diutius ab iis Judicibus uſque adeo Eccleſiæ obſequentibus gubernari; fata tamen id non conceſſerunt. Etenim anno MCCXXXVIII. Ubaldus e vita migravit, Gregorius id ubi reſcivit, confeſtim, poſt delinitum conſolatoriis litteris Adelaſiæ jam tum Viduæ factæ luctum, eidem ſignificavit, ſe Guelphum e conſpicua Porcharia Gente Apoſtolicæ Sedis ſtudioſum, ipſi in Sponſum providiſſe, ac cito miſſurum Procuratorem, ut Matrimonium cum laudato Guelpho iniiret, ne, ſi viri præſidio longo tempore deſtituta maneret, ſeditiones in Turritana Provincia emergerent: intereaque Archiepiſcopo Arborenſi præcepit, ut Piſanos Vicecomites ab inferendis Adelaſiæ moleſtiis, & a Gallurienſi occupanda Provincia toto corpore, atque omnibus ungulis abduceret. Verum Adelaſia de ineundo Matrimonio alia, atque alia volvebat ſecum in corde. Nuptiæ Entii Friderici Imperatoris Filii nothi magis quam promiſſæ a Gregorio illi in amoribus, ac deliciis erant. Eas conſequuta eſt anno, quem ſupra citavimus, menſe Octobri magno cum Eccleſiæ, Sardiniæque detrimento; quippe memoratus Entius Friderici Patris ſuaſu

C ſta-

(1) Byzantius genus eſt Monetæ, atque ita appellatur, quoniam primum cuſus eſt ab Imperat. Conſtantino in Urbe Conſtantinop., quæ olim Byzantium vocabatur. In uſu quoque fuit in Europa. De ejus valore, agunt Dufreſne *T. I. Gloſſ. Mediæ, & inf. Latin.* ad v. *Byzant.* cum primis vero Joſeph Lirutus Diſſ. *ſopra le Monete del Friuli pag. 171. cap. 22. exſt Par. 2. Diſſ. de Monetis Italiæ*, quas in unum collegit *Philipp. Argelatus*.

(2) Hæc omnia conſtant ex monum. Vatic. quæ vidit, & refert Raynal. *T. II. Annal. ad ann. 1237. n. 17., & ſeq.* Diplomata, quibus Ubaldus Judex Turrit. & Gallur., ejuſque Uxor Adelaſia, ac Petrus Rex Arboreæ ea omnia R. P. promittunt, exſt. quoque apud Murat. *T. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſ. 71. col. 10. 12. 14.*

ſtatim Turritanum, & Gallurienſem Principatus, paullatim vero, ut vir Eruditiſſimus (1) ſuſpicatur, totam Sardiniam Romano Pontifici arripuit, ſibique tyrannice gubernandam ſubjecit; quod ægro animo tulit Gregorius, & alte queſtus hac de re eſt in ſua adverſus Friderici calumnias Apologia (2) Uterque tamen ob illud, aliaque facinora penas luit; nam alter iterum a Gregorio excommunicatione multatus fuit (3) alter non ſolum excommunicatus, verum etiam Regium ſolium ſquallore carceris ad mortem uſque commutare coactus eſt (4) De iis, quæ in Sardinia acciderunt Regni habenas moderante Entio, cum Hiſtorici omnes antiqui, quod viderimus, altiſſime ſileant, aliquid certi nos definire audentes, profecto *fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam* (5), Quam ob rem ſatius erit gradum facere ad bellum narrandum, quod Piſanos inter, & Januenſes geſtum eſt anno MCCLVI., & duobus ſequentibus.

XXXXVI. Hujus cauſſa fuit Chianus Judex Calaritanus. Is cum ferre nequiret a Gulielmo Capraiæ Comite, Arboreæque Judice, qui cum Piſanis Societatem coiverat, vi antecelli, Genuenſibus, quorum neceſſitudinem ſibi adjunxerat, Caſtellum Caſtri oppidum in agri Calaritani finibus poſitum dono conceſſit. Id Piſanis æque, ac Judici Arboreæ diſplicuit, idcirco confeſtim illud obſidione cinxerunt, ac ita Milites, qui Caſtrum defendebant, extrema fame victi coacti ſunt cedere arma. Chianus a Piſanis gladio peremptus eſt: Januenſes autem ad S. Giliæ Fanum, quod ad Calaritanam ſpectabat Dynaſtiam ſe receperunt animo, ut ait Raynaldus (6) ex ea arce erumpendi ad amiſſa recuperanda. Spes tamen eos fefellit; Piſani ſiquidem magno comparato exercitu Fanum S. Giliæ aggreſſi ſunt. De exitu belli multimodis apud auctores ſcriptum eſt. Chronicon poſtremum Piſanum (7) habet, arcem S. Giliæ Januenſibus, ac Judici Calaritano ereptam fuiſſe: *in priſtinum*, inquit, *dominium Piſanæ Civitatis pervenit*. At enim hoc falſum eſſe

(1) Eſt is Muratorius, qui *T. VII. Par. 2. degli Ann.* d' *Italia* ad an. 1238. pag. 314. Ed. Rom. ait: *Forſe la Sardegna venne per tali nozze a poco a poco tutta in potere di lui*, nempe Entii. Lege item Raynal. *T. II. ad an.* 1238. *num.* 67., *&* *ſeq.*

(2) Apud Raynald. *T. II. ad an.* 1239. *n.* 7.

(3) V. Matth. Pario *Hiſt. Angl. pag.* 470. *Ed. Tigurenſis* 1589.

(4) Entium excom. fuiſſe tradit Richardus a S. Germano *in Chron.* apud Ughel. *T. X. col.* 236. Is cum a Bononienſ. in bello captus eſſet, in carcerem miſſus eſt. Fridericus omnes intendit nervos, ut ex eorum manibus eriperet, ſed nec precibus, nec minis id unquam conſequi potuit; unde in carcere obiit: *Era in Bologna pregione un Figlio di Federico Imperatore, il quale fu per nome Enzo, che fu Re, il quale i Bologneſi ſi avevano preſo in Battaglia, e buon tempo era ſtato in prigione. Queſti in queſto tempo morì, e fu ſotterrato alla Chieſa de' Frati Predicatori in Bologna, e con tutto che l'avevano in prigione, ſi li fecero i Bologneſi grand' onore*. Ita Paulinus Florentinus vulgo *Paolino di Piero*, in Chron. *ad an.* 1271. *pag.* 39. Auctor ſcripſit ineunte ſæc. XIV., ſicuti oſtendit *in Præf. pag.* 12. Adamius Eques Stephanianus Vir Eruditiſſimus, cujus opera Chron. iſtud ex Bibliot. Magliabechiana erutum, non ita pridem publici juris factum eſt Romæ.

(5) Alciatus *l.* 8. *Emblem.*

(6) *Ad an.* 1258. *n.* 29.

(7) T. X. Ughel. *col.* 122.

ſe ego puto; nam ex monumentis Vaticanis (1) liquet, nondum parta victoria Alexandrum IV. P. M. controverſiæ, quæ Piſanos inter & Januenſes verſabatur, arbitrum conſtitutum fuiſſe, ipſum vero in Sardiniam duos Equites de Ordine Templariorum Apoſtolicos Nuntios delectos miſiſſe, quibus præcepit, ut Pontificio nomine S. Giliæ prefecturam gererent, donec lis æquitate deciſa foret. Chronicon Piſanum paullo ante memoratum tradit etiam, Pontificem eorum animum induxiſſe ad pacem univerſalem ineundam.

XXXVII. Vehementer dolemus, nullum nos ad manus habere antiquum, ac doctum Hiſtoricum, qui ſcriptum reliquerit, quouſque tandem pax Piſanos inter, & Pontificem perduraverit. Exploratæ tamen fidei eſt, circa annum MCCLXVII. Piſanos rurſus occupaſſe Sardiniæ Inſulam, cui inhiabant, adeoque ante laudatum annum bellum inſtitutum fuiſſe. Clemens IV. nihil non fecit, ut eam recuperaret, ſed irritus ſemper fuit omnis ejus conatus, quinimo perdidit quoque Provinciam Turritanam, in quam antea dominabatur (2). Ea, ut opinari fas eſt, capta fuit a Piſanis, qui reliquam Sardiniæ partem occupabant.

XXXVIII. Dum hæc in Sardinia agebantur, tres Principes a Romano Pontifice Sardicum Regnum poſtularunt: primus fuit Carolus Rex Siciliæ: ſecundus Henricus Frater Caſtellæ Regis: tertius vero Jacobus Rex Aragonum; nulli tamen horum Pontifex dare voluit. Quid reſcripſerit Carolo non ſatis conſtat. Henrico his verbis miſit epiſtolam (3). *Quoniam ad Regnum Sardiniæ tuos oculos direxiſti, ſuper quo cum N. milite Januenſi longam ſatis collationem habuimus; ſcire te volumus, quod poſt receſſum ipſius inſpecta plenius conditione negotii multo tibi utilius judicamus id non aggredi, quod multis ſumptibus indigeret, præſertim cum Piſanos haberes adverſarios, qui poſiti e vicino & ingredientem impedire valerent, & egreſſum continue moleſtarent.* Jacobo vero ſequentes has litteras ſcripſit (4) *Tarde nimis tua miſit Serenitas Dilectos Filios Maioricenſem, & ..... Vicenſem Cappellanum noſtrum: jam enim cum duobus tractatus proceſſerat ſuper Regno Sardiniæ, chariſſimo in Chriſto noſtro Carolo Rege Siciliæ Illuſtri, & dilecto Filio nobili viro Henrico Fratre chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Regis Caſtellæ illuſtris. Eſt & alia tarditas in negotio, quoniam inter moras illius partem amiſimus Judicatum videlicet Turritanum, per quem dare poteramus ingreſſum ei, qui conveniret nobiſcum. Unde tuam magnitudinem non lateat, quod nec tibi illud concedere poſſemus, nec ad præſens id dabimus alterutri de prædictis.*

XXXIX. At vero Sardoum Regnum, quod tunc nulli ſe daturum pollicitus eſt Clemens, triginta poſt annos fiduciario jure conceſſit laudato Jacobo, ſuiſque poſteris Bonifacius VIII., nonnullis exactis ab illis conditionibus, nonnulliſque impoſitis oneribus (5), quod ipſis confirmavit quoque anno MCCCIV. Peruſiæ Beatus Benedictus XI., & alii Pontifices, öccaſione, qua Aragonum

(1) Apud Raynald. *T. III. ad an.* 1258. *n.* 29., *& ſeq.*
(2) V. Raynald *T. III. ad an.* 1267. *n.* 17.
(3) Exſtat. apud Mart. & Durand. *T. II. Theſ. Novi Anecdot. col.* 438.
(4) Apud Raynal. *T. III. ad an.* 1267. n. 17. *pag.* 208. *Edit. Manſ.*
(5) V. Diplom. apud eundem Raynal. *T. IV. ad an.* 1297. *n.* 2. *& ſeq.*

Reges cuilibet Maximo Sacerdoti recenter electo jura Sardiniæ, ut convenerant, referebant accepta. (1) Præfatus Bonifacius non tantum Sardiniam Jacobo conceſſit, verum etiam eundem elegit, ut teſtis eſt S. Antoninus, (2) *Admiraldum, & Vexilliferum Eccleſiæ in mari, quando fieret claſſis, & expeditio contra Saracenos ad conqueſtum Terræ Sanctæ.*

XL. Ludovicus Antonius Muratorius carpit, ſugillatque Bonifacium ob nimiam erga Jacobum liberalitatem; ſiquidem huic Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ dedit, in quibus (opinatur ille) nihil omnino erat, quod Pontificii eſſet juris (3): ſed dubio procul errat longe Muratorius; enim vero ut præteream, ne videar actum iterum agere, laudatas Inſulas Eccleſiæ donatas a Ludovico Pio Imperatore, Sardiniam ei legatam quoque fuiſſe a pluribus Judicibus, ut ſuo loco dictum eſt, utramque Inſulam ad Romanum ſpectaſſe Pontificem probant Diplomata cum Rodulphi Imperatoris, tum Principum Imperii, quorum alterum anno MCCLXXV., alterum MCCLXX. datum eſt. In iis enim Imperator aperte teſtatur, Romanum Pontificem Sardiniæ, & Corſicæ Dominum fuiſſe, & Principes Imperii idipſum communi ſuffragio confirmarunt (4) Quare mirum profecto, Muratorium, qui nocturna, diurnaque manu verſabat cujuſcunque generis, & ætatis, cum primis vero medii ævi Diplomata, nunquam omnino incidiſſe in ea, quæ a nobis laudata ſunt, ex quibus certe perſpexiſſet falſum penitus eſſe, quod ab ipſomet memoriæ proditum eſt.

XLI. Sed redeamus illuc, unde divertimus. Quamquam Jacobus Rex Aragonum in perpetuum *feudum* Sardiniam ab Romano Pontifice accepiſſet, tamen poſſeſſionem inire nequibat, eo quia eadem ferme tota, licet invita (5) erat in Piſanorum, & Januenſium poteſtate, quibus partem ejus conceſſerant Piſani ipſi anno MCCXCIX. (6), quo inita cum illis pace omnem memoriam diſcordiarum præteritarum oblivione ſempiterna deleverunt. Quocirca Jacobus per litteras Bonifacium

(1) Adeundi Raynal. *T. IV. ad ann.* 1304. *n.* 16. *ad an.* 1305. *n.* 8., *& ſeq. ad annum* 1306. *n.* 10., *& ſequent.* Hieron. Surita *T. I. l.* 5. *de los Annal. de la Corona de Aragon cap.* 65.

(2) *Parte III. Hiſt. l.* 20. *c.* 8. *§.* 5. *Fol.* 68. *Edit. Lugd.* 1543.

(3) *T. VII. Par.* 2. *degl' Ann. d'Italia ad an.* 1297. *pag.* 346. *Edit. Rom.* hæc habet: *Bonifacio VIII. aprì gli ſcrigni della confidenza, e liberalità Pontificia verſo di lui* (Jacobum Argonum Regem) *con inveſtirlo della Sardegna, e Corſica, dove egli non poſſedeva un palmo di Terreno.*

(4) Utrumque exſtat apud Raynald. *T. IV.*, primum *ad an.* 1275. *n.* 38. ſecundum *ad an.* 1279. *n.* 6. Hoc ſuo authographo ſimilius refertur ab Auctoribus *del Giornale de' Letterati di Roma T. VI. art. XI. pag.* 149., *& ſeq.* quod ajunt, ſe accepiſſe a Dominico Paſſionei Scientia, ac dignitate Eminentiſſimo. Seorſim etiam quilibet Princeps Electoralis Rodulphi Diploma ratum habuit. Baronius *ad an.* 996. *n.* 45. *T. XVI. Edit. Manſ.* refert Diplom. Ludovici Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ dat. an. 1279. 14. Cal. Aprilis.

(5) Invita, ut ajunt, minerva, ineunte ſæc. decimoquarto, Sardos Piſanis obtemperaſſe liquet ex verbis Albertini Muſſati *l.* 13. *de Geſtis Henr. Cæſaris T. VI. Par.* 2. *Theſa. Antiq. Italiæ Barmanni* col. 163. *His fere diebus* (circa initium menſis Maii an. 1. Imperii) *Cæſari innotuit Gaduccium Gallum Piſanum in Sardinia Vicarium, qui per montana Galluræ gravibus Sardos exactionibus vexabat, ab eiſdem interfectum cum* 30. *ſuæ comitivæ ſequacibus, ipſoſque Sardos violenta compulſos contribuendi moleſtia ad rebellionem erectos.*

(6) V. Villan. *Hiſt. Fiorent. l.* 8. *c.* 30. *T. XIII. ſcript. Rerum Ital. col.* 363.

cium VIII. oravit, ut Piſanos, Januenſeſque hortari vellet ad Sardiniam ultro deferendam. Regiæ voluntati obſequtus eſt Pontifex anno MCCCIII. duabus ſcriptis epiſtolis, una Sardis, ut clientelæ Aragonum Regis ſe committerent, altera Piſanis, ut Sardiniæ Imperium Jacobo Regi concederent (1) At Pontifex verba dedit mortuo; tantum enim abeſt, Piſanos morem geſſiſſe, quin potius reſponderunt, ſe paratos eſſe ad Sardiniam tuendam etiam armorum vi.

XLII. Jacobus Rex conſilium cœperat ingenti comparata claſſe cum Piſanis in Sardinia morantibus inire certamen, ſed, ut inquit Zurita (2) non multo poſt mentem ſuam immutavit, vehementer metuens, ne Caſtellæ Rex in Aragonenſe Regnum irrueret, ſatiuſque eſſe duxit occaſionem opportuniorem ad bellum inſtituendum præſtolari. Interea cum Jacobus an. MCCCV. eſſet apud Montem Peſſulanum, ubi Clem. V. moram pariter trahebat, ab eodem opem poſtulavit, quo Sardinia hoſtili expugnatione potiri poſſet, cui Pontifex ad quatuor annos totius Regni decumas conceſſit; atque harum colligendarum Provincia Epiſcopo Valentino demandata fuit (3).

XLIII. Occaſio ad Sardiniam debellandam, quam Aragonum Rex exſpectabat, ſibi oblata eſt anno MCCCXXIII. Per idem namque tempus Hugo Arboreæ Toparcha repente in Piſanos Sardiniam poſſidentes irruit, ac tot eorum necavit, trucidavitque, ut cædes magis, quam pugna videretur. Hæc, ut intellexit Alphonſus Jacobi Filius Sceptri Aragonii hæres, cum laudato Toparcha ſocietatem coivit; & valida claſſe in Inſulam tranſvectus cum Piſanis conlatis ſignis, Sardiniam ferme totam, iiſdem pulſis, ſuperatiſque, in ſuam redegit poteſtatem (4) Anno MCCCXXIV. Piſani, per nobiliſſimum Virum Barnabam Auriam, pacem ab Aragoniis efflagitarunt. Hi eam conceſſere Piſanis, dummodo ſponte cederent Civitatem Calaritanam, quam paullò poſt denuo receperunt ab Aragonum Rege jure fiduciario una cum aliis locis, de quibus agit Villanius (5): verum cum bellum rurſus ſuſcepiſſent Piſani, & Aragonenſes vel hoc eodem anno, ut videtur indicare Auctor Chronici Ulianenſis (6), vel anno ſequenti, ut literis conſignavit Raynaldus (7); Alphonſus Aragonenſium Dux Inſulam omnem ſub jugum miſit, non modico tamen inſumpto tempore *in Calaris expugnatione, quam non minori conſtantia patientiaque laboris, quam viribus cæpit poſt multas oppugnationes, civibus, & Piſanorum multis equitibus, qui pertinaciter propugnabant, occiſis* (8): atque huic quindecim circiter annos, quibus poſtea vixit, pacificè dominatus eſt. Ve-

rum

(1) Exſt. apud Raynald. *T. IV. ad an.* 1303. *n.* 29.

(2) *L.* 5. *cap.* 62. *opp. indic. Fol.* 418.

(3) Confer. Raynal. *ad an.* 1305. *n.* 10.

(4) Raynald. *T. V. ad eum an. n.* 37. *pag.* 235. *Edit. Manſ.*

(5) Adi--Sis Indicem Rerum ab Aragonum Regib. geſtarum *T. III. Hiſpaniæ Illuſtratæ l.* 2. *pag.* 167. Confer etiam Villan. *Hiſt. Fiorent. l.* 9. *c.* 259. *col.* 759. *apud Murat. de Scrip. Rerum Ital. Tom. XIII.*

(6) Exſt. apud Petrum de Marca *in Marca Hiſpan. col.* 759. *Edit.* 1688.

(7) *T. V. ad annum* 1325. *n.* 17.

(8) Lucius Marineus Siculus *l.* 9. *de Rebus Hiſpaniæ pag.* 860. exſtat *T. II. Scrip. Rerum Hiſpan. Edit. Francof.* 1579. Villanius illius temporis auctor *loco modo cit.* ait Calarim ſponte ſe

dediſſe

rum Regnum adminiſtrante Petro ejus Filio turbæ, rebelliones, ac bella plura orta ſunt, in primis anno MCCCXLVII. Per idem enim tempus Aurienſes, qui Sardiniam incolebant, & a Rege defecerant, aliique Genuenſes Quirræ Caſtellum tunc ſatis munitum, ac in ora maritima poſitum adorti ſunt, quod expugnare non poſſe ſentientes arma verterunt adverſus Terram novam, & alia maritima oppida ex Olbiæ vetuſtæ Urbis reliquiis conſtructa, quæ ab ipſis capta, ac depopulata ſunt (1). Variavit tamen fortuna Petro per ſeipſum in Sardiniam tranſvecto; nam anno MCCCLIII. die 25. Auguſti cum Venetos ſibi adjunxiſſet, Genuenſes profligavit, & licet eodem anno, renovato bello, a Mariano Judice Arboreæ tot cladibus affectus fuerit, ut præter Caſtri Arcem, totam amiſerit Sardiniam (2), tamen anno ſequenti, inita cum Mariano pace, & ſparſis in vulgus falſis vocibus, Januenſes in oriente victos fuiſſe, & hos, & Sardos rebelles ſuperavit (3).

XLIV. Inter pactiones, conditioneſque, quas Bonifacius VIII. ab Jacobo, ac ſuis poſteris, in concedendo eis Sardico Regno, exegerat, una erat, ut quotannis recurrentibus SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli ſolemniis *pro ipſo Regno cenſum duorum millium marcarum argenti bonorum, & legalium Sterlingorum* (4), Romano Pontifici ſolverent, alioqui Regnum amitterent (5). Per plures annos promiſſis ſteterunt, ſed temporum lapſu Petrus Rex, primum ad ſolvendum renitentem ſe exhibuit; dein nullo modo pactum ſervare voluit. Quare Urbanus V. anno MCCCLXV. diem illi dixit, & pridie Idus Martii, & iterum V. Idus Junii, quod fidem publicè datam feſelliſſet. Cum in Judicio non ſtitiſſet, Pontifex conſtituerat eumdem excommunicatione, & privatione Regni, Sardiniam interdicto punire, ſed perorante Franciſco Heredia, qui apud Sanctam Sedem Petri laudati negotia tractabat, animum ab his avertit Urbanus, ac præterea vadimonium uſque ad diem decimam octavam Auguſti, diſtulit. Vivebat per eos dies in Sardinia quidam Judex, qui opibus multum poterat; & illi quam facillimum erat Sardos pellicere, ac in ſuas partes trahere. Vehementer timuit Petrus, Pontificem in præfatum Judicem Regni dominatum transferre; unde his ſtimulis excitatus, Fran-

dediſſe Aragonenſibus. Idem ſentit Zurita apud Papebrochium *T. V. Maii in Actis Lucif. Calarit. ad diem* 20. *c.* 9. *n.* 103. *pag.* 217., ac præterea ſcribit, Alphonſum, mortuo Patre, an. 1328. compenſare cupientem Calarit. ob tantum obſequium, eoſque ſibi arctius obſtringere, privilegia, quæ antea habebant, confirmaſſe: qua occaſione, idem Papebrochius exiſtimat, S. R. E. Confalonerii titulum, quem, ut cum S. Antonino diximus, Bonif. VIII. Jacobo Arag. Regi conceſſerat, a Petro in Archiepiſ. Calaritan. translatum fuiſſe.

(1) Confer Indicem Rerum ab Arag. Regibus geſt. paullo ante laud. *l.* 3. *pag.* 178.

(2) Vid. Raynald. *T. VI. An. Eccl. ad eum annum n.* 10.

(3) Idem Raynald. *eodem T. ad eum an. n.* 14. *pag.* 598. *Edit. Manſ.* Adeundus item Franc. Tarapha *de Reg. Hiſp. in Petro T.* 1. *Hiſp. Illuſtratæ pag.* 563. *Edit. Francof.* 1603.

(4) De ejuſmodi Marchis agit cl. Cangius *T. IV. Gloſſ. Mediæ, & Infimæ Latin. Edit. Maurin.*, ubi animadvertit eaſdem eſſe, ac Marcas Anglicanas. Marcam argenti in Anglia ex antiqua conventione valuiſſe IV. Florenis auctor eſt Jacobus Grimaldi apud Eruditiſſimum Muratorium *Diſſ. de diverſis pecuniæ Generibus pag.* 109. *Exſtat Parte* 1. *Diſs. de Monetis Collect. a Philippo Argelato.* Idem Cangius ſcribit, ſæculo 13. Marcam unam Anglicanam valuiſſe 13. ſolidis, & 4. denariis.

(5) Leg. Diplom. Bonif. VIII. apud Raynald. *T. IV. ad an.* 1297. *n.* 3.

Digitized by Google

Franciſcum Juriſperitum Avenionem miſit, eumque Regia inſtruxit auctoritate, ut ſuis verbis Sardiniam Romano Pontifici referret acceptam, quod perſunctus eſt Franciſcus coram Ampliſſimo Cardinalium Senatu (1).

XLIV. Rebus ab Aragonenſibus cum Romano Pontifice compoſitis, Sardinia in eorundem fuit poteſtate uſque, donec extincta ipſorum proſapia, paullo poſt initium ſæculi decimi ſexti illam hæreditavit Glorioſiſſimus æquè, ac Piiſſimus Carolus V. Nobiliſſimæ Gentis Auſtriacæ germen, qui, & totius Hiſpaniæ Regno, & Romano Imperio poſtea potitus eſt. Carolus verò poſtquam æterno ſibi comparato nomine ob res cum in toga, tum in armis præclarè geſtas anno MDLV. mundi honoribus animo heroico terga dedit, Philippo Filio eandem conceſſit, quem Hiſpanorum Monarcham etiam conſtituit.

XLV. Non ſum quidem neſcius, clavum Regni tenentibus Aragonenſibus multa memoria digniſſima eveniſſe in Sardinia, quæ ſi vellem ſingula perſequi, tempus me deficeret. Itaque nihil dico de rebellionibus ibidem factis circa finem ſæculi decimi quarti (2); prætereo bella, quæ ineunte ſæculo decimo quinto Duce Martino Siciliæ Rege in Civitate Calaritana vita functo acciderunt (3), & alia ſexcenta omitto, propterea quod & meum inſtitutum non videtur hæc adeo poſtulare, ut ſi miſſa fiant, manca oratio dicenda ſit: & a me brevitas exigitur, quæ mihimet ipſi hac in re amiciſſima eſt. Illud duntaxat in præſentia adnotare lubet, per mortem Caroli Secundi, qui ex ſtirpe Philippi ſupra memorati poſtremus Hiſpaniæ eſt dominatus, anno MDCCVIII. in poteſtatem Caroli III. item Auſtriaci, tunc Hiſpaniarum Regis Sardiniam veniſſe; huic in Cæſarem jam electo, dum anno MDCCXVII. nihil omnino hac de re cogitaret, ſed adverſus infenſiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes Turcas, in Ungaria proſperum bellum gereret, præter omnium fidem eripuit Philippus V. Rex Catholicus, a quo anno MDCCXX. (4) die 17. menſis Februarii conceſſa eſt Victorio Amadeo Sabaudiæ Duci, cujus invictus Filius noſtra ad hæc uſque tempora ſuum in eandem exercet Imperium.

XLVI. Quoniam non ſemel ante hac de Judicibus, qui Sardiniæ dominati ſunt, verba habui, opere pretium me facturum eſſe reor, ſi anteaquam præſenti hiſtoricæ narrationi finem impono, ſeriem eorum texerim. Non dubito fore pleroſque, qui hoc opus ceu ſupervacuum judicent, quod de iis egerint alii Hiſtorici, cum primis ve-

rò

(1) Hæc omnia conſtant ex monumentis apud Eruditiſſimum Raynald. *T. VII. ad an. 1365. n. 11. & ſeq. pag. 115., & ſeq. Edit. Manſ.* Acta autem forenſia hac occaſione adverſus Petrum confecta reperiri M. SS. in Arce Sancti Angeli teſtis eſt cl. de Montfaucon *in Biblioth. Biblioth. M. SS. T. 1. pag. 211.*

(2) De his agunt Mariana *de Rebus Hiſpaniæ l. 18. c. 16. pag. 751. cap. 18. pag. 753., & alibi exſtat T. II. Hiſpaniæ Illuſt.* Hieron. Blanca *Comment. Aragon. Regum T. III. Hiſp. Illuſt. pag. 676.* Verum hi obiter tantum. Qui prolixius in hoc argumenti genere verſantur, ſunt Hieron. Surita *T. II. Annal. Arag. l. 10. cap. 41. fol. 391.* Vicus *T. 11. Hiſt. General de la Isla, y Reyno de Sardeña Parte 5. c. 29. Fol. 111., & ſeq. Ed. Barchinon.*

(3) Conſule Marianam cit. *l. 19. c. 19. pag. 775.* Blancam laudat. *pag. 681.* Laurentium Vallam *lib. 2. de Geſtis Ferdinandi R. Arag. exſtat T. II. Scrip. Rerum Hiſpan. pag. 1033.* cum primis Vicum *app. indic. c. 31. fol. 118., & ſeq.*, ac Suritam *Opere indic. l. 10. c. 86. fol. 449. cap. 88. fol. 452.*

(4) Confer. Murat. *T. XII. Par. 1. degl' Annal. d'Italia ad eos annos pag. 80. 138. 160.*

rò Franciſcus Vicus (1). Sed hi erunt ferè, qui nihil rectum, niſi, quod ipſi faciunt, ducunt. Hi, ſi animadverterint, alios Hiſtoricos, obiter tantum, ut ajunt, nonnullorum meminiſſe; Vicum autem plures omittere, ex numeratis a nobis; quos laudat, nullo antiquo monumento fulcire, adeo ut Lector ſemper anceps hæreat, an ex hiſtoriæ veritate, an ex arbitrio illos referat, & quod ad eorum ætatem attinet, ſæpe ſæpius turpiter errare; non improbabunt laborem meum.

XLVII. Ante ſæculum decimum fuiſſe in Sardinia Judices ex Sancto Gregorio Magno (2) & Anaſtaſio Bibliothecario certiſſime conſtat (3). Explorata item res eſt, in eadem exſtaſſe, poſteaquam Sardum ſolium conſcenderunt Aragonenſes, ſed de neutris agere volo. De illis tantum ſermonem inſtituere in animo habeo, qui ab eo tempore vixerunt, quo Piſanorum opera, & virtute in quatuor Dynaſtias, ut alias diſſeruimus, Sardinia diſpertita eſt, uſque ad annum, quo Jacobus Rex eam debellavit.

XLVIII. Neceſſe eſt Lectorem admonere, quod ego tantum non mihi-ſumo, neque arrogo, ut exiſtimem hanc Judicum Sardiniæ ſeriem integram, omnibuſque numeris abſolutam futuram eſſe. Nam antiqua præfatæ Inſulæ Hiſtoria adeo implicata eſt, ut vel ipſe Muratorius (4) faſſus ſit, ſibi parum fuiſſe perſpectam, tametſi in omni ferme ſcientiarum genere, in primiſque in hiſtoria medii Ævi ita verſatus erat, ut excelleret. Ordiar a Judicibus Calaritanis, non ſolum quod Calaris Urbi, ſive antiquitas, ſive dignitas, ſive nobilitas ſpectentur, inter alias Inſulæ Civitates primæ ſine controverſia ſint deferendæ; verum etiam, quod Judex Calaritanus princeps aliorum fuerit; *unde ipſe juramentum fidelitatis præſtabat* (Romano Pontifici) *pro ſe, & aliis Judicibus* (5); dicam deinde de Judicibus Arborenſibus: tum de Turritanis: poſtremo de Gallurienſibus.

§. I.

DE JUDICIBUS, SEU REGIBUS CALARITANIS.

I. Guillelmus.

Marchio, Dominus Corſicæ, & Judex Calaritanus primus eſt, qui nobis occurrat, poſteaquam Sardiniam deſeruere Saraceni. Is, uti ex charta apud cl. Muratorium conſtat (6) anno MXIX. plura dona conceſſit Monaſterio Sancti Mamiliani Inſulæ Montis Chriſti, quod ad PP. Camaldulenſes ſpectat.

II. Hugo.

Dominus ſimiliter Corſicæ, & Judex Calaritanus anno MXXI. multis bonis locupletavit Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Canovaria & Simonem præfati Monaſterii Abbatem. Hugonis Diploma exſtat apud Muratorium (7) qui hoc, non ſecus ac aliud inter ea recenſet, quorum pleraque omnia, non ad illum an-

(1) *T. II. Hiſt. Sard. Par. 4. c. 33., & ſeq.*
(2) *V. ejus Epiſt. 41. lib. 5.*
(3) *In Vita Nicolai I. pag. 217. Ed. Pariſ. 1649.* inter Scriptores Hiſt. Byzant.
(4) *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ. 32. col. 1062.*
(5) Gonzalez *in not. ad l. 2. Decret. tit. 24. cap. 22.*
(6) *Opere nuper laud. col. 1071.*
(7) *Ibidem col. 1073.*

annum, quem numeri exhibent, ſed ad ſæculum duodecimum, & decimum tertium ſpectare opinatur (1). Verum, præfata Diplomata, maxime ſecundum, de quo magis dubitare videtur Vir Eruditiſſimus, horum eſſe temporum probant celebres Annalium Camaldulenſium Auctores Mittarelli, & Coſtadoni (2).

III. Torquitor.

Hujus Judicis mentio fit in charta ab Eraſmo Gattola relata, quæ his verbis incipit: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni. Anno ab Incarnationis ejus MLXVI. Regnante Domino noſtro Torchitori Rex Sardiniæ de loco call. una cum Uxor ſua Domina Veri &c.* (3). Vivebat etiam anno MLXX., uti manifeſtum fit ex altera charta apud Muratorium (4), in qua Judex Calaritanus nuncupatur.

Vix, ac ne vix quidem ambigo, Torquitorem, de quo in præſentia loquimur, illum ipſum eſſe, qui ſæculo Eccleſiæ undecimo Calaritanam regebat Provinciam eo tempore, quo in lucem venit Sanctus Georgius Suellenſis Epiſcopus; prout ex ejus Actis apud Papebrochium (5) exſtantibus, auctore quodam Paullo, colligitur; quorum priora verba hæc ſunt „ Quo tempore „ tota Sardinia in quatuor partes erat „ diviſa in Calaritanam, Arborenſem, „ Gallurenſem, & Lugdoriam, ſingulæ ſingulis commendatæ Judicibus, „ factum Dei munere, dum Torquitor „ Judex Calaritanæ Provinciæ teneret „ Principatum, ut B. Gregorius lucem „ hanc introiret „

IV. Orzoccor.

Ad eum ſcripſit Sanctus Gregorius VII. Romanus Pontifex anno MLXXIII. ſecundo idus Octobris, & decimo ſeptimo Calendas Februarii, nec non anno MLXXX. tertio nonas menſis primo citati (6).

V. Arzo.

Succeſſit Orzoccori. Is Monaſterium Sanctorum Georgii, & Geneſii fundavit pro Monachis Caſſinenſibus. Compertum hoc habeo ex Diplomate Conſtantini (7), quo anno MLXXXIX. Patris ſui Arzonis donationem confirmavit „ Notum ſit omnibus Fidelibus „ Dei, quod ad honorem Sanctorum „ Arzo Rex, & Judex Karalitanus cum „ Uxore ſua Domina Vera, & cum „ Conſtantino Filio ſuo, voluntate „ Dei Judice conſtituto, & cum aliis „ Filiis ſuis...... pro peccatis ſuis, & „ Parentum ſuorum, & ſtabilitate Regni mei Eccleſiam Sancti Georgii „ de Decimo, & Eccleſiam Sancti Geneſii *conceſſit*... conſentiente, & laudante Kalaritano Jacob, ut perpetuum eſſet Monaſterium „.

Eruditiſſimus Edmundus Martene in

D Ad-

(1) *Eodem loco col.* 1078.

(2) *T. I. Ann. Camald. ad an.* 1021. *pag.* 405.

(3) *T. I. Par. I. Hiſt. Abbat. Caſſ. pag.* 154. Ex hac exploratum eſt, longe erraſſe clariſſ. Berrettam, qui *in Tabula Chorograph. medii Ævi T. X. Script. Rerum Italic. ſect. 6. col.* 34. ſcribit, ante ann. 1164. nullum in Sardinia extaſſe, qui *Rex* vocaretur. Eadem veritas magis aperta fiet ex iis, quæ poſthac narrabimus.

(4) *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ.* 32. *col.* 1053.

(5) *T. III. Aprilis ad diem* 23. *n.* 3. *pag.* 215.

(6) Lege *Epiſt.* 29. 41. *lib.* 1. *Epiſtolam* 10. *lib.* 8. *Sancti Gregorii* apud Harduinum *T. VI. Par.* 1. *Collectionis Conciliorum*.

(7) Exſt. apud Martenium, & Durand. *T. I. Vet. Monument. col.* 523.

Additionibus, & Correctionibus ad Tom. V. Annalium Benedictinorum (1) ſcribit, hoc Monaſterium anno MLXXXIX. fundatum fuiſſe. At ego, id ante præfatum annum accidiſſe firmiter credo. Enim vero Arzo laudabile opus geſſit tempore, quo Calaritanam Eccleſiam gubernabat Jacob, qui & illi conſenſit, & etiam celebravit, *conſentiente, & laudante Kalaritano Jacob*. Anno autem memorato non Jacob, ſed Lambertus Calaritanus Archiepiſcopus erat, quemadmodum ex altero Conſtantini Diplomate (2) fit manifeſtum; imo arbitror, anno MLXXXIX. Arzonem jam e vita migraſſe, tum quia is Conſtantini Diplomati primò memorato non ſubſcribit, tum etiam quia ex eodem patet, Conſtantinum ipſum Regni habenas per illud tempus eſſe moderatum. Dicitur enim Dei voluntate Judex conſtitutus. Porro licet Judicum Filii primogeniti vivente Patre *Judicis*, & *Regis* titulo decorarentur, quoniam Genitori ſubrogari debebant, tamen ante Patris obitum Judices conſtitutos appellatos fuiſſe nunquam me legiſſe recordor.

VI. Constantinus I.

Non ſecus ac Pater ſummo amore Caſſinenſes Monachos eſt proſequutus. Anno, quem ſupra indicavi, fundavit pro ipſis Monaſterium Sancti Saturnini, cui etiam dono dedit *Eccleſiam Sancti Antiochi, quæ eſt in Inſula de Sulſis, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quæ eſt in Palma, & Eccleſiam Sancti Vincentii de Sigberre, & Eccleſiam Sancti Evisi de Mira, & Eccleſiam Sancti Ambroſii de Ista, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Gbippi, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Arco, & Eccleſiam Sancti Eliæ de Monte cum omnibus, quas habere videntur, vel ad eas pertinent mobilibus, & immobilibus, terris tam cultis, quam incultis, vineis, pratis, ſilvis, paſcuis, ſervis, & bancillis, cum omnibus animalibus ejus, Jumentis, Bobus, Vaccis, Ovibus, Ircis, Capris, Porcis* (3) Hugo Archiepiſcopus Calaritanus utriuſque Monaſterii fundationem confirmavit anno MLXXXX. die vigeſima ſecunda menſis Aprilis (4).

Fuiſſe autem tempus, quo Conſtantinus noſter malam agebat vitam, fit manifeſtum ex ipſius epiſtola, quam ex PP. Martene & Durand (5) hic recitabimus, quaque in bonam ſeſe recipere frugem pollicetur „ Ego, in „ Dei nomine amen Conſtantinus Rex, „ & Iudex Sardiniæ ob remedium animæ meæ, & parentum meorum „ omnes peſſimas conſuetudines anteceſſorum meorum, & aliorum Principum Sardiniæ, ſcilicet concubinarum, homicidii, conſanguinitatis, in „ manu Dei Omnipotentis, & Beati „ Petri relinquo, & refuto; ipſos „ etiam Epiſcopatus, & Eccleſias, ac „ Presbyteros in honorem Dei, & B. „ Petri canonice ordinandos relinquo. „ Decimas etiam, ac primitias ab hac „ die in ac antea me fideliter reddi„ turum promitto.

VII. Turbinus.

Tametſi Marianus Conſtantini Natus Judex, & Rex dictus ſit Genitore etiam vivente (6), tamen proxime ei ſubſti-

(1) Exſt. ad calcem *T. VI. pag.616. Ed. Pariſ.* 1739.
(2) Apud Mart. & Durandum *Opere cit. col.* 525.
(3) *Loco nunc deſignato.*
(4) Confer ejus Diploma apud eoſdem Mart. & Durand *Op. indicato col.* 528.
(5) *Opere cit. col.* 526.
(6) V. Diploma Conſtantini apud Mart. & Durand *col.* 524.

ſuſtitutus non fuit. Anno enim MCIII. defunćto jam Conſtantino Judex Calaritanus erat Turbinus ejus Frater ſumma neceſſitudine Piſanis conjunćtus (1).

VIII. Marianus.

Turbino ſucceſſit Marianus, cujus nuper meminimus, eratque Judex anno MCXII., quo bona omnia a propriis Genitoribus Benedićto, & Virgilio Epiſcopis Dolienſibus conceſſa Monaſtero Maſſilienſi Sanćti Vićtoris, & Beato Saturnino Martyri confirmavit, Ego „ itaque Marianus Judex Kalaritanus „ omnia, quæ a ſupranominatis Epiſco- „ pis Deo, & S. Vićtori Maſſilienſi, & „ B. Saturnino Martyri oblata, & con- „ ceſſa ſunt, & quæ prius a Matre „ mea, & Patre meo Domino C. Ju- „ dice eidem Sanćto Saturnino ſimili- „ ter conceſſa ſunt; ita & ego cum „ Domino P., & cum Domino C. Filio „ noſtro omnia in omnibus laudo, & „ confirmo; atque cum Domino Co- „ mita, & Domino Gonnari, & Do- „ mino Petro, & Domino Dorbini Avun- „ culis meis, & cum Fratribus meis „ germanis Yttochor, & Therkis, & „ cum omnibus Fratribus meis hæc „ omnia teſtifico, & ut perpetualiter „ ita permaneant; pleniter cenſeo. „ Quod ſi aliquis Regum, ſive Judi- „ cum, vel ſucceſſorum meorum, aut „ aliqua Perſona hanc donationis, at- „ que offertionis cartam infringere, „ atque imminuere voluerit, non hoc „ valeat vindicare, ſed a liminibus „ ſanćtæ Eccleſiæ ſequeſtratus, atque „ anathematis vinculo obligatus iram „ Dei omnipotentis incurrat, hac car- „ ta firma, & ſtabili permanente „

Marianum vixiſſe quoque anno MCXIX. explorata res eſt; quippe ex certiſſimis monumentis apparet, per idem tempus rogaſſe Willelmum Archiepiſcopum Calaritanum, ut Sanćti Saturnini Eccleſiam conſecraret (2); ſed ad quem uſque annum ſpiritum duxerit, mihi non conſtat.

IX. Constantinus. II.

In locum Mariani ſubrogatus eſt Conſtantinus ejus Filius. Quo anno regnare cœperit non liquet. Eruditiſſimus Martene (3) teſtificatur, adfuiſſe concordiæ faćtæ anno MCLXIII. inter Archiepiſcopum Calaritanum, & Monachos Caſſinenſes. Paullo poſt abiit e medio.

Regni clavum tenente Conſtantino, anno nimirum MCLII., aućtor eſt cl. Sigonius (4), Fridericum I. Imperatorem Sardiniam, quam Eccleſiæ Romanæ abſtulerat, ſibique uſurpaverat, dono dediſſe Velfoni avunculo ſuo. Certe in quodam Diplomate anni MCLX. apud Ughellium (5) ejuſdem Inſulæ Princeps inſcribitur. Is moriturus Sardiniam eidem Friderico, a quo illam acceperat, legavit (6).

X. Petrus.

Anno MCLXIV. in locum Conſtantini, cujus Filiam in Matrimonio habebat, ſucceſſerat, quemadmodum conſtat ex Breviario Hiſtoriæ Piſanæ. Ejus Genitor fuit Gonnarius Judex Turritanus. Ad quem uſque annum Spiritum duxe-

(1) Id colligitur ex ejus charta apud Murat. *Opere nuper laud. Diſſert.* 32. *col.* 1055.
(2) V. Diplomata *apud Mart. opp. indic. col.* 628. 657.
(3) *Opp. cit. col.* 658. *in not.*
(4) De Reg. Ital. *l.* 12. *col.* 709.
(5) *T. III. Ital. Sac. in Arch. Piſ. col.* 399.
(6) Confer *ſupplem. Chron. Weingartenſis* apud Leibnitium *T. III. Script. Brunſvicenſium. pag.* 658. *Ed.* 1707.

duxerit Petrus compertum mihi non eſt. Illud ſcio, anno MCLXXVIII., quo Herbertus Archiep. Turrit. ſcribebat, vitam vixiſſe. Apparet hoc ex Fragmentis præfati Herberti (1), ex quibus pariter liquet, illum ſentire, Petrum ante annum MCLX. Regem factum eſſe: ſcribit enim, quod *Petrus illicò poſt diſceſſum Patris Regnum Calaritanum.... obtinuit*. Pater ex eodem fere ſtatim a S. Bernardi morte è Sardinia diſceſſit: *quod ipſo*, nempe Sancto Doctore, *vivente non egi, poſt ejus obitum implere feſtinavit*. Sanctus Bernardus juxta Chronologiam Mabillonianam e vita migravit anno MCLIII. Verum cum certum ſit, exploratumque, Conſtantinum anno quoque MCLXIII. in vivis fuiſſe, Herbertum nimis rem acceleraſſe dubitari poſſe non video.

XI. Gulielmus.

Marchio Maſſæ. De anno, quo regimen ſuſcepit, nihil certi, exploratique habeo (2). Quantum intelligere potui ex Epiſtola Innocentii III. ad Piſanos data (3), Piſis natus is erat. Neſcio qua de cauſſa ab Romano Pontifice excommunicationis pœna punitus fuit. Fœdere cum civibus ſuis ſancito peſſime habuit Archiepiſcopum, & Judicem Arboreæ (4), quod cum ad aures Innocentii veniſſet, eum acriter reprehendit, ut alio loco narravi. Guido Comes anno circiter MCCXII. commiſit gnatam ſuam uxorem præfato Gulielmo, quos inter quoniam *illa erat linea parentelæ, quæ... legitimum exiſtere conjugium* non permittebat, iccirco is ſupplicavit humiliter Pontifici, ut dignaretur *ſuper hoc Apoſtolico ſuffragio providere* (5) Ad quem uſque annum ſpiritum duxerit, fateor, me ignorare. Ex iis tamen, quæ dixi, compertum eſt, hallucinari Vicum, qui affirmans, anno MCCVI. regnaſſe Torquitorem, ponit, Gulielmum ante illud tempus deceſſiſſe.

XII. Benedicta.

Mortuo Gulielmo ſine maſculina Sobole, Benedicta ejus Filia Paraſonis Judicis Arborenſis Nati Conjux regimen ſuſcepit anno MCCXV. In Catalogo chartarum Tabularii S. R. E. anno MCCCLVI. Urbani V. R. P. juſſu confecto (6), hæc leguntur: *Homagium Praſſon* (Paraſonis) *Marchionis Maſſæ, & Judicis Kalaritani, & Benedictæ ejus Uxoris præſtitum Epiſcopo Kalaritano recipienti vice, & nomine Domini Innocentii Papæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Actum in Villa Scanigliæ in Palatio Epiſcopi Kalaritani anno Domini MCCXV. quartodecimo Kalendas Decembris, cum Bulla plumbea dicti Ducis*. Benedictam anno etiam MCCXXIV. tertio nonas Decembris vixiſſe, nemo, ut opinor, contra atque traditum a veteribus monumentis eſt, ibit inficias. Eo enim anno, quemadmodum apparet ex illius Diplomate ſpo-

(1) *T. II. Op. S. Bernardi col.* 1230.

(2) Vicus *Par.* 4. *cap.* 35. ſcribit, electum fuiſſe an. 1160., quod falſum eſſe apertiſſime conſtat Idem ipſe auctor in graviores labitur errores cum hiſtoricos, tum chronologicos de Gulielmi deceſſoribus loquens, quos ſi numerarem, mihi moleſtiam, Lectoribus vero non leve tædium afferrem.

(3) Exſtat *T. II. l.* 13. *n.* 193.

(4) V. Epiſt. Innoc. *T. I. lib.* 1. *n.* 329. *pag.* 183. *Edit. Balut.*

(5) Conſule *Epiſt.* 103. *l.* 14.

(6) Exſt. apud Murat. *T. VI. Antiquit. Medii Ævi Diſſ.* 71. *quæ eſt de Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque Eccleſ. potentia col.* 171.

ſpopondit Gotfrido Caſtilioneo Mediolanenſi in Sardinia, & Corſica Apoſtolicæ Sedis Legato ſolvere quotannis Romano Pontifici in Feſto omnium Sanctorum *duodecim libras argenti nomine cenſus pro Regno Calaritano* (1). Hoc ipſum narrat Auguſtinus Oldoinus (2).

Seraphinus Squirrus (3), auctoritate cujuſdam Diplomatis innixus ſcribit, memoratam Reginam cognominatam fuiſſe *de Lacono*, nonnullas poſſeſſiones Eccleſiæ Suellenſi donaſſe, illaſque eidem anno MCCXVII. die 13. Martii confirmaſſe Torquitorem ejus Conjugem Judicem Calaritanum. Hæc falſa eſſe oſtendunt cum ea, quæ nuper narravimus, tum Benedictæ ad Honorium III. litteræ, quas alibi retuli; hinc libere pronuncio, præfatum Diploma confictum eſſe, ſequutus Virum doctiſſimum, ac de re Diplomatica optime meritum Papebrochium (4) ita de hoc, aliiſque hujus generis Inſtrumentis loquentem: *jam aliquam antiquorum Inſtrumentorum dignoſcendorum peritiam nactis difficulter perſuadebitur, genuina eſſe, quæ iſtic indicantur Documenta, licet ex Archivio Calaritano deprompta dicantur.*

XIII. CHIANUS.

Franciſcus Vicus, quem nuper citavimus, poſt Torquitorem, ait Calaritanam rexiſſe Provinciam Conſtantinum ejus Natum; deinde Bareſonem, tandem illius Filium Gulielmum ſubrogatum anno MCCXXXVI. Vix animum inducere poſſum ad hoc credendum, tum quia alio loco narravi, eandem Provinciam per hæc tempora occupaſſe Ubaldum Civem Piſanum; tum maximè quia non levis eſt ratio ambigendi, laudatos Judices ex fabuloſis monumentis decerpſiſſe, non ſecus ac decerpſit Torquitorem. Sed de iis alii judicent. Chianus, quem Bartholomæus Scriba (5) Ælianum vocat, Regnum gubernabat ante annum MCCLXVI. Alibi (6) maximum ejus infortunium narravimus.

XIV. GULIELMUS.

Cognomento *Cepolla* ſucceſſit Chiano, cujus erat avunculus. Hic *ſocietate, ac fœdere cum Genuenſibus renovato Genuam venit, ſubitoque morbo correptus, Republica Genuenſi hærede nominata, deceſſit*, teſte Folieta (7). Tantam erga Januenſes liberalitatem non Gulielmo, ſed Chiano aſſignant vetera monumenta Piſana (8), quæ ab Eruditiſſimo Biſcionio olim Bibliothecæ Mediceæ Laurentianæ Præfecto accepta in lucem emiſit celeberrimus Muratorius.

Poſt Gulielmum nullus mihi occurrit Rex Calaritanus. Monumenta nuper indicata narrant, mortuo Chiano, Cives Piſanos in Sardiniam nonnullos miſiſſe, qui ea omnia recuperarent, quæ ille Republicæ Januenſi legaverat; ac Dynaſtiam Calaritanam conceſſiſſe nobiliſſimis Piſanis Civibus Comitibus Donoratici, qui nunc *della Gherardeſca* cognominantur, & Floren-

(1) Exſtat apud Murat. *ibidem col.* 7.
(2) *Tom. II. Addit. ad Ciaconium col.* 123. *edit.* 1677.
(3) Apud Papebroch. *T. III. Aprilis ad diem* 23. *in Actis S. Georgii E. Suell.*
(4) *Ibidem.*
(5) *Lib. 6. Annal. Genuenſ. col.* 582. *apud Murator. Tom. VI. Script. R. I.*
(6) *Num.* 36. *hujus Cap.*
(7) *Lib. 4. Hiſt. Genuenſ. col.* 360.
(8) *Tom. XV. Script. Rer. Ital. col.* 977.

rentiæ moram trahunt ; uſque ad annum MCCC. , quo ipſi a Piſano Senatu dominatione privati fuerunt (1). Exiſtimo tamen ſive Chiano, ſive Gulielmo vita functis , haud unum tantum, veluti antea , dominatum Calaritanæ Provinciæ eſſe . Memini namque , me legiſſe in Breviario Hiſtoriæ Piſanæ (2) , anno circiter MCCLVIII. illam in partes tres fuiſſe diviſam , quarum una obtemperabat Gulielmo Comiti Caprariæ , ac Judici Arborenſi, altera Joanni Judici Gallurienſi , tertia demum Ugolino , & Gerardo Comitibus Donoratici .

§. I I.

DE JUDICIBUS, SEU REGIBUS ARBORENSIBUS.

I. Marianus.

Si qua Vico (3) fides , prior Arborenſis Judex fuit Marianus.

II. Orzoccor I.

Arborenſe Regnum moderabatur Anno MLXXIII. , quemadmodum ex Epiſtola Sancti Gregorii Septimi Romani Pontificis eo tempore ad illum miſſa eſt exploratum (4) . Dicitur ſcripta hujuſmodi Epiſtola *Undecimo Idus Octobris* , quod mendum eſſe vident etiam Grammatici , ut qui non ignorant ab idibus octo dumtaxat dies denominari. Ex eo autem errorem irrepſiſſe arbitror , quod numerus diem deſignans duabus figuris ſimplicibus compoſitus cum fuerit romanus , creditus eſt arabus ; hinc *undecimo* pro *ſecundo Idus* Octobris ſcripſere , qui primum Epiſtolas Gregorianas ediderunt . Conjectura hæc , ex eo confirmari poſſe videtur , quod Epiſtola XXVIII. , quæ illam Orzoccori datam præcedit , dicitur miſſa *tertio Idus* præfati menſis.

III. Torpenus

Orzoccoris Filius eidem ſucceſſit Teſte Vico, id conſtat ex Mſ. perquam antiquo Oriſtani aſſervato . Is matrimonio ſibi conjunxit Annam *de Lacon* Turritanam .

IV. Orzoccor II.

V. Comita I. Oruu

VI. Januarius Lacon.

VII. Constantinus.

Hos Judices Dynaſtiam Arborenſem gubernaſſe , colligitur , inquit Vicus , ex antiquis monumentis . Conſtantinus fuit Januarii Filius . Eo ſine liberis mortuo Rex inſtitutus eſt ipſius germanus Frater .

VIII. Comita II.

Ubertus Folieta (5) Annalium monumentis mandavit, Comitam Judicem Arborenſem anno MCXXXI. plura conceſſiſſe bona ſacræ ædi Laurentianæ Genuenſi . Id ſecunda , ut ajunt, intentione feciſſe , vix dubito . Non enim

(1) *Col.* 984.
(2) Apud Murator. *T. VI. Opp. indic. col.* 193.
(3) *Par.* 4. *cap.* 34. *Fol.* 85.
(4) *Epiſt.* 29. *lib.* 1.
(5) *Lib.* 1. *Hiſt. Genuenſ. col.* 252.

enim me latet, ſola animi liberalitate, ac pietate, nunquam conſueſſe alios ditare, quin potius rem contra ſe habuiſſe eſt memoriæ proditum „ erat „ in Inſula Avorenſis (*Arborenſis*) Judex (*his verbis Cometæ mores deſcribit Angelus* (1) *Manrique*), cui „ libitum pro juſto, pro æquo utile, „ neque ſe Judicem populis conceſſum, ſed ſibi populos datos velut „ in prædam, juſtitiam pro arbitrio „ invertendam exiſtimabat. In hunc, „ ut mala facta retractaret, ablata „ reſtitueret, cum ex bono, & æquo „ non potuiſſet (*Balduinus Cardinalis* „ *Archiepiſcopus Piſanus*), anathema „ indixit infractus animo, neque humanæ Sapientiæ cedens. Quin & rebellem tandem loco amovit, Turritanum ſubſtituens, quem virum probum, & juſtitiæ cultorem etiam, „ qui non amabant, conteſtabantur.

Geſta a Balduino in Sardinia anno circiter MCXXXVI. adverſus impiiſſimum Judicem probavit Sanctus Bernardus (2) ad Eugenium III. Pontificem Maximum ſcribens: *Quæ ſanctæ memoriæ Balduinus Piſanus Archiepiſcopus fecit in Sardinia de excommunicatione Arvorenſis Judicis, quia nonniſi juſtè hoc virum bonum feciſſe credimus, veſtra auctoritate ratum, & inconcuſſum manere rogamus.*

IX. Bariſon.

Bariſon ſucceſſit Comitæ Patri ſuo, regnabatque anno circiter MCLIV. Per idem tempus cum Genuenſium ope Rex totius Sardiniæ Inſulæ conſtitutus eſset a Friderico Ænobarbo Imperatore, multas eiſdem ſe habere gratias oſtendit, pluresque fecit ſponſiones, quas ex Diplomate ab Eruditiſſimo Ughellio (3) publici juris facto colligere licet.

Poſt non multò amicitiam, quam cum Januenſibus inierat, Bariſon diſſolvit, etenim promiſſa ſervare non valens ab illis in carcerem conjectus eſt, quemadmodum Diſſertatione prævia, capite ſecundo, numero decimooctavo narravi. In vivis etiam erat anno MCLXXXII., quo Privilegium quoddam conceſſit Templo, Monaſterioque Sancti Nicolai *de Urgen*, ut ex charta apud Cl. Muratorium (4) fit manifeſtum: & Cœnobio Montis Caſſini dono dedit Eccleſiam Sancti Nicolai *de Gurgo* una cum omnibus bonis tam mobilibus, quam immobilibus ad eandem ſpectantibus: „ tali pacto, atque conventione (*verba ſunt Bariſonis*), ut duodecim ibidem ad Deo ſerviendum, „ ſi tamen ſupradicta Eccleſia hos ſuſtinere ſine ſui detrimento potuerit, „ dirigat Monachos, ex quibus tres, „ vel quatuor ita ſint litterati, ut ſi „ neceſſarium fuerit, in Archiepiſcopos, & Epiſcopos poſſint eligi, & „ etiam Regni noſtri negotia, ſive in „ Romana Curia, vel in Curia Imperatoris, & ubique valeant tractare; „ Si verò tantos ſuſtinere non potuerit prædicta Eccleſia, ſeptem, vel „ quantos ſecundum conſilium noſtrum „ viſum fuerit, tranſmittat (5).

X. Petrus.

Ughellio (6) Judice Regni clavum tene-

(1) *T. II. Annal. Ciſtercenſ. ad an.* 1146. *cap.* 2. *num.* 1.

(2) *Epiſt.* 245. *T. I. Opp. col.* 243. *edit. Mabillon.*

(3) *T. IV. Ital. Sacr. in Arch. Jan. num.* 27.

(4) *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſer.* 32. *col.* 1059.

(5) *Par.* 1. *Acceſſ. ad H. A. C. pag.* 266. Confer item *Conſtit. Lucii III. apud Montfaucon. Diario Ital. cap.* 22. *pag.* 328.

(6) *Opere, & loco nuper deſign.*

tenebat anno MCLXXXIX. Valde amicus, neceſſariuſque non ſecus, ac Bariſon ejus Genitor fuit Januenſibus; hinc Gulielmus Marchio Maſſæ, & Judex Calaritanus, nec non Piſani inter ſe fœderati eum Regno privarunt, atque in carcerem conjecerunt (1).

XI. Petrus II.

Filius alterius Petri modo memorati. Quo tempore Regni habenas moderari cœperit, neſcio. Tantum ſcio, anno MCCXXXVII. Arborenſi Dynaſtiæ dominatum eſſe (2).

XII. Hugo I.

Subrogatur Petro, cui erat propinquitate conjunctus.

XIII. Hugo II.

Poſt Patris mortem regimen ſuſcepit.

XIV. Comita III.

Hi tres Arborenſes Judices recenſentur a Vico; aliunde haud mihi innoteſcunt.

XV. Gulielmus.

Ex Breviario Hiſtoriæ Piſanæ (3) exploratum eſt, anno MCCLVIII. regnaſſe Gulielmum Caprariæ Comitem, qui etiam tertiam partem Dynaſtiæ Calaritanæ poſſidebat. In ea ſum opinione, ut ducam, ante præfatum annum Gulielmum Judicem inſtitutum fuiſſe. Nam monumenta Piſana (4) docent, Piſanos Cives anno MCCXLII. gubernandam tradidiſſe Provinciam Arborenſem Comitibus Caprariæ. Hæc me in dubitationem venire compellunt de veritate eorum Judicum, quos ex Vico nuper exhibui.

XVI. Marianus II.

Moderari cœpit Regnum Arborenſe anno MCCLXV., ſi Vico fides. Joannes Villanius narrat (5), Judicem Arborenſem ſub annum MCCLXXXII. Civem fuiſſe Piſanum, & Piſis habitaſſe, ſed quo nomine vocatus ille fuerit non indicat.

XVII. Joannes.

Ex Mariano genitus, eodem Vico teſte, ſucceſſit Patri ſuo anno MCCXCV.

XVIII. Tosoratus.

Monumenta Civitatis Piſanæ nuper indicata narrant (6), anno MCCC hujuſmodi regno privatum fuiſſe Toſoratum Florentinum ex nobiliſſima Ubertorum gente, ejuſque Filium Marianum ad eandem Urbem acceſſiſſe. Contra, Vicus patitur quidem, his temporibus Judicem fuiſſe Marianum, ſed eum dicit Filium Joannis cognominati *Serra* paullo ante citati. Iſtarum duarum opinionum quæ vera ſit, Deus aliquis viderit.

XIX. Hugo III.

Inter Judices, qui priuſquam Reges Aragoniæ tota Sardinia potirentur, Arborenſem Provinciam gubernarunt, poſtremus numerari debet. Averſiſſimo a Piſanis animo fuit, iiſdemque anno MCCCXXIII. circiter bellum intulit in Sardinia; & in cauſſa exſtitit, cur

(1) *Lege Epiſt.* 329. *l.* 1. *Innoc. III.*
(2) Confer hocce *cap. num.* 23. *&* 34.
(3) Apud Murator. *T. VI. S. R. I. col.* 193.
(4) Apud eundem *T. XV. col.* 977.
(5) Hiſt. Fiorent. *l.* 7. *cap.* 83. *col.* 293. *T. XIII. S. R. I.*
(6) *Col.* 984.

cur Inſulam amiſerint ab Aragoniæ Rege occupatam, quemadmodum narrat Joannes Villanius (1), qui tamen illius nomen reticet. Ut mea memoria eſt, legi in Indice Rerum ab Aragoniæ Regibus geſtarum (2), Hugonem Seram, aliàs Baſſum appellatum fuiſſe.

§. III.

DE JUDICIBUS, SEU REGIBUS TURRITANIS.

I. Marianus I.

Ab hoc Judicum Turritanorum ſeriem auſpicamur, non quod ante Marianum nullus alter fuerit, ſed quod is vixerit poſt diviſionem Sardiniæ in quatuor Dynaſtias, ſi Vico credimus (3), apud quem tantum nobis mentio iſtius occurrit. Plura conſtruxit ea in Inſula Templa, ut erat Vir religioſiſſimus.

II. Barison I.

Vivebat anno MLXIII. Erga Monachos Caſſinenſes admodum fuit liberalis, ipſiſque plures donavit Eccleſias, quemadmodum non ſolum Leo Marſicanus (4), verum etiam illius charta, quam refert Eruditiſſimus Muratorius (5), teſtificantur. Porrò, fuiſſe Judicem Turritanum, tametſi Sardiniæ Rex dicatur, colligitur ex Gonnario ejus ſucceſſore Provinciæ Turritanæ ſine controverſia Toparcha, qui fatetur (6), ſe confirmare Cœnobio Caſſinenſi quidquid conceſſerant glorioſæ memoriæ Atavus ſuus Bariſon Rex, Marianus Avus, & Conſtantinus Genitor, nec non Regina ejus Uxor. Bariſonis meminit etiam Vicus, ſed poſt Sancti Gregorii VII. ætatem vixiſſe perperam ſcribit. Anno MLXV. electum fuiſſe Torquitorem narrat, quem non hanc, ſed Calaritanam rexiſſe ditionem demonſtravimus alibi.

III. Marianus II.

Unus eſt ex quatuor Sardiniæ Judicibus, ad quos ſcripſit an. MLXXIII. ſecundo idus Octobris Sanctiſſimus Pontifex Gregorius VII. (7).

IV. Comita I.

Deſignatus Judex anno MC. biennio poſt obiit ſine Filiis, inquit Vicus.

V. Constantinus I.

In Comitæ locum ſuffectus eſt anno MCII. Eccleſiam Sancti Nicolai PP. Camaldulenſibus conceſſit an. MCXIII. *Exſtat in multis*, ait Mabillonius (8),

E de

(1) Hiſt. Florent. *l. 9. c. 196. col.* 533. apud Murator. *T. XIII. S. R. I.*

(2) *Lib. 2. pag. 164. T. III. Hiſpan. Illuſtratæ.*

(3) *Par. 4. cap. 33. Fol.* 81.

(4) *Chron. Monaſter. Caſſ. l. 3. c. 24. apud Murator. T. IV. S. R. I.*

(5) *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ.* 32. *col.* 1037. Ibidem vir Cl. pluribus adverſus Eruditum Berettam demonſtrat, ante annum 1164. quo Fridericus Imperat. Bariſonem Judicem Arboreæ in Regem totius Sardiniæ elegit, multos fuiſſe ea in Inſula, qui *Regis* titulo honorabantur. Idipſum præſtat quoque Gattola *Par. 1. Hiſt. Abbat. Caſſ. pag.* 154., *& ſeq.*

(6) Diplom. apud Gatt. *Par. 1. Acceſſ. memoratæ Hiſt. pag.* 255.

(7) *Epiſt. 29. l. 1.*

(8) *Itiner. Ital. pag. 180. Ed. Pariſ.* 1724.

de Tabulario Monaſterii Fontis-boni verba faciens, *una charta barbaro ſermone de donatione Eccleſiæ Sancti Nicolai in Regno Sardiniæ Guidoni Priori, & Camaldulenſibus Eremitis inſcripta, conſentiente* domno Conſtantino Judice, *ſeu Rege, cognomine* de Laccon, & domna Marcuſa Regina, dicta nomine de Gulane, anno MCXIII. *Sigillum ex plumbo appenſum, ex una parte caput Regis inconcinne præfert, ex alia* CONSTANTINE REGE.

Quædam pariter largitus eſt Monachis Caſſinenſibus, ſicuti ex charta, quam in lucem emiſit Eraſmus Gattola (1) ſit manifeſtum, ſed quo anno hoc acciderit, illa non exhibet.

VI. Gonnarius.

Conſtantini Filius gubernare cœpit anno MCXXVII.; in Diplomate enim anno MCXLVII. acto, ita ille loquitur (2) „ Ego Gonnarius divina „ diſpenſatione Turritanorum Rex, & „ Dominus vigeſimo anno regni noſtri „ Jeroſolimam pergens ad loca ſancta „ viſenda ad limina Sanctiſſimi Patris „ Benedicti declinare decrevimus. „ Devotionis ergo non paucas alias peragravit regiones. Ob ſuam pietatem in magna a Sancto Bernardo habitus eſt exiſtimatione, illumque eſſe opinatur celeberrimus Mabillonius (3), quem Sanctus Pater anno MCXLVI. Eugenio III. Romano Pontifici commendavit.

Exſtat apud memoratum Gattolam (4) Gonnarii Diploma pro Monachis Caſſinenſibus, cujus priora verba ſunt: *Ego judike Cunnari de Laccon ki facho cuſta charta cum boluntate de Deu, & de Fiju meu Baraſone Rege.* Ex hoc duo apparent, alterum, Baraſonem ſucceſſorem fuiſſe Gonnarii, alterum, anno MCLIII., quo præfatum Diploma actum eſt, Gonnarium nondum mundi illecebris terga dediſſe. At vero accepto nuntio Sancti Bernardi mortis, quæ anno nuper indicato die 20. Auguſti evenit, *dum adhuc* (verba ſunt Herberti (5) illorum temporum Auctoris) *quadragenarius eſſet ætate, Corporis, & animi vigore præpollens, relicta Sardinia, omnique gloria mundi depoſita pauper, & humilis ingreſſus eſt Claram-Vallem*, ibique ſanctiſſime vixit ad ſummam ſenectutem.

VII. Barison II.

Eodem Herberto Judice poſt Gonnarium Regni adminiſtrationem ſuſcepit. Narrat Vicus diu, multumque annos nempe fere quinquaginta Regem fuiſſe. Utrum hoc veritati conſonum ſit, neſcio. Tantum ſcio, anno circiter MCLXV. adverſus Arborenſem Judicem pugnaſſe (6).

VIII. Constantinus II.

Conſtantinus II. ſucceſſit Bariſoni. Mortuo ſine liberis, regimen ſuſcepiſſe Comitam ejus avunculum aſſerit Vicus.

IX. Comita II.

Anno MCCV. ſundavit Turribus Monaſterium Capitis Aquæ pro Monachis Ciſtercienſibus (7). Non ſolum Turritanæ, verum etiam Gallurienſis ditionis

(1) *Par. 1. H. A. C. pag.* 155.

(2) Apud Gatt. *Par. 1. Acceſſ. ad eandem Hiſt. pag.* 255.

(3) *In notis ad Epiſt. Sancti Bernardi* 245. *T. I. col.* 243. *Edit.* 1690.

(4) *Par. 1. Hiſt. Abb. Caſſ. pag.* 343.

(5) *In Fragmentis ex lib. Miracul. Ciſt. Monach. decerptis c.* 13. *T. II. Opp. S. Bernar. col.* 1230.

(6) V. *Brev. Hiſt. Piſanæ apud Murat. T. VI. S. R. I. col.* 175.

(7) Confer *Epiſt. Petri E. Sorrenſ. apud Martene T. I. Vet. Anecdot. col.* 800.

tionis Judex fuit. Nam Innocentius III. anno ſui Pontificatus decimo quarto ad eum ſcribit, ut ipſe una cum aliis Sardiniæ Judicibus curet, ne Piſani illam Inſulam ingrederentur, deinde ſubdit: *de Terra vero Galuari, quam tenes, nullum cum Piſanis, vel aliis ſine noſtro ſpeciali mandato contractum inire præſumas* (1).

X. Marianus III.

Comitæ Filius regnabat an. MCCXVIII. die 10. Novembris. Honorio III. Romano Pontifici addictus fuit, ejuſque partes adverſus Piſanos fovit (2).

XI. Adelasia, ejusque Maritus Ubaldus.

Quamquam Marianus duos poſt ſe reliquerit Filios, Bariſonem nempe, & Adelaſiam, tamen Bariſone nondum ex ephebis egreſſo a Sarzanenſibus immaniſſime occiſo, Adelaſia Turritanam, & Gallurienſem Dynaſtias moderata eſt, ad quarum regimen aſſumptus quoque fuit Ubaldus Civis Piſanus, qui Adelaſiam ſibi matrimonio conjunxerat (3).

XII. Entius.

A nonnullis Henricus appellatus, Filius nothus Friderici II. Imperatoris, mortuo Ubaldo ſine prole, nupſit Adelaſiæ, atque ita Turritanam, & Gallurienſem Provincias adeptus eſt. Teſtatur Matthæus Paris (4), in poſſeſſionem veniſſe illarum ditionum, præſertim quia Imperator in animo habebat ad Corpus Imperii revocare quæcunque ad illud ſpectabant; Sardinia verò, inquit ille, olim ejus erat juris; licet *per occupationes, & alia ardua negocia Imperialia*, eam amiſerant Cæſares. Fridericus Entium Filium, nunc Regem Turrenſem, & Gallurienſem (5), nunc Regem Sardiniæ, & Galluri vocat (6). In carcere ſine Filiis poſt Adelaſiam obiit, ut alibi diſſerui. Verſibus Italicis ingenium ſuum excoluit, atque de ipſo ceu claro Poeta mentionem faciunt Petrus Bembus, Triſſinus, Celſus Cittadinus, Allatius, Redius, aliique viri eximii, quos numerat Eruditiſſimus Joannes Marius Creſcimbenius (7).

XIII. Michael.

Cognomento Zanche ex Vicario Entii poſt ejus mortem Regnum obtinuit. De Michaele hæc habet Benvenutus Imolenſis (8): *Factor Matris Regis Entii filii naturalis potentis Friderici II., & Vicarius ipſius Regis Entii .... fuit adeò ſolemnis Baratterius, & ita ſcivit ſolemniter natare ſub pice, quod mortuo ipſo Rege Entio in carcere Bononiæ, ipſe Michael accepit Matrem ejus in uxorem, & ſic factus eſt Dominus judicatus Logodori*, nempe Turritani, & Gallurienſis, qui in ea Sardiniæ parte *Logodori* appellata extabant.

Poſt Michaelem nullum alium invenio Turritanum Judicem. Narrat Vicus, eam Provinciam occupatam fuiſſe a Brancaleone Oria, & Marchionibus Malaſpinæ. Sit apud ipſum fides.

(1) *Epiſt.* 101. *l.* 14. *T. II. pag.* 554. *Ed. Balut.*
(2) V. *Honorii Litt. Tom. III. Novi Bullar. Romani pag.* 200.
(3) Vide, quæ dixi *num.* 33. *hujus cap.*
(4) *Hiſt. Anglic. pag.* 468. *Ed. Tigur.* 1589.
(5) Apud eundem Pariſ. *pag.* 488.
(6) Confer ejus *Epiſt.* ad Bononienſes *apud Reynald. ad annum* 1249. *num.* 12.
(7) *Comment. Intorno alla Iſtoria della Volgar Poeſia Vol. II. Par.* 2. *l.* 1. *pag.* 19. *Ediz. Rom.* 1710.
(8) *Comment. ad Comæd.* Dantis *Can.* 22. *Col.* 1090. *apud Murat. T. I. Antiq. Medii Ævi.*

§. IV.

DE JUDICIBUS, SEU REGIBUS GALLURIENSIBUS.

I. Constantinus. I.

Regnabat anno MLXXIII., ſecundo Idus Octobris, quo tempore Sanctus Gregorius Septimus ad cum ſcripſit (1).

II. Torquitor.

Judex Gallurienſis (2) erat anno circiter MXCII. In Concilio Provinciali Turribus celebrato (3), cui tanquam Legatus Romani Pontificis præfuit Dagobertus Archiepiſcopus Piſanus, excommunicatus eſt una cum univerſa Gallurienſi Dynaſtia. „ Dominus „ Papa, *inquit Joannes Monachus ad Richardum Cardinalem, & Abbatem Sancti Victoris Maſſilienſis ſcribens,* „ anatematizavit Judicem Torquitorem, & cunctam Regionem ſuam, „ ita ut nullus Chriſtianus det ei conſilium, neque oſculum pacis, & ave „ ei nullus Chriſtianùs dicere præſumat, & ipſe ſuperbus, & profugus „ ſemper in errore ſuo perſeverat, & „ ad gremium Sanctæ Eccleſiæ rever-

„ tere

(1) Confer *Epiſt. 19. l. 1. apud Hard. Tom. VI. Collect. Concil. Par. 1. col. 1519.*

(2) Torquitorem Judicem Gallurienſem fuiſſe, in medium, meo quidem animo, vocari nequit. Etenim hoc perſpicuum eſt ex Epiſt. Joannis Monachi ad Richardum Cardinalem, & Abbatem S. Victoris Maſſil., quam Martene *T. I. Vet. Monum. col. 522.*, & ex eo Nicolaus Coleti *T. XII. Collect. Concil. col. 776. Edit. Ven.* referunt. Hujuſmodi verò Epiſt. ſic incipit: *Joannes Servus . . . . indignus Monachus veſter apud Galluri, fideles orationes. Volo vobis notificare, & indicare, domine Pater, quod adverſum nobis eſt* (Torquitor) *in hac terra, in qua ſumus.* Itaque in eadem Provincia, in qua erat Joannes, morabatur Torquitor, Joannes autem erat in Provincia Gallurienſi, *apud Galluri*. Id cum verum ſit, falſum deprehenditur, quod ſcribit Cl. Martene *loca cit. in notis, & in Præf. ad eundem T. n.25. pag. 19.*, nimirum, hunc Torquitorem illum ipſum eſſe, qui, ut legitur in Chronico Caſſinenſi, ſex Eccleſias Monachis Caſſinenſibus in Sardinia conceſſit, ut Monaſterium ædificare poſſent. Hic enim Torquitor Judex erat Gallurienſis, is, quem nuper memoravimus, Calaritanus, ut alibi demonſtravimus. Falſam eſſe Martenii opinionem ex eo etiam patet, quod Torquitor de Caſſinenſ. Monach. optimè meritus vivebat anno circiter 1063. & 1070., noſter anno 1092., anno autem 1073. Judex Calaritanus erat Orzoccor, Arborenſis item Orzoccor, Turritanus Marianus, Gallurienſis Conſtantinus. Confer *Epiſt. cit. S. Gregorii VII.*

(3) Sententia eſt Martenii *in Præf. paullo ante laud.*, Turritanum Concil. anno 1089. circiter habitum fuiſſe. Martenium ſequitur Nicolaus Coleti *loco indic.*, qui nimis fideliter illum expilavit, ut eſt a Manſio animadverſum *Præf. in Supplem. ad Concil. Veneto-Labbe. pag. 2.* Contra ego exiſtimo, non ante annum 1092. celebratum fuiſſe. Age verò videamus. Concilium, de quo in præſentia diſputatur, habitum eſt, poſteaquam Piſanus Antiſtes Archiepiſcopi titulo jam cohoneſtatus fuerat, quemadmodum *ex Epiſt. Joan. Monachi*, liquet. At eam dignitatem Piſanus Pontifex non niſi anno modo indicato decimo Calendas Maii ab Urbano II. obtinuit. Conſule ejus Dipl. apud Ughel. *T. III. col. 369.* Nec opinio a me ſtatuta falſa probari poteſt, quod Concil. habitum ſit in vivis adhuc exſtante Richardo Card.; ipſe verò vita functus dicatur anno 1091. Nam id quidem legitur in quodam Chronico, ſed toto cœlo a vero diſtat; atque plures ſæculi duodecimi annos vixiſſe ſentiunt Eruditi. Adeundi Sammarthanus *T. I. Gallia Chriſt. col. 686.*, ac Oldoinus *T. I. Acceſſionum ad Ciacon. col. 840.*

„ tere nollet. Super omnia iſta miſit „ Dominus Papa Legatum ſuum aput „ Sardiniæ, & jam Archiepiſcopum „ Piſano Viro prudentiſſimo venit aput „ Turris, vocavit Archiepiſcopos, & „ Epiſcopos Sardiniæ, ut venirent ad „ Sanctum Synodum. Venerunt omnes „ in hunc locum, & vocaverunt ex par- „ te Apoſtolica iſtum Ereticum, ut re- „ verteretur ad gremium Sanctæ Ma- „ tris Eccleſiæ; ſed iſte maledictus, & „ impuriſſimus Tyrannus obduratus eſt, „ ſicut lapis adamantinus, ut nullus „ ferre, neque accedere in eum po- „ teſt. Fecit itaque, ut Archiepiſco- „ pi, & Epiſcopi omnes contriſtati „ ſunt valde, clamabant una voce „ omnes: anatematiza, anatematiza, „ & confirmavit Legatus, & Epiſcopi „ cum Concilio, omnes Principes Sar- „ diniæ (*juxta*) precepta Apoſtolica „ maledixerunt, & condemnaverunt „ eum, & traxerunt in poteſtate Dæ- „ moniorum. „

Qua de cauſſa hujuſmodi pœna inflicta ei fuerit non ſatis liquet. *Suſpicamur autem, Torquitorem Henrici IV. Imperatoris Sedis Apoſtolicæ hoſtis infenſiſſimi, ac Wiberti Antipapæ partes aut ſectatum fuiſſe, aut forte inveſtituras Eccleſiarum, quas Gregorius, & Urbanus II. e manibus Principum eripere conabantur, dimittere noluiſſe, aut certe Simoniaca labe, quæ tum paſſim vigebat, infectum fuiſſe* (1).

III. Constantinus II.

In uno ex Piſanæ Civitatis Chronicis ab Ughellio (2) editis, quod ego, ut ab aliis diſtinguam, *quartum* vocare ſoleo, narratur, quod anno MCLXV. juxta ipſius Urbis ſtylum Paraſon Judex Turritanus, Petrus Judex Calaritanus Paraſonis non Filius, ut inquit citatum Chronicum, ſed germanus Frater, quemadmodum Herbertus Archiepiſcopus Turritanus aperte tradit (3); & Judex Gallurienſis, in Parlamento, ut ajunt, Piſis habito *in Burgo Sancti Michaelis Archangeli, juraverunt fidelitatem Conſulum Piſanorum, & Terram pro Communi Piſano in Feudum tenere, & libras ſex mil. dare, & cenſum libras centum, & Falcones paria duodecim pro quolibet anno*. Gallurienſem Judicem, cujus nomen præfatum Chronicum reticet, ego Conſtantinum appello. Nec omnino gratis; enim vero per ea circiter tempora, iſtius vocabuli Judicem Provinciam rexiſſe Gallurienſem compertum eſt ex ejus Diplomate, quod Paullus Troncius (4) anno MDCLXXXII. in lucem emiſit.

IV. Barison.

Conſtantini Filius, quantum ex altero Diplomate ab eodem Troncio (5) publici juris facto intelligo, in locum Patris ſuffectus jam erat anno MCLXXIII. Summa neceſſitudine Piſanis conjunctus fuit, quorum Cathedrali Eccleſiæ quædam bona is etiam dono conceſſit. In Charta, qua Bariſon Judex Arborenſis anno MCLXXXII. elargitus eſt Monachis Caſſinenſibus Eccleſiam Sancti Nicolai *de Gurgo* (6) memoratur ceu teſtis *Judex Paraſon*. Hunc diverſum non eſſe a Bariſone noſtro, arbitror, & licet ibidem Judex dicatur

(1) Martene *Præf. cit.*
(2) *Tom. X. Ital. Sac. col. 119. Edit. Venet.*
(3) *In Fragmentis, quæ exſt. Tom. II. Op.* S. Bernardi *col.* 1230. *Ed.* 1690.
(4) *Annali Piſani pag.* 137.
(5) *Ibidem*.
(6) Exſtat apud Gattolam *Par. 1. Acceſſ. ad Hiſt. Caſſ. Diſſert. 1. Par. 5. pag.* 267.

tur *Gallur.*, id factum eſſe contendo aut Amanuenſis, aut Typographi culpa.

De proximo Bariſonis Succeſsore nihil comperti habeo. Innocentii III. Epiſtolas a Balutio viro doctiſsimo editas pervolvens intelligo, anno MCCVII. quarto Idus Septembris Gallurienſem Provinciam occupaſſe Lambertum Civem Piſanum: qua de re, cum Pontifex queſtus eſſet, Piſani ad illum Legatos miſerunt, qui nuntiarent, præfatum Lambertum bona omnia, quæ Piſis habebat, amiſsurum, niſi quod injuſtè poſsidebat, reſtitueret (1). Quantum conjectura aſsequor, is ad omnium juſsa ſurdus exſtitit; hinc Innocentius nondum duobus exactis menſibus, nimirum quarto Calendas Novembris in mandatis dedit Archiepiſcopo Calaritano, ut pœnas excommunicationis, & interdicti in Dominos Gallurienſes, & Lambertum antea latas innovaret (2). Quatuor poſt annos invenio, Comitam Judicem Turritanum Gallurienſi Dynaſtiæ dominatum eſse, ideo poſt Bariſonem hunc recenſebimus.

V. Comita.

VI. Marianus.

VII. Adelasia, et ejus Conjux Ubaldus.

VIII. Entius.

IX. Michael Zanche.

Horum, qui Judices etiam fuerunt Turritani, memini in eorum Catalogo, quem conſulas velim.

X. Joannes.

Erat Judex Gallurienſis, & tertiæ partis Regni Calaritani anno circiter MCCLVIII., ſi fides Breviario Hiſtoriæ Urbis Piſanæ (3). Cum ex monumentis laudatæ Urbis (4) didicerim, Gallurienſem regionem a populo Piſano conceſſam Vicecomitibus fuiſſe, exiſtimo, nec forte mihi vana fides, Joannem ex clariſsima eorum Gente originem traxiſſe. Inita cum Florentinis, aliiſque Populis ſocietate adverſus Piſanos bellavit. Anno circiter MCCLXXIV. Villanio teſte (5) deceſſit in Caſtro olim, nunc Urbe Sancti Miniatis, vel potius in Oppido Montis Topoli, quod a præfata Urbe quinque millia paſſuum in occaſum Solis diſtat, prout ſentit Guido de Corvaria (6), cujus hæc ſunt verba: *die Lunæ* 19. *die Madii* (anno MCCLXXVI. juxta æram Piſanam) *deceſſit Judex Gallurienſis in Caſtro Montis Topori, & ſepultus fuit apud Eccleſiam Fratrum Minorum de Sancto Miniate.*

XI. Ugolinus.

Nobilis genere, & potens, Piſanus origine, qui fuit de Scottis de Piſis, inquit Benvenutus Imolenſis (7), a quo edocemur etiam, Ugolinum expulſum e patrio ſolo adverſus Concives ſuos pugnaſſe anno MCCC, paulloque poſt de vita migraſſe in Oppido

(1) V. *Epiſt.* 117. *l.* 10. *pag.* 67. *Tom. II.*

(2) Confer *Epiſt.* 143. *ejuſdem lib.*

(3) Apud Murator. *Tom. VI. Script. R. I. col.* 193.

(4) Apud eundem *Tom. XV. col.* 977.

(5) *Hiſt. Florent. l.* 7. *cap.* 45. *pag.* 265. *Tom. XIII. Script. R. I. Murat.*

(6) *In fragm. Hiſt. Piſanæ col.* 684. apud Murat. *Tom. XXIV. Op. cit.*

(7) *Comment. in Comœd. Dantis* apud Murat. *Tom. I. Antiq. Medii Ævi col.* 1179. Ab Auctore *Fragm. Hiſt. Piſanæ*, quæ edidit idem Murat. *T. XXIV. Script. R. Ital. col.* 649. Ugolinus dicitur ex Familia Vicecomitum.

do Sancti Miniatis . Conſentit Benvenuto Muratorius (1) ſcribens , anno circiter MCCXCVIII. extremum diem morte confeciſſe. Matrimonio ſibi conjunxerat Beatricem Eſtenſem, quæ poſt ejus fata iterum nupſit Galeatio Vicecomiti Matthæi Mediolanenſium Ducis Filio, quas ob nuptias, non ſolum Mutinenſes , Mediolanenſeſque lætificati ſunt , verum etiam *tota Lombardia*, inquit Auctor Chronici Parmenſis (2), *pro majori parte ſentivit de dictis nuptiis*. Dantes Aldigerius illius ævi Poeta Maximus honorificè Ugolini noſtri , quem Ninum appellat, meminit , dum illum de Beatrice antea Conjuge ſua ita loquentem facit (3).

,, Non le farà sì bella ſepoltura
,, La Vipera , che i Milaneſi accampa,
,, Come avria fatto il Gallo di Gallura

Verum Beatrici honorificum non defuit ſepulcrum, tametſi conſtructum illud non fuerit ab Ugolino; ſcribit enim Gualvaneus Flamma (4) Auctor Synchronus: ,, iſto tempore (*anno ſcilicet MCCCXXXV.*) nobilis Domina ,, Beatrix Marchioniſſa Eſtenſis Mater ,, Azi Vicecomitis moritur prima die ,, Septembris , & cum mirabili honore in Tumulo marmoreo in domo ,, Fratrum Minorum (*Mediolanenſium*) ,, tumulatur in Capella nobili, & ornatiſsima, quam adhuc vivens fabricari fecerat . ,,

XII. Joanna.

XIII. Azzo, seu Ambrosius.

Poſt Ugolini mortem regnavit Joanna ejus Filia , quæ nubilis decedens Dynaſtiam Gallurienſem Azzoni Fratri ſuo legavit . Rem totam narrat Gualvaneus nuper citatus dicens (5); Beatrix *Mater nobili militi Galeatio Vicecomiti in Uxorem traditur , & Joanna Filia ejus magnis pecuniis empta fuit cum ſuo Comitatu, ut terra illa eſſet perpetuò jure Vicecomitum. Interim Puella moritur, & terram ſuam nobili militi Azzoni Vicecomiti Fratri ſuo ex parte Matris teſtamento legavit; Similiter, & omnia bona paterna, quæ fuerant Patris ſui in territorio Piſano.*

Joſeph Ripamontius (6) inter Gallurienſes Judices refert Joannem Galeatii germanum Fratrem, cui , ut ille ait, Provincia Gallurienſis obvenerat ob Matrimonium cum Joanna Nini Filia initum ; ſed vehementer metuo, ne Ripamontius in errorem labatur; ut enim prætercam, Gualvaneum aſſerere , Joannam, antequam matrimonio conjungeretur, objiſſe, præfatæ Provinciæ eſſe dominatum Joannem non liquet ex carminibus in ejus ſepulcro inciſis (7), tametſi hæc ſingulos Principatus, & Civitates illi ſubjectas accuratè recenſeant. Hactenus de Sardiniæ Judicibus.

CAP. III.

(1) *T. 1. Op. indic. Diſſert. 5.*, quæ eſt *de Ducibus, ac Principibus Antiquis Italiæ col. 248.*
(2) Exſt. *Tom. IX. Script. R. I.* apud Murat. Id vero aſſerit ad ann. 1300.
(3) *Can. 8. Purgat. pag. 192. Ed. Ven. 1564.*
(4) Apud Murator. *Par. 2. delle Antichità Eſtenſi cap. 3. pag. 65.*
(5) *De Geſtis Azzonis Vicecomitis* apud Murat. *Tom. XII. S. R. I. col. 1042.*
(6) *Lib. 2. Hiſt. Mediolanenſis col. 552.* apud Grævium *Tom. II. Par. 1. Antiq. & Hiſt. Italiæ.*
(7) Exſt. apud Ughell. *Tom. IV. in Archiep. Mediolan. col. 249.*

Digitized by Google

C A P. III.

De Tempore, quo Sardi cœperunt colere Inſtituta noſtra. A quo ea edocti ſunt. De ſtatu Religionis Catholicæ in Sardinia uſque ad Seculum præſens.

I. Quamquam operoſa res, aleæque periculoſæ plena eſt, ex tripode, ut loquuntur, definire, quo Æræ vulgaris anno, & a quibus fides Catholica in quamcunque ferè Provinciam Inveƈta ſit, cum primis verò in Sardiniam, quippe & veteres Scriptores hac de re ſilent, & antiqua inconcuſſæ fidei monumenta deſunt, nihilo tamen minus Salvator Vitalis (1) nullus dubitat certò aſſerere, ea in Inſula Sanƈtum Evangelium prædicatum fuiſſe anno æræ vulgaris XXXV. a B. Bonifatio, quem Chriſti Domini Diſcipulum, & Calaritanum Antiſtitem ex quadam Inſcriptione circa initium ſæculi elapſi adinventa demonſtrare ſe poſſe confidit.

II. Certe quidem, ſi genuina eſſet ea Inſcriptio, non amplius in controverſiam venire poſſent nec tempus, nec ille, a quo Sardi legem didicerint Evangelicam, ac præterea nobis innoteſceret novus Martyr, novus Epiſcopus, novuſque Chriſti Domini Diſcipulus toti retrò antiquitati ignotus. Verum non immerito de hac, aliiſque hujus generis Inſcriptionibus, quibus Sardi multa impleverunt volumina, ambigitur. Ego laudatam Inſcriptionem nec refellere, nec probare audeo: non refellere, ſiquidem nec litterarum forma, quam non vidi, nec verba, quæ in ea expreſſa ſunt, certum mihi exhibent (2) argumentum, per quod illam inter aniles fabellas, ignarorumque hominum impoſturas optimo jure numerare queam: non probare, nam haud me fugit, quam nonnullis ſolemne ſit Inſcriptiones, & alia monumenta confingere, præſertim ad propriæ Patriæ, & Eccleſiæ antiquitatem oſtentandam, aut propriæ Nationis numerum Saƈtorum augendum: eo maximè, quod hæc, & aliæ Sardorum Inſcriptiones ſuſpeƈtæ, aut ego vehementer fallor, viſæ ſunt doƈtiſſimis, eruditiſſimiſque Viris, nempe Cardinali Barberino, Lucæ Holſtenio, Papebrochio, Muratorio, atque Mamachio (3); immo penitus falſæ, ac proprio, ut ajunt, marte excogitatæ, immor-

(1) Vitalis *in Annalibus Sardiniæ ad an. XXXV. col. 216. T. XV. Theſauri Antiq. Ital. Burmanni*, ait, „ Tempeſtate hac venit in Sardiniam, in Urbem Calarim, ubi Synagoga vigebat, Evangelium. Neque alius, quam Bonifatius Chriſti Diſcipulus Chriſti Evangelicæ facis nuntium Calaritanis intulit arcibus. De hoc B. Martyre Chriſti Diſcipulo Bonifatio illuſtrem, „ atque celebrem mentionem facit Archiepiſcop. Calaritanus Franciſcus de Squivel in relatione ad Paulum V. P. M. de SS. Corporum inventione Fol. 84. Inventum eſt enim in „ Eccleſia S. Luciferi intus in urna lapidea vetuſtiſſima Corpus ipſius cum hujuſmodi litterarum inſcriptione: HIC IACET B. M. BONIFACIUS EPIS. CHRISTI DISCIP. QUI VIXIT „ ANN. PLVS MINUS LX. REQUIEVIT IN PACE V. CAL. JANUAR.

(2) Adeſis *Epiſt. Mabillonii, qui ſub nomine Euſebii Romani latet, de Cultu SS. Ignotorum pag. 563. & ſeq.* exſtat *poſt Præfat. in Acta SS. O. B. Edit. Venetæ* 1740.

(3) Cardinalem Barberinum rei Antiquariæ peritiſſimum dubitaſſe de SS. in Urbe Calarit. ſæculo elapſo refoſſis apertè liquet; nam ipſe ad Bollandum Acta SS. per ea tempora illuſtrantem literas miſit, quibus ei prohibuit, quominus illos in ſuum opus referret: *At præcipuum apud nos momentum, ne Sardoa illa ſcripta ſequeremur, habuit Eminentiſſimi Cardinalis Franciſci Barberini, ſapientiſſimi, humaniſſimique Principis auƈtoritas, qui moneri nos juſſit,*

immortali Ferdinando Ughellio (1).

III. Non contentus Vitalis gloria propriæ Patriæ tributa, quod nimirum noſtræ Fidei Myſteria a Chriſti Diſcipulo edocta ſit, contendit præterea, Chriſtianis inſtitutis imbutam etiam fuiſſe a tribus aliis ejuſdem Apoſtolis. Quare pedibus, ac manibus probare nititur, SS. Petrum Romam, Paulum, & Jacobum Hiſpaniam petentes primum ad Urbem Calaritanam in Sardinia diverſis (2) temporibus appulisſe, ibique aliquandiu moratos Catholicæ Doctrinæ luce Sardos illuſtraſſe. Turritanos in Sardinia a præfatis Apoſtolis in veram Religionem adductos eſſe opinatur quoque Franciſcus Vicus (3).

IV. Tametſi ego, qui ita comparatus ſum, ut nullas hiſtorias pro certis habeam, niſi ex ſtabilibus demonſtentur monumentis, Patris Vitalis mentem ſectari nequeam, tamen in oppugnanda ejus ſententia non multus

F ero,

ſit, quorum Sardi recens exuvias reperiiſſent, venditarentque ut Sanctos, eos ne temere in opus noſtrum referamus, donec conſtet, quæ Eccleſia Romanæ de his ſententia ſit, aut niſi eorum Martyrium, publicaque ab antiquo veneratio ſit ſatis aliunde explarata. Bolland. *Præfat. in Vitas SS. præfixa T. I. Febr. cap. 5.* Vide etiam *Supplem. Apologeticum ad Acta Bolland. art. 2. Reſp. ad Accuſat. 7. pag. 625.* Dubitaſſe item Lucam Holſtenium teſtis eſt Papebrochius *in Actis Luciferi Calarit. in Appen. T. V. Maii pag. 220. n. 118.* Ad dignoſcendum quænam fuerit de nuperis Sardorum Inſcriptionibus Papebrochii mens ſat eſt luſtrare, vel oſcitanter *Cap. 11., & App. Act. cit. Lucif. Calarit.* ibi enim *n. 129.* inter cætera hæc ſcribit: *Dum Brixienſia figmenta conſidero, aliquando incidit formidare, ne ſimilis aliquis ſomniator ætates omnium in Sardinia Martyrum, quorum nomina, vel Corpora reperiit, pro libito ſuo deſcripſerit in aliquo Commentariolo, eoque vulgato facem prætulerit Epitaphiorum Auctoribus.* Sed quid de ejuſmodi Inſcriptionibus ſenſerit, clarius, apertiuſque ſignificaverat *T. III. Aprilis ad diem 23. pag. 212.* his verbis: *Videntur Sardi hoc præſenti ſæcula* (nempe 17., quo ille ſcribebat) *eodem cum Hiſpanis quibuſdam æſtro agitati, fingendi, antiquitatibus impenſius ſe dediſſe; & ipſa illa, quæ proferuntur, ut antiquorum inſtrumentorum fragmenta, nec pauca, nec exigua habent ſuæ ſuſpicionis indicia.* Muratorius verò *T. V. Antiq. Medii Ævi Diſſ. 58. pag. 17.* poſteaquam narravit, Librum Bonfantii, cui titulus: *Triumphus SS. Sardiniæ*, fuiſſe expurgatum juſſu Inquiſitorum Hiſpaniæ, ita ad rem meam ſubdit: *Quàm vellem Cenſores ii tantam potius confictorum Martyrum copiam deleviſſent, hoc eſt librum totum una litura purgaſſent!* Reſtat, ut de Clariſ. Mamachio dicamus. Is certè liquido non ait, ſe de præfatis Inſcriptionibus ambigere, at colligitur ex ejus loquendi phraſe; nam licet ob ſummam, qua pollet, eruditionem, Vitalem, Bonfantium, & alios Sardos, quibus propriæ Nationis converſionem ad Chriſtum acceptam referre placuit Bonifatio, & aliis Apoſtolis illuc ſpontè profectis, accuratè legerit; tamen *T. II. Orig. & Antiq. Chriſt. l. 2. c. 21. n. 4. pag. 161.* ad hunc modum ſcribit: *Antiqua eſt in Sardinia Chriſtianæ Religionis origo. Multi enim Chriſtianorum in eam Inſulam relegati lucem Evangelii Incolis attulerunt.*

(1) Ughellius ab Eruditiſs. Papebrochio rogatus, an poſt editum IX. Italiæ Sacræ Volumen memoriæ proderet X. de Siculorum, & Sardorum Eccleſiis, ille anno 1667. die 21. Maii in hæc verba Papebrochio reſpondit: *Volumen hoc variis difficultatibus impetitum non edidi, nec in totum abſolvi: quid verò ſim facturus anceps hæreo; nam Inſulani illi adeo inter ſe de Primatu dimicant, adeoque in ſua ſententia ſunt obſtinati, maxime in tuendis certis nuperrimis Inſcriptionibus ab ipſis gratis adinventis, quibus SS. Epiſcoporum Diptycha confunduntur, & multiplicantur nomina, ut tutius judicaverim meos labores Mſs. apud noſtrates relinquere.* Conſule Papebrochium *T. III. Aprilis ad diem 23. pag. 212. Edit. Antuerp.*

(2) Vitalis *in Annal. Sardin. col. 222.* ſcribit, appuliſſe S. Jacobum an. 37. *col.* 232. S. Petrum an. 46. *col.* 241. S. Paulum an. 61.

(3) *T. II. Hiſt. Sard. Par. 6. c. 4. Fol. 14.*

ero, ne videar terere fruſtra tempus; enim verò ille nihil niſi verba inania, ne quid gravius dicam, congerit; quæ ad ſummum probant potuiſſe quidem appellere, appuliſſe non item. Auctores, quos Sardi Hiſtorici in medium afferunt ad perſuadendam Sardam Apoſtolorum prædicationem, neque ſynchroni ſunt, neque ſuppares, ſed pauciſſimis ab hinc ſæculis vivebant, quibus an in ejuſmodi facto fides habenda ſit, vel eos, qui primoribus labiis artem Criticam attigerunt, Judices volo; quos tamen compertum mihi eſt, non eſſe credendum reſponſuros; ſiquidem hi quemadmodum ſciunt, quod dum adeò delicati faſtidii ſumus, ut nullam hiſtoriam certam habeamus, niſi æquales auctores eam laudent, *in noſmet legem ſancimus iniquam*, ita pari modo non ignorant, quod dum ſine ullo penitus examine vera exiſtimamus quæcumque ſemel typis fuerunt excuſa, vix ingenio, ſcientiaque ſuper mulierculas excellimus.

V. Quantum ego intelligo, unum eſt, quod prima fronte aliquid ponderis habere videtur ad probandum, ſaltem *Jacobum* Apoſtolum Sardis Chriſti Evangelium prædicaſſe; auctoritas ſcilicet Breviarii Armeni a Patriarcha Hieroſolymitano anno MLIII. concinnati, quod in Lectionibus laudati Apoſtoli narrat, hunc, ſoluta ex portu Joppen Palæſtinæ navi, Hiſpaniam aditurum, primò ad Sardiniæ Inſulam appuliſſe. Nolo heic in dubium revocare S. Jacobi hiſpanicam prædicationem; tametſi intelligo, & olim, & hac noſtra præſertim ætate, quoſdam eſſe, qui eandem non ſolum in dubium vocant, ſed etiam omnino negant (1). Dicam tantummodo, vel Cuperum Bollandianum Eruditiſſimum (2), qui velis, equiſque, S. Jacobum in Hiſpaniam conceſſiſſe propugnat, pauci facere laudati Breviarii auctoritatem ob rationes, quæ apud ipſum legi poterunt. Quod ſi Sardi demonſtraverint, Breviarium illud antiquiſſimum eſſe, ac proinde idoneum ad præſentem controverſiam dirimendam teſtimonium, iiſdem gratulabor, quod opinionem dubiam, & ſi per alios licet, meo quidem judicio etiam falſam, veram probaverint; tuncque canere palinodiam non detrectabo.

VI. Non eo illa nuper diſſerui, quo velim ire inficias Religionis Chriſtianæ in Sardinia antiquitatem; tantum probare animo intendo, quo æræ vulgaris anno, & a quibus, Sardiniæ Evangelium Chriſti nuntiatum ſit vix, ac ne vix quidem innoteſcere. Cæterum cum Cl. Mamachio (3) lubenter fateor, Catholicam Fidem jam inde ab antiquis temporibus ea in Inſula fuiſſe diſſeminatam. Et re quidem vera per ea tempora, quibus vivebant Imperatores Idolorum cultores, plures extaſſe in Sardinia, qui Chriſto ſerviebant, colligitur ex multis Martyribus ibidem, antequam pax per Conſtantinum Magnum Eccleſiæ redderetur, crudeliter interfectis.

VII. Quoniam autem ſermo ad Sardiniæ Martyres caſu dilapſus eſt, lubet breviſſimam eorum narrationem hoc loco interponere; tametſi ſciam, fore nonnullos moroſos cenſores, qui mihi

(1) Auctores, Sanctum *Jacobum* Hiſpanis Evangelium prædicaſſe negantes refert Eruditiſſimus Mamachius *Tom. II. Orig. & Antiq. Chriſt. l. 2. cap. 19. pag. 276. Edit. Prima*. His ille quoque ſubſcribit, & adverſariorum argumenta ſolvit.

(2) *T. VI. Julii ad diem 25. pag. 69. num. 299.*

(3) *T. II. Oper. indic. l. 2. c. 21. n. 4. pag. 261.*

mihi crimini dabunt, quod digreſſus parumper a cauſſa ſim; aventes, me de his plura eſſe perſequutum ſeparatim; quorum voluntati profectò obſequutus eſſem, niſi me prohibuiſſent & nimia Diſputationis inſtitutæ prolixitas, & feſtinatio, ut ea explicem, quæ ad Sardiniæ Antiſtites attinent.

VIII. Pene innumerabiles Martyres ſæculo elapſo ineunte refoſſos ſe habere gloriantur Calaritani, qui utpote aut falsò aſſerti, aut ſi mavis dubii, ac proinde teſtes nequaquam idonei ad probandum, ea in Urbe extaſſe antiquitus, qui noſtra coluerint inſtituta, miſſi fiunt, deque iis tantum diſputabo, quorum vel in veteribus Martyrologiis, vel in aliis antiquis, certiſque monumentis legitur memoria. Exordium itaque capiam a Sanctis *Emilio*, *Priamo*, *Felice*, *Luciano*, *Fortunato*, *Jucundiano*, atque *Lucio*, quorum meminere antiqua Martyrologia (1), & a quibuſdam Sardis Inſulæ Protomartyres nuncupantur: hos ſequuntur *Salutianus*, *Eutricus*, *Creſcentinus*, *Titianus*, *Quintus*, atque *Stabulus*; nam, mortem in Sardinia pro Chriſto oppetiiſſe teſtatur Martirologium (2) vulgò Sancto Hieronymo adjudicatum. Sex modò numeratis ſuccedunt ſequentes, de quibus quippe antiqua loquuntur monumenta, non eſt quamobrem dubitemus: *Sancti Gabinus*, atque *Criſpulus* (3), *Juſta*, *Juſtina*, & *Henedina* (4), *Saluſtianus* (5), *Creſcentia-*

F 2 *nus*

(1) Primos quatuor Martyres laudant Martyrologia ferè omnia antiqua cum Martyrologio Romano emendato ad diem 28. Maii. Martyrolog. Rhinovienſe, quod inter alia Martyrol. Hieronymiana contracta edidit Eruditiſſ. Sollerius ad calcem *T. VII. Junii*, *Emilii* tantum, & *Priami* meminit. Duos ſolummodo laudat item M. Rom. parvum teſte eodem Sollerio *in not. ad Uſuardum pag.* 301. Martyr. editum a clariſ. Luca d'Acherio *T. II. Spicilegii pag.* 11. *edit.* 1723. præter quatuor priores habet quoque *Jocundianum*, & *Lucium*, cum quo concordant alia exemplaria apud Florentinum *in not. ad Martyrol. Hieron.*, & Papebroch. *T. VI. Maii pag.* 745., qui eorundem auctoritate fretus addit & *Fortunatum*. Ferrarius in *Catalogo SS. Italiæ*, ait, quod antiqua fert traditio, Martyrio affectos fuiſſe in Urbe Calaritana. Præfati SS. apud Franciſ. Faram *in Hiſt. de rebus Sardois*, agmen ducunt Martyrum Sardiniæ. Protomartyres vocantur a Bonfanto *l.* 1. *Triumph. SS. Sardiniæ c.* 6., qui præterea addit, a Nerone occiſos fuiſſe, quod veremur, ne aſſerat proprio arbitratu.

(2) Ad VI. Cal. Junias. Martyrol. edito a D'Acherio uſus ego ſum. Diverſis nominibus nuncupantur a cl. Florentinio, cum quo fere convenit Martyrol. Reginæ Sveciæ editum a Sollerio ad calcem *T. VII. Junii*. Alia apographa ab his, & a Dacheriano differunt. Apographum Antuerpienſe duos tantum ex his in Sardinia mortuos aſſerit, nempe *Saluſtianum*, & *Eutropium*, quem Epiſcopum vocat. Duos etiam in Sardinia ponit Martyrol. vetuſtiſſimum, quod, Judice Florent. *in not. ad Martyr. Hieron.*, in locorum diſtinctionibus eſt præ cæteris accuratius.

(3) Horum meminiſſe omnia vetera Martyrol. latina teſtis eſt poſt Baronium Tillemontius *T. II. Memoires povr Servir a l' Hiſtaire Eccleſiaſtique des ſix premiers Siecles, de Perſeq. Adriani art.* 3. *pag.* 230., & *Nota* 4. *pag.* 587. *Edit. Ven.* 1732. *Gabinus* dicitur in omnibus MM., quæ legere mihi licuit, præter quam *in Rinovienſi*, & *Richenovienſi* apud Bolland. *T. VII. Junii* in quorum primo ad Cal. Junii laudantur *Gavinus*, ac *Palatinus* in Sardinia; in altero ad eandem diem hæc leguntur *In Sardinio Gavini*, *Palatini*. *Item in Sardinia Gabina*, *Criſpoli*. *Gabinum* noſtrum illum ipſum eſſe, qui colitur die 25. Octobris aſſerit Baron. *in Not. ad Martyr. Roman.* Contra, Ferrarius *opp. indic.*, atque Henſchenius *T. VII. Maii pag.* 236. eum diverſum faciunt. Sollerius *in Animad. ad Uſuardum* rem indeciſam relinquit. Plura de hoc diſputat *loco paullo ante cit.* & *T. V. art.* 46. *pag.* 143. Tillemontius, qui Ferrarium ſequutus aſſerit *T. II.* ſub Hadriano fuiſſe *Turribus* Martyrio affectos.

(4) Confer *dicenda in notitia Eccleſiæ Sanctæ Juſtæ*.

(5) Meminit iſtius Martyr. Roman. *ad*

Digitized by Google

nus (1), *Antiochus* (2), *Potitus* (3), *Pontianus* Papa, & *Hippolytus* Presbyter (4), *Protus* Presbyter, & *Januarius* Diaconus (5), *Gavinus* (6), *Luxorius*, *Ciſellus*, & *Camerinus* (7), *Simplicius* (8) *Saturninus* (9), *Reſtituta*

ad diem 8. *Junii*. Confer etiam Franciſcum Maria de Aſte *in Diſceptat. Litterariis Topograph. &c. ad eandem diem*, & Bolland. *T. II. Junii pag.* 56., qui plura item laudant Martyrologia *Saluſtianum* memorantia.

(1) *Creſcentiani* memoria extat in Martyrol. Hieronymi, Uſuardi, Adonis, cum in apographo Roſweydi, quod exſtat *T. XVI. Biblioth. Vet. PP. pag.* 854. *Edit. Lugd.* 1677., tum in eo, quod ex Archivio Capituli Piſtorienſis eruit, & publici juris fecit Eruditiſſimus Zacharia nunc Biblioth. Eſtenſis Præfectus *in Biblioth. Piſtorienſi pag.* 113. Extat item in Martyr. Bedæ, Romano, & aliis Latinis. Deſideratur tamen in Romano antiquiſſimo, quod diu ab Eminentiss. Baronio optatum edidit tandem Roſweydus *cit. in Biblioth. Vet. PP. pag.* 816., & in omnibus editis a clariſ. Sollerio, præterquam in eo, quod fuit Reginæ Sueciæ. Paſſus eſt ſub Hadriano, ut opinatus eſt Baronius, teſte Franc. Maria de Aſte *in not. ad M. Rom.* Locus paſſionis fuit Urbs Turritana, ut omnia MM. adnotant; unde neſcio, qua ratione permotus fuerit Doctiſſimus D'Acherius ad aſſerendum, apographum Corbejenſe ab ſe editum eſſe depravatum, & pro *Turribus* in eo legendum eſſe *Calaribus*. Martyrol. Bellini auctum typis excuſum *Pariſiis an.* 1521. habrt *Creſtianum*, ſed reluctantibus cæteris Martyrol. Corbejenſe laudatum refert etiam *S. Memmium*, quem tamen per errorem recenſere exiſtimat Henſchenius *T. VII. pag.* 423., nec immeritò; nam alia MM. de hoc altiſſime ſilent.

(2) Chriſtianos perſequente Hadriano *Antiochum* obiiſſe tradit Martyrologium Romanum *ad diem* 13. *Drrrmb.* & poſt eum Ferrarius *op. cit.* ac Tillemont *T. I. pag.* 230. Baronius *in Not. ad Martyrol.* teſtatur, ſe e Sardinia acta iſtius accepiſſe *plenius ſcripta*, *atque*, *prout in ejus ſolemnitate recitari ſolent*, *per lectiones diſtincta incipiant* — *Sicut Sanctorum omnium*. De eo agit quoque Fara *de Rebus Sardis col.* 24., aitque, fuiſſe natione Maurum, & profeſſione Medicum. Locus Martyrii fuit Inſula Sulcitana, de qua vide Ferrar. *in Lex. Geograph. ad v. Suleitana Inſ.*

(3) Martyrol. Rom. primò hujus meminit *ad diem* 13. *Januarii*, aitque occiſum ſub Antonino; quod confirmat Baronius *T. II. Annal. ad an.* 154. *pag.* 130. *Edit. Rom.* 1594. Ejus Acta edidit Bollandus *T. II. Janu. pag.* 753.

(4) Ab Romano ſolo exules, extorreſque facti in Sardiniam miſſi ſunt, ac ibi ſæviente ſexta Eccleſiæ Perſeq. a Maximino excitata an. 235. martyrium conſumarunt. Confer Anaſt. Biblioth. *T. II. Edit. Blanch. pag.* 181. Blanchinum, & Pagium *in Not. ad eundem*.

(5) In perſecutione omnium maxima Diocletiani ſanguinem pro Chriſto fuderunt. Hos refert M. R. *ad diem* 25. *Octobris*. Teſtatur Baronius *in Not.* ad Martyr. citatum, iſtorum Acta è Sardinia accepiſſe. Eorumdem Corpora maxima Fidelium veneratione Turribus coluntur. Martyris Januarii brachium reperitur in noſtra Sancti Franciſci Eccleſia Oppidi *Roccha Contrada* vocati Diœceſis Senogallienſis, cui dono dedit P. Seraphinus Pagni Sacræ Theologiæ Magiſter, & noſtri Ordinis Sanctorum apud Romanam Srdem Poſtulator Generalis.

(6) *S. Gavini* feſtivitas celebratur a Sardis die 25. Octob. De eo plura habet Tillemont *T. V. loquens de Perſeq. Dioclet. art.* 56. *pag.* 143.

(7) Agunt de his omnia Martyrol. Latina cum vetera, tum recentiora *ad diem* 21. *Auguſti*. Plura præter Baronium, Florentinium, Ferrarium, diſputat cl. G. Cuperus *T. IV. Auguſti pag.* 416., ubi poſt Monbritium litteris conſignavit eorum Acta, ex quibus liquet, *Luxorium* Foro-Trajani, alios Calari obiiſſe.

(8) Vide, quæ de *Simplicio* dicentur *in Hiſt. Epiſ. Phauſanienſ. n.* 1.

(9) Sub Diocletiano coronam Martyrii accepiſſe tradit Martyr. Rom. *ad* III. *Cal. Novemb.* Ejus acta è Sardinia ad Em. Baronium miſſa fuerunt diverſa ab iis, quæ poſteritati mandavit Monbritius *T. II. Vit. SS.* Conſule item Tillemontium *T. V. pag.* 144.

tuta (1), ac *Ephyſius* (2). Horum ætatibus erat in Sardinia etiam *Juvenalis*, qui magna ſanctitatis fama vivebat (3), aliique non pauci noſtra inſtituta colentes (4).

IX. Itaque Fides Catholica, ut eo revertatur oratio, unde eſt digreſſa, in Sardinia antiquiſſima eſt, & ut probabili conjectura aſſequi licet, illuc invecta fuit ineunte ſæculo Eccleſiæ ſecundo, aut fortaſſis etiam primo ad finem properante. Poſtmodum Religio Chriſtiana, Tyrannorum furentibus in noſtros perſequtionibus, omni tempore in Sardinia fuit, ac poſt initium ſæculi quarti, Eccleſia pacem adepta, altius radices ſuas fixit, meo quidem judicio; ope præſertim Luciferi Epiſcopi Calaritani; Enim vero cum is tot labores, incommoda, atque injurias tulerit pro defendenda adverſus impudentiſſimos Arianos vera Fide (5), quis, amabò, animum inducere poterit, operam, & induſtriam ſuam non collocaſſe in docendis hanc etiam Sardis, quorum pleriquæ omnes ejus curæ concrediti erant?

X. Quo in ſtatu fuerint res noſtræ in Sardinia poſt medium ſæculum quintum, eadem (6) a Wandalis occupata, difficile explicatu eſt, quoniam monumenta, quæ hoc nobis palam facere poſſent, aut litteris conſignata non fuerunt, aut ſi conſignata, jam confecit vetuſtas. Verumtamen, ſi ubi rationes perſpicuæ, certæque deſunt, uti conjecturis permiſſum eſt, mihi videor aſſerere poſſe, in miſerrimo fuiſſe

(1) De S. *Reſt.* Vidua, & Mart. Calarit. agunt Eruditiſſ. Bolland. *inter SS. prætermiſſos, & in alios dies rejectos T. II. Junii ad diem* 15. *pag.* 1011., & *T. I. Aug. pag.* 5. *ad diem* 1. Sed utrobique paucia verbia. Majora ſe loquturos ſpondent *die* 16. *Decemb.*, quo præclara facinora narrabunt illius Filii, Catholicæ Fidei acerrimi Vindicis, Euſebii Epiſcopi Vercellenſis.

(2) Hujus meminit Martyrol. Rom. *ad diem* 15. *Januarii*. Sancti Ephiſii Acta è Sardinia accepit Magnus Baronius, ut ipſe ſcribit *in Not. ad Martyrol.* In lucem emiſſa fuerunt ab Eruditis. Bollando *T. I. Januarii ad diem cit. pag.* 998. Sed an eadem ſint atque tranſmiſſa ad Annalium Parentem, me latet. Illud ſcio, Doctiſſimum Alexandrum Politum *in Martyrolog. a ſe Comment. illuſtrato pag.* 249. aſſerere, Acta a Bollando publicata aliquem imperitum hominem confeciſſe, variiſque acroamatia, & etiam erroribus eſſe repleta.

(3) De Juvenali vide dicenda in Antiſtitibus Calaritanis.

(4) *In Actis SS. Luxorii &c. paullo ante cit. pag.* 416. hæc habentur: *tanta multitudo Chriſtianorum ad famam Martyris hujus* (*Luxorii*) *ex diverſis locis ibidem convenit, ut eam dinumerare nemo poſſet.* Auctorum factum exaggerare, quicunque non ignorat, furente præſertim Perſecut. Diocletiani, noſtros ſolitos non fuiſſe turmatim in publico verſari, videt, probeque ſentit.

(5) Quantum adlaborarit Lucifer pro Fide Cathol. adverſus Arianos tuenda, perſpicuum fiet ex dicendis in Archiep. Calarit.

(6) Africam debellatam a Vandalis fuiſſe anno 429. diximus pag. 3. Anno dumtaxat 534. a Juſtiniano recuperatam eſſe ſcribunt Pagius *ad eum an. n.* 4. Ruinartus *Hiſt. Perſecut. Vandalicæ cap.* 12. *n.* 6., & alii ſexcenti; quorum mentem nos quoque ſectamur. Quare dum eo loci aſſeruimus, nondum elapſo ſæculo deſtructum fuiſſe in Africa Vandalorum Regnum, ſequuti ſumus Juſtinianum, qui initium laudati Regni ab expugnatione Carthaginis auſpicatur, quæ accidit anno 435. teſte Pagio *ad eum an. n.* 8. Debellata Africa non ſtatim capta eſt Sardinia, ſed Genſericus, ut auctor eſt Victor Vitenſis *de Perſecut. Africana l.* 1. *pag.* 676., eam reliquit in poteſtate Valentiniani Imperatoris, quouſque vixit: vixit autem uſque ad annum 455. ſi fides Baron. *ad eum an. n.* 3., & Pagio *n.* 2. *& ſeq. T. VIII. Edit. Manſiana.* Itaque non niſi poſt medium ſæculum quintum Sardinia in diram ſervitutem redacta eſt. Quod dictum volumus, ne quis credat, ex diſputatis eadem pag. 3., nos ſentire, Sardiniam, & Africam iiſdem omnino temporibus occupatas fuiſſe.

ſe ſtatu ; nam cum Wandali Catholicorum eſſent inimiciſſimi, an quiſquam uſquam gentium æquè bardus eſt, qui non ſentiat, hæreticos perditiſſimos, ſceleſtiſſimoſque, in Sardinia, non ſecus atque in Africa (1) Templa ab imo evertiſſe, Cœmeteria, aliaque Sacra loca profanaſſe, & noſtros variis cruciatuum generibus, tandemque morte duriſſima affeciſſe (2)? Illud etiam accedit, quod cum ii, teſte Juſtiniano Imperatore (3) *animas diverſa tormenta, atque ſupplicia non ferentes, rebaptizando ad ſuam perfidiam* tranſtulerint, quis, amabo, non videt, admodum veriſimile eſſe, plures Sardos in Arianorum ſacrilegam iviſſe ſententiam, ac propterea in Sardiniæ Inſula veram Religionem fermè proſtratam fuiſſe? Etenim præter Wandalos, & alios, qui, ut conjectare licet, tormentis deterriti vela retrorſum dederant, plures erant ibidem homines, & mulieres, quæ verum Deum non ſolum non colebant, ſed ne agnoſcebant quidem. Id verbis Sole clarioribus indicat Sanctus Symmachus, qui in ſua adverſus Anaſtaſii Imperatoris famoſum libellum Apologia (4) fatetur, ſe Romam acceſſiſſe *ex paganitate*, ideſt ex Sardinia, ex qua oriundus erat, quamque per eam ætatem plures incolebant Pagani.

XI. Sæculo Eccleſiæ ſexto Religio Catholica magis in Sardinia propagata eſt, hoc in opere curam ſuam collocantibus, ut opinari fas eſt, Sanctis illis Epiſcopis, qui circa annum DV. a Traſamundo (5) Vandalorum Rege ſceleſtiſſimo, quod legem a Genſerico

anno

(1) Has, & alias iniquitates in Africa patraſſe Wandalos teſtis eſt Victor *Op. & loco indic.*

(2) Inter Provinc., in quibus plures ex noſtris a Wandal. occiſi ſunt, recenſet quoque Sardiniam idem Victor *l. 1. pag. 22. Edit. Ruinart.*

(3) *L. 1. Cod. de Offic. Praef. Prat. Africa Tex 30. col. 152.*

(4) Exſt. apud Labbeum *Tom. IV. Hiſt. Concil. col.* 1297. ejus verba ſunt: *Roma mihi teſtis eſt, & Scrinia teſtimonium perhibent, utrum a Fide Catholica, quam in Sede Beati Apoſtoli Petri veniens ex paganitate ſuſcepi, aliqua ex parte deviaverim.* Ejuſmodi teſtimonio, quo nullum aliud certius eſſe poteſt, probatur Symm. circa finem ſæc. V. in Pontific. electum, non Romanum fuiſſe, ut Anaſtaſii Biblioth. Editiones Holſteniana, Fabrottiana, Blanchin., & quidam Codices, quos laudat Vignolius *Tom. I. Anaſtaſ. ab ſe emendati pag.* 171. habent, ſed Sardum, ſicut paſſim aſſerunt Hiſtorici.

(5) Hoc anno a Traſamundo perſecutionem in Orthodoxos Epiſcop. jam excitatam fuiſſe ſententia eſt Pagi *ad. an.* 504. *num.* 3. *Tom. II. pag.* 468. *Edit.* 1705. Scio Eruditiſſ. Ballerinos FF. niſos eſſe Pagianam opinionem verbis conficere *l. 2. Obſervat. in Sacro Noriſii Opera c.* 14. *T. IV. col.* 993., *& ſeq.*, ſed eorum conatus digni haud ſunt, qui ab Eruditis omne ferant punctum. Feliciores certè fuere in oppugnando Cl. Fontanino contendente *in Diſquiſit. de Corpore S. Auguſ. Ticini reperto*, hanc perſecut. accidiſſe an. 497. De numero Epiſcop. exulum in Sardinia inter omnes non convenit. Sanctus Iſidorus *in brevi Vandal. Chron. pag.* 277. *Opp. Edit. Coloniæ Agrip.* 1617. ſcribit, fuiſſe 120.; Rodericus *ibidem citatus in ora marginali*, 130.; Vetus Chron. editum a Cl. Ruinart *Hiſt. Vandal. Parte* 1. *pag.* 115. ait, fuiſſe 220; Auctor vitæ S. Fulgentii, qui unus ex ſuis Diſcipulis indicatur, apud Bollandum *T. I. Januarii die* 1. *c.* 27., inquit, fuiſſe ſexaginta, & ultra, ſed de ſolis Antiſtitibus Bizacenæ Provinciæ loqui placet Eruditis. Porro Sardiniam deſeruere, quo in Africam remearent anno 523., ut defendunt viri ad univerſam Hiſt., maximè Eccleſiaſticam nati, *Noriſius lib. 2. Hiſt. Pelag. c.* 21. *Tom. I. Op. pag.* 511. *Edit. Veron.*, ac Pagius *in C. Baron. ad ann.* 522. *num.* 2., revocati ab Hilderico noſtris non parum addicto; tametſi *iſte Sacramento a prædeceſſore ſuo Traſamundo fuerat obſtrictus; ne Catholicis in Regno ſuo Eccleſias aperiret, aut Privilegia reſtitueret*, inquit S. Iſidorus *l. indic.*

anno CCCCLVI. conſtitutam de non ordinandis Epiſcopis violaſſent; exules in eam Inſulam miſſi fuerunt. Cœpit etiam ibidem Monaſtica florere diſciplina; nam hoc præſertim, quemadmodum & ſequenti ſæculo, primò Sanctus Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, deinde aliæ piæ Sardæ Perſonæ, hortante cum primis Sancto Gregorio Magno, multa tum virorum, tum mulierum Monaſteria conſtruxerunt (1).

XII. Nec verò ob id putandum eſt, omnes omninò Sardiniæ Incolas Evangelio crediddiſſe. Etenim Langobardis Religioni noſtræ contrariis prætermiſſis, ſiquidem, hos eam in Inſulam irrupiſſe, non verò diu habitaſſe, ut contendit Franciſcus Fara (2), ex Sancto Gregorio liquet (3); certum eſt, extaſſe ibidem Judæos non paucos (4), qui Calari Synagogam habebant; extaſſe etiam ingentem *Barbaricinorum* numerum, ut alias diximus, qui excepto Hoſpitone eorum Duce, omnes non ſecus perinde ac Bruta animalia vivebant, Deum verum ignorabant, & ligna, lapideſque colebant (5). Plures etiam ex indigenis erant, qui in impio Idololatriæ crimine verſabantur, ut indicat Sanctus Gregorius Magnus anno ſui Pontificatus IV. his verbis ad Januarium Archiepiſcopum Calaritanum ſcribens: *accidit autem aliud valde lugendum, quia ipſos Ruſticos, quos habet Eccleſia tua, nuncuſque in Infidelitate remanere negligentia Fraternitatis veſtræ permiſit* (6): quibus verbis non *Barbaricinos*, ſed Sardos ipſos ſignificari, tam certum eſt, quam quod maxime. Primum, quia, ut animadvertit Eruditiſſimus Papebrochius (7), *Barbaricini* nunquam ad vivendum

(1) De Monaſt. per ea tempora in Sard. ædificatis, adeundi Auctor vitæ S. Fulgentii Epiſ. Ruſpenſis apud Surium *T. I. Januarii die* 1. *c.* 27., & Bolland. *Tomo cit.* c. 27., Mabillonius *T. I. Annal. Bened. ad an.* 594. *l.* 8. *pag.* 232. *Edit. Pariſ.* 1703., S. Gregorius *T. II. Opp. Edit. Maurin. Epiſt.* 48. *l.* 1. *indic.* 9. *epiſt.* 9. 15. *l.* 4. *indic.* 12. *ep.* 25. *lib.* 11. *indic.* 4. *epiſt.* 1. *lib.* 14. *indic.* 7. Clariſſimi Pithæi Fratres ſuſpicentur, Epiſtolam Bonifacii Papæ, quam recitat Gratianus *Par.* 2. *Decreti cauſſa* 1. *quæſt.* 2. *T. I. pag.* 144. *edit. Taurin.* 1746., datam *omnibus Calaritanæ Eccleſiæ Cœnobitis*, ſcriptam fuiſſe ſub annum 419., quod ſi verum eſſet, longe ante tempora a me ſtatuta Monaſtica diſciplina in Sardinia floreſcere cœpiſſe dici deberet. At enim nulla cauſſa eſt, quamobrem viris Doctiſſimis adhærendum eſſe hac in re cenſeam; immo veriſimillimum exiſtimo, miſſam eſſe a Bonifacio Romano Pontifice hujus nominis, vel III, vel IV., vel V. poſt initium ſæculi ſeptimi.

(2) *Hiſt. de Rebus Sardois col.* 48., *& ſeq.*

(3) Langobardos in Sardiniam irrupiſſe anno 598. tradit S. Gregorius Magnus *epiſt.* 4. *lib.* 9. Nullam tamen Civitatem occuparunt: Bernardinus Zanetti *del Regno de' Longobardi T. I. lib.* 2. *pag.* 255. ait „ non tardarono molto a farſi veder in Sardegna i Longobardi, ed a recarci „ de danni conſiderabili, abbenche lor non riuſciſſe d' impoſſeſſarſi d' alcuna Città. „ Longam ibidem traxiſſe moram nec ex Paullo Diacono, nec ex Sancto Gregorio patet. Is enim tantum docet *epiſt.* 42. 43. *lib. ſupra citati*, paullo poſt Agilulphum Longobardorum Regem cum Callinicho Exarcho Ravennate pacem iniviſſe.

(4) Confer *epiſt.* 9. *l.* 4. *indic.* 12. *S. Gregorii M. col.* 688. *epiſt.* 6. *lib.* 9. *indic.* 2. *col.* 929.

(5) V. *S. Gregor. epiſt.* 23. *l.* 4.

(6) *Epiſt.* 26. *ejuſdem l. col.* 704. Conſule item *Epiſt.* 25. *lib. indic. nec non Epiſt.* 41. *L.* 5. *Indic.* 13. datam ad Conſtantinam Auguſtam, in qua hæc inter cætera ſcribit: *Rem mihi Sacrilegam nuntiavit* (Felix Epiſcopus), *quia hi, qui in ea* (Sardinia) *Idolis immolant, Judici præmium perſolvunt, ut eis hoc facere liceat. Quorum, dum quidam baptizati eſſent, & immolare jam Idolis deſiviſſent, adhuc ab eodem Inſulæ Judice etiam poſt Baptiſmum præmium illud exigitur, quod dare prius pro Idolorum immolatione conſueverant.*

(7) *In not. ad Acta SS. Gregorii &c. T. III. Junii ad diem* 18. *pag.* 597.

Digitized by Google

dum agros coluere; ſed ut Procopius (1) tradit, antea vicinos Calari montes occupabant, poſtea verò cum ad numerum trium millium perveniſſent *renuntiarunt latebris, ita ut apertè circumjectis in locis omnibus graſſarentur*. Deinde; quia idem Gregorius de Sardis loqui non obſcure indicat, cum in ipſamet Epiſtola, ubi poſt laudata verba, ſubdit: *& quid vos admoneo, ut extraneos* (nempe Barbaricinos) *ad Deum adducatis, qui veſtros ab Infidelitate corrigere negligitis*? tum etiam in altera ad præfatum Januarium miſſa, in qua hæc ſcribit: *Sacerdotum indigentia, quoſdam illic* (Phauſaniæ) *Paganos remanere cognovimus, & ferino degentes modo Dei cultum ignorare* (2): at verò quonam pacto, Deus immortalis, de *Barbaricinis* verba faciens Gregorius aſſerere potuiſſet, quoſdam dumtaxat ad Chriſtum non acceſſiſſe, cum paullo ante (3) dixiſſet, Barbaricinos, præter eorum Ducem omnes fuiſſe Paganos?

XIII. Quammaxime diſplicebat Gregorio, ut quiſque imaginari poteſt, plures Sardiniæ incolas, quos ſumma proſequebatur benevolentia, in Idololatriæ deteſtabili errore perſeverare, iccircò, poſt acriter reprehenſos Sardos Epiſcopos, utpote eorum converſionis ſocordes, eoſdem minitatus eſt, quod ſi in cujuſpiam Antiſtitis Diœceſi, vel unum reperiiſſet Paſtoris negligentia Infidelem, in illum Epiſcopum fortiter vindicaret (4); prætereaque litteras dedit Zabardæ Duci Sardiniæ, aliiſque ea in Inſula bona, ut dicunt, immobilia poſſeſſoribus, eos orans, ut Infidelium converſioni ſedulam navarent operam, ac ſi per ſe ipſi id exequi non poſſent (5), ſaltem adjuvarent Felicem Portuenſem Epiſcopum, & Cyriacum Romani Sancti Andreæ Monaſterii Abbatem, quos ad erudiendos Apoſtolorum Doctrina Infideles, illuc miſerat Gregorius (6).

XIV. Plures *de Barbaris, & provincialibus Sardiniæ ad Chriſtianam fidem* veniſſe teſtatur ipſemet Sanctiſſimus Pontifex, anno ſui Pontificatus undecimo ſcribens ad Spenſideum memoratæ Inſulæ Præſidentem (7). Utrum verò Sardi, antequam e medio abiret Gregorius, errore, in quo verſabantur repudiato, omnes Sacris Religionis Catholicæ initiati ſint, proût vehementer ille optabat, neque ex ejus Epiſtolis, neque ex aliis certis monumentis liquet. His itaque miſſis mentem converto ad inveſtigandum, an per id temporis, quo Sardinia ſub immani Saracenorum jugo poſita erat, fuerint, qui thus vero Deo adoleverint. Spartam hanc ornare res perquam implicata eſt, tum quia nihil a Veteribus de hujuſmodi facto memoriæ proditum eſt; tum maximè quia, perpauca illa teſtimonia ab antiquis Hiſtoriis ſparſim ſuppeditata, ex quibus prudenter colligi poſſet, ibi fuiſſe, qui Chriſti Doctrinam a majoribus ſuis acceptam tenerent, cum ſtabiliri nequeat, ut alibi obſervavimus, certa irruptionis Saracenorum in Sardiniam Epocha, rem conficere non ſtatim eſt exploratum. Nihilotamenminus ego in

eam

(1) *De Bello Vandal. l. 2. c. 13. pag. 268. edit. Pariſ. 1662.*
(2) *Epiſt. 29. l. 4. indic. 12.*
(3) V. *Epiſt. 25. ejuſdem lib.*
(4) Confer *Epiſt. 26. lib. indic.*
(5) Conſule *Epiſt. 24. 25. lib. 4. indic. 12.*
(6) Lege Mabillon. *T. I. Annal. Bened. l. 8. ad an. 594. pag. 232. edit. 1703.*
(7) *Epiſt. 22. lib. 11. indic. 4. col. 1106. T. II. edit. Maur. 1705.*

eam ſum propenſus opinionem, quæ ſtatuit, Saracenorum ætate, plures extaſſe in Sardinia, qui veram fidem ſartam tectam conſervabant.

XV. Et re quidem vera, Saracenis regnantibus, in Palæſtina, Sicilia (1), & Africa (2) fides noſtra penitus proſtrata non erat, quinimo nonnulli ex eorum Caliphis Ritus Catholicos publicè exercere ſinebant: cur ergo hoc quoque in Sardinia probabiliter accidiſſe, dici optimo jure nequibit? Illud etiam accedit, quod in unoquoque ſæculo, ex iis etiam, quibus, ut fere communis eſt opinio, Sardinia Saracenis ſubjecta erat, Religio Evangelica apud Sardos floruit; dummodo vera ſint, quæ tradunt viri Eruditiſſimi. Poſt medium ſæculum nonum Nicolaus I. Rom. Pontifex, cum præſenſiſſet, illius Inſulæ Judices, alioſque Populos moribus adeò depravatis eſſe, ut affines ſuas, immo & conſanguineas in Uxores ſibi ducerent, illuc Paulum Populoniæ Epiſcopum, & Saxum Monaſterii SS. Joannis, & Pauli Abbatem legavit, quo eos ad bonam frugem reducerent; & quoniam illorum quidam Legatorum Pontificis exhortationes nihili fecere, ab ipſis excommunicati fuerunt (3). Circa annum DCCCXCI. quatuor extabant in Sardinia Eccleſiæ, nempe Calaritana, Turritana, Sulcitana, & Phauſanienſis (4). Principio ſæculi decimi, anno ſcilicet DCCCCII. in Corſicam, & Sardiniam Inſulas a Benedicto IV. R. P. miſſus eſt tanquam Sedis Apoſtolicæ Legatus Bruno Archipresbyter Januenſis (5). Tandem ineunte ſæculo undecimo erat Calari Hugo Marchio Maſſæ, Dominus Corſicæ, & Judex Calaritanus, vir ſanè pius, ſiquidem anno MII. dono dedit quandam poſſeſſionem Monaſterio Montis Chriſti PP. Camaldulenſium (6).

XVI. Tametſi Religio Catholica Saracenis Sardiniæ dominantibus penitus extincta ibi non fuerat, tamen ad maximum detrimentum deveniſſe teſtis eſt omni exceptione major Sanctus Gregorius VII. Romanus Pontifex (7). Monaſtica autem Diſciplina, quæ in Sardinia ſæculis ſexto, ſeptimo, & fortaſſis etiam octavo adeo uſque florebat, per Saracenos non ſolum obſoleverat, verum etiam omnino evanuerat. Hæc, quo poſtliminio reſtitueretur, Religio verò Catholica, ut prudenter conjicere licet, latius, longiuſ-

(1) Adeundi Auctores laudati *pag. 7. in notis*.

(2) V. Pagium *ad an.* 1073. *num.* 13.

(3) Anaſt. Biblioth. *in Vita Nicolai pag.* 217. *edit. Pariſ.* 1649.

(4) Vid. Notitia Epiſcop. ſub Leone Sapiente collecta apud Beveregium in *Annotat. ad Pandectas Can. Apoſtol. &c. T. II. pag.* 148.

(5) Confer Chartam Berlingerii Regis, Corſicæ, & Sardiniæ Domini. Hanc omnium primus a Cl. Grandio acceptam in lucem edidit Muratorius *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ.* 32. *col.* 1063., deinde PP. Mittarelli, & Coſtadoni *in App. ad T. I. Annal. Camaldulenſium col.* 31. Murat. *ibidem col.* 1065. in ea eſt ſententia, ut opinetur, ejuſmodi Chartam non ad an. circiter 900., ut nota numeralia ibi appoſita innuit, ſed ad tempora aut Alexandri II. (*vixit ab anno* 1061. *ad* 1073.), aut potius Alexandri III. (*Spiritum duxit in Pontif. ab an.* 1159. *ad an.* 1181.) ſpectare. Abbas Grandius *in natis Mſs. ad eandem Chartam* primam Murat. opinionem ſequitur. At vero Doctiſſimi Annaliſtæ laudati *Tom. I. l.* 2. *ad an. Chriſti* 952. *pag.* 79. *& ſeq.* argumentis non ſpernendis ad hæc attinere tempora probant.

(6) V. Diploma Hugonis datum in Caſtro Calari A. D. J. 1002. Indic. 15. 3. Non. Aprilis *T. I. Annal. Camaldul. in Append. col.* 169.

(7) *Epiſt.* 29. *l.* 1. apud Hard. *Hiſt. Concil. T. VI. Par.* 1. *col.* 1219.

que, quam antea fuerat, diffunderetur, Bareſon Sardiniæ Rex poſt ſæculi undecimi medietatem, anno nempe MLXIII. a Deſiderio Monaſterii Caſſinenſis Abbate poſtulavit, atque obtinuit duodecim Monachos. Verum hi pluribus codicibus, ornatibus Eccleſiaſticis, Sanctorum Reliquiis, aliiſque hujus generis rebus ditati Sardiniam verſus curſum ſuum dirigentes, cum propter Liliórum Inſulam eſſent, a Piſanis maximo in Sardos tunc odio percitis, depopulata, incenſaque, quam conſcenderant, navi, omnibus, quæ ſecum tranſportaverant, ſpoliati ſunt; unde ope Patrum ejuſdem Ordinis Lucæ commórantium ad Monaſterium Caſſinenſe reverſis, optimi Regis deſiderium in irritum ceſſit. Hujuſmodi tamen infortunio nihil commotus Bareſon non diu poſt iterum enixe Deſiderium rogavit, ut novam in Sardiniam miſſionem inſtitueret, cui morem geſturus Abbas duos e ſuis Monachis legavit, qui eo incolumes, ſalvique appulſi piiſſimi Regis cogitata perfecerunt (1).

XVII. Cum Regularis diſciplina penitus reſtituta, & Religio Catholica firmius ſtabilita, latiuſque propagata diu floruiſſet in Sardinia, ſæculo Eccleſiæ decimotertio utraque in maximum diſcrimen eſt adducta. Vexabatur a pluribus annis Italia peſtifera Hæreticorum lue, quæ inſtar cancri in dies ſerpebat. Pontifices, quibus uſque curæ fuit tam horrendum monſtrum non coercere ſolum, & reprimere, ſed convellere prorſus, & extirpare, atque hoc pacto Italiam in antiquum ſtatum reſtituere, non humano conſilio, ſed divinitus Sanctæ Inquiſitionis Officium inſtituere. Patres duorum Ordinum Prædicatorum ſcilicet, & Minorum, quibus illud delatum fuit, adeò perditiſſimos homines exagitarunt, ut hi intra Italiæ fines, quo ſe verterent ignorantes, optimum duxerint in Sardiniam pervolare, ubi quoniam cauſſarum Fidei Quæſitores non erant, in magnam adducebantur ſpem ſuam hæreſim diſſeminandi. Res tamen ſecundæ eis haud ceſſerunt; nam id ut primum intellexit Honorius IV. anno MCCLXXXV. Fratribus Franciſcanis, qui jam inde a temporibus Clementis IV. nobiliſſimum munus in Tuſcia exercebant, & nunc etiam exercent, commiſit, ut in Sardinia quoque fungerentur (2) Conſtituto ea in Inſula Sanctæ Inquiſitionis Officio illud ipſum ibidem acci-

(1) Leo Oſtienſis *in Chron. Monaſt. Caſſ. l. 3. cap. 23.* apud Murat. *T. IV. Script. Rerum Ital. pag. 433.* Auctor Tabulæ Chorographicæ Medii Ævi, qui ab eruditis creditur P. Berretta Monach. Bened. *T. X. Script. Rerum Ital. ſect. 6. col. 34.* ſcribit, hujuſmodi Hiſt. ab aliqua interpolatrice manu adjectam fuiſſe; immo hæc eſt illi prora, & puppis ad probandum, Chronicon Leonis eſſe depravatum; nam, inquit, Leo, quæ evenerunt, poſteaquam ipſe diem extremum morte confecit, litteris conſignare nequibat. At enim Leo iter carpſit supremum anno circiter 1115. Bareſon autem Judex Arboreæ non niſi anno 1164. Rex Sardiniæ creatus eſt. Verum Eruditiſſimus Auctor aut reipſa non vidit, aut videre noluit, ante Bareſonem laudatum fuiſſe alterum Bareſonem, qui anno 1063. vivebat, & Sardiniæ Rex appellabatur. Confer *ſeriem Judicum Turritanorum*. Præfatam narrationem genuinam putant Angelus de Nuce *in not. ad ipſum Leonem*. Mabill., ejuſque Diſcipulus Ruinartius, nam eam referunt *T. IX. Act. SS. O. S. Bened. pag. 595. Edit. Ven.* Lucentius *T. 1. Ital. Sacra Reſtricta in Ep. Caſſ. col. 723. & ſeq.* Murat. *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ. 32. col. 1054. & 1057.*, atque Gattola *Hiſt. Abbatiæ Caſſ. Par. 1. ſæc. 6. pag. 154. & ſeq.*

(2) Lege Conſtit. Honorii IV. incip. *ad extirpandam ubilibet* apud Wadlug. *T. V. Annal. ad an. 1285. n. 10. Edit. Rom.* Ideo autem R. P. Fratribus Minoribus Tuſciæ juſſit munus Inquiſitorum Catholicæ Fidei in Sardinia exercere, quoniam hæc Inſula per id temporis Miniſtria Provinciali-

accidit, quod, ut animadvertit cl. Muratorius (1) in univerſa Italia ob eamdem rationem factum eſt, nempe nullam hæreſim, aut novè excogitatam, aut rennovatam radices ſuas egiſſe. Quam ob rem ab eo tempore ad hos uſque dies in Sardinia cum Diſciplina Regularis, tum maximè Religio Catholica pura, illabataque conſervata, eſt, & floreſcit quotidie magis.

C A P. IV.

De Numero Eccleſiarum Sardiniæ.

I. Poſteaquam ſatis, vel etiam nimium multa de ortu, & progreſſu Religionis Chriſtianæ in Sardinia diſputavi; ratio petit, ut breviter quoque diſſeram de Eccleſiis, quæ variis temporibus ibidem fuerunt. Principio, ineunte ſæculo quarto, quando primum Epiſcopos in Sardinia extaſſe certa indicant monumenta, duæ numerabantur Eccleſiæ, Calaritana ſcilicet, & Phauſanienſis (2). Sæculo quinto, earundem numerum auctum fuiſſe explorata res eſt, quippe inter Epiſcopos, qui Carthaginem juſſu Wandalorum Regis convenerunt, laudantur Antiſtites Eccleſiarum Sardiniæ, Calaritanæ, Turritanæ, Foro-Trajanenſis, & Sulcitanæ (3). Veriſimile eſt, fuiſſe quoque alias ſedes per ea tempora ſuo viduatas Paſtore.

II. S. Gregorius Magnus anno ſui Pontificatus IX. ſcribit ad ſex Sardiniæ Epiſcopos, *Vincentium* nempe, *Innocentium*, *Marinianum*, *Libertinum*, *Agathonem*, atque *Victorem*, eos exhortans ad Paſchalem denuntiationem, ex more a Calaritano Archiepiſcopo Sardiniæ Metropolita ſuſcipiendam, & ad non egrediendum ex Inſula ſine illius permiſſione (4). Ex hoc claret omnibus, ſeptem in Sardinia fuiſſe Eccleſias ætate S. Gregorii, quarum unaquæque ab uno ex iis Epiſcopis gubernabatur, ſed quænam eæ fuerint, exceptis Calaritana, Turritana, ac Phauſanienſi, quas in aliis Epiſtolis indicat Gregorius (5), a Januario, Mariniano, & Victore adminiſtratas fuiſſe, divinari quidem poteſt, non vero aliqua certa ratione probari.

III. Carolus le-Cointe (6) ſuſpicatur, aliquos ex laudatis Antiſtitibus Eccleſias Corſicæ gubernaſſe, quam ea ætate Calaritano Archiepiſcopo paruiſſe, a veritate haud alienum putat. Verum hoc falſum eſſe pluribus demonſtrabo, cum tempus me monuerit. Vicus (7), qui totus eſt in oſtendendo, Turritanum Antiſtitem Calaritano Archiepiſcopo non obtemperaſſe, timens forſan, ne quis inter Epiſcopos paulo ante memoratos Calaris ſuffraganeos, illum referret, his aſſignavit Eccleſiis, ſcilicet Norenſi, Sulcienſi, Uſellenſi,

cialibus ejuſdem Provinciæ, quod ad res Religionis Franciſcanæ ſpectat, parebat; ut conſtat *ex Conſt. laud.*, & ex diſpoſitione Provinciarum facta in Comitiis Generalibus an. 1260. Ordine adminiſtrante Sancto Bonav. Narbonæ habitis, in qua eſt, Sard. fuiſſe octavam, & poſtremam Cuſtodiam Prov. Tuſciæ. Exſt. apud. Vad. *T. IV. ad an.* 1260. *n.* 14.

(1) *T. V. Antiq. Medii Ævi diſſ.* 60. *col.* 150.

(2) Adiſis *Hiſt. earum Eccleſ.*

(3) Conſule Victorem Vitenſem *l.* 4. *Perſec. Afric.*

(4) *Epiſt.* 8. *lib.* 9. *Indic.* 2.

(5) *In omnibus Epiſt. Januar. datis, quas alibi numerabimus; item in epiſt.* 61. *l.* 1. *Indic.* 9. *&* *epiſt.* 5. 12. *l.* 11. *Indic.* 4.

(6) *T. VII. Annal. Eccleſiaſt. Francorum ad an.* 817. *n.* 11.

(7) *T. I. Hiſt. Gener. Sardin. Par.* 1. *c.* 13. *fol.* 59.

ſeu Suellenſi, Oſcenſi, ſeu Galtellinenſi, & Phauſanienſi.

IV. Tametſi id aſſerat, ut fere ſemper ſolet, ſine ulla ratione, tamen non in omnibus errare mox videbimus. Petrus Guſſanvillæus (1) ait, Marinianum fuiſſe Epiſcopum Turrenſem, Victorem Phauſanienſem, ſed reliquos, quatuor quas gubernarint Eccleſias, ſe detegere non potuiſſe fatetur. Hoc certò ſciri non poſſe etiam ego lubenter patior, attamen ſi conjectare licet, dixerim, probabiliter adminiſtraſſe Eccleſias Foro-Trajanenſem, Sulcitanam, Uſellenſem, ac Boſanenſem; idque his conjecturis ſuadeo. Priores duas Civitates ſuos habuiſſe Epiſcopos etiam ante ſæculum ſextum ex hactenus narratis clarè conſtat; itaque veriſimile eſt, ex eis qnatuor Epiſcopis duos præſatarum Urbium Cathedras conſcendiſſe. Porrò autem, quantum mente aſſequor, hi fuere Innocentius, & Libertinus; etenim Sanctiſſimus Pontifex Gregorius ad Januarium ſcribit (2), ut pro examinanda lite, quæ inter Deſideriam Abatiſſam,& Joannem Abbatem verſabatur, adhiberet conſiliarios Innocentium, & Libertinum Epiſcopos: At quis non videt, probabile eſſe, juſſum fuiſſe Januario adhibere Foro-Trajanenſem, & Sulcitanum Antiſtites, ut erant Calari viciniores? Cæteros duos, Uſellenſem, & Boſanenſem adminiſtraſſe Eccleſias veriſimile eſt, tum quia hæ Urbes ab antiquis Geographis memorantur, tum maximè quia certò ſcitur, poſt ſæculum decimum ſuos habuiſſe Paſtores; quam ob cauſſam, neminem eorum Epiſcoporum ad Civitatem *Norenſem* ſpectaſſe contendo, cum nulla antiqua monumenta tradant, hanc unquam Epiſcopalem fuiſſe ſedem.

V. Neque dicendum, immeritò probàbiliter quoque me credere, Uſellenſem, & Boſanenſem Eccleſias inter eas referendas eſſe, quæ ab ſex Epiſcopis laudatis adminiſtratæ ſunt, quod nec apud Victorem Vitenſem, nec apud notitiam, ut ajunt, Epiſcopatuum mox citandam, ulla earundem exſtet memoria. Nam hæc difficultas facillimè perrumpitur dicendo, fieri potuiſſe, quod poſt finem ſæculi quinti in Epiſcopales Sedes erectæ ſint, & quod vertente ſæculo nono antiquatæ jam fuerint, quemadmodum antiquata tunc erat Sedes Foro-Trajanenſis, ut alibi opportunius oſtendam.

VI. Circa finem ſæculi noni non ſecus atque ſæculo quinto quatuor tantum numerabantur in Sardinia Sedes, nimirum *Calaritana*, *Turritana*, *Sulcienſis*, *&* *Phauſanienſis*. Harum numerus conſtat ex antiqua Notitia Epiſcopatuum ſub Leone Sapiente anno DCCCXCI. conlecta (3).

VII. Nec ſupervacuum, nec a meo inſtituto ſejunctum cenſeo breviter hic inveſtigare, utrum ſæculo decimo ullæ fuerint Epiſcopales Sedes in Sardinia, & an hæ per idem tempus, quemadmodum etiam per alia duo ſæcula ante Patriarchæ Romano, vel Conſtantinopolitano paruerint. Si genuina eſſet Conſtitutio, quæ ſub Leonis VIII. nomine circumfertur a nonnullis, de re primò propoſita non amplius dubitari poſſet, quippe huic ſubſcribit Citonatus Archiepiſcopus Calaritanus. Verum quoniam ſunt viri non pauci in re Diplomatica verſatiſſimi, qui in apocryphis eam numerant, ut alibi diſſeram, iccir-

(1) *In Not. ad Epiſt.* 8. *S. Greg. Mag. l.* 9. *Indic.* 2.
(2) *Epiſt.* 4. *l.* 13. *Indic.* 6.
(3) Apud Beveregium *in Annotat. ad Pandectas T. II. pag.* 143. *Edit.* 1672.

Digitized by Google

iccirco adhuc locus ambigendi relinquitur. Ego tamen magis ſum ad opinandum propenſus, nonnullos reipſa extaſſe; nam in Sicilia (1), ac in Africa Saracenorum ætate Epiſcopi erant (2); cur ergo dici non poterit ſaltem probabiliter, extitiſſe quoque in Sardinia? Illud autem verum exiſtimo, perpaucos fuiſse; in Africa enim, ubi ducenti, & ultra numerabantur Epiſcopi, ſæculo undecimo ob Saracenorum tyrannidem vix quinque ſupererant (3): itaque multo magis pauciſſimos fuiſse in Sardinia Epiſcopos, Saracenis eam occupantibus, aſserendum eſt, cum temporibus etiam Principum Orthodoxorum ibi ad ſummum ſeptem exſtiterint Epiſcopales Sedes.

VIII. Cuinam ex duobus Patriarchis Sardiniæ Eccleſiæ ſæculis paullò ante memoratis paruerint, perquam difficile eſt explicatu, ſiquidem nulla hac de re monumenta ad noſtra manſerunt memoriam, quæ hoc tradant. Quare cum nihil ſit tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate, atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis cognitum ſit, ſine ulla dubitatione defendere, nihil certi in præſentia ſtatuam, ſed veluti in utramque partem breviter diſputabo, ut videat Lector, me nihil omninò prætermiſiſſe, quod ad Sardiniæ Eccleſiarum Hiſtoriam illuſtrandam conſerre queat.

IX. Ac fuiſſe ſub Romano Patriarcha demonſtrari poſſe videtur, cum ex eo quod in Notitia Epiſcopatuum ſub Leone Sapiente confecta, & apud Doctiſſimum Goarium ita inſcripta: *Ordo præſidentiæ Sanctiſſimorum Patriarcharum*, quam ego, quippe in pleraſque omnes Sedes in ea memoratas dominabantur Patriarchæ Græci, *Notitiam Epiſcopatuum Græcorum alibi* (4) nuncupavi, Sardiniæ Eccleſiæ inter eas recenſentur, quæ exſtabant in *Provincia Romæ, ſive Italiæ Primati ſubjecta*; tum ex eo, quod in brevi deſcriptione *finium Sanctiſſimorum Patriarcharum, & Apoſtolicarum Sedium enumeratione* (5) Sardinia ponatur ſub primo Throno, nempe ſub Patriarcha, & Antiſtite Romano. Verum hæc monumenta certum nobis haud ſuppeditant argumentum ad oſtendendum, nullum præterquam Romanos Pontifices Sardiniæ Eccleſias eſſe obſequutas; nam in præfata Notitia Siciliæ item, & Calabriæ Epiſcopatus inter eos referuntur, qui erant in *Provincia Romæ, ſive Italiæ Primati ſubjecta*, cum tamen dubitari non poſſit, quin illi per ea tempora ſolum Conſtantinopolitanum Patriarcham ſint venerati (6). Brevis deſcriptio, de qua nuper mentio facta eſt, qua ætate conlecta fuerit, ignoratur; ideo in hac controverſia non magni ejus auctoritas facienda eſſe videtur.

X. In

(1) Vid. Roch. Pirrum *T. I. Siciliæ Sacra col.* 608. *Ed.* 1733.

(2) Confer Leonis IX. R. P. *Epiſt.* 4. *ad Petrum, & Joannem EE.* apud Labb. *Tom. IX. Concil. col.* 973., itemque Pagium *ad ann.* 893. *num.* 1.

(3) Hic Epiſcoporum numerus erat in Africa anno 1053. teſte eodem Leone. Anno 1076. duo tantum ſupererant Præſules. Conſule Pagium *ad eum ann. num.* 7.

(4) *Cap.* 2. *hujus Diſſert. pag.* 6. *in not.*

(5) Exſt. ad calcem Georgii Codini *de Officiis, & Officialibus Curiæ, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pag.* 363. *inter Hiſt. Byzant. edit. Pariſ.*

(6) Vide Pagium *ad ann.* 892. *num.* 15. Rochum Pirrum *Diſquiſit.* 1. *de Patriarcha Siciliæ* §. 3. *pag.* 77. *& ſeq. T. I. Sicil. Sac.* Confer etiam *eandem Notit. Epiſcopat. pag.* 350. *Notit. Patriarchat. Conſtantinopolit. pag.* 367., *ac Notit. Leonis Sapientis pag.* 379. Omnes exſtant *ad calcem Codini edit. citatæ.*

X. In medium nunc affero unicum argumentum, quod, quantum intelligo, objicere quis poſſet ad probandum, Epiſcopos Sardos Patriarchæ Conſtantinopolitano obtemperaſſe. Archiepiſcopus Calaritanus Epiphanium Legatum ſuum miſit ad Synodum Nicænam II anno DCCLXXXVII. celebratam. Porrò huic Synodo ſoli interfuere Epiſcopi, in quos Patriarcha Conſtantinopolitanus jurisdictionem ſuam exercebat, prout ex eorum ſubſcriptionibus apud Labbeum (1) fit manifeſtum. Ejuſmodi ratio non ita levis eſt, ut non me cogat ad ambigendum, Epiſcopos Sardos revera iis temporibus Romano Pontifici ſe ſubtraxiſſe. At enim apodicticam eam haudquaquam exiſtimo; Nam licet in ſubſcriptionibus non legantur niſi Antiſtites Metropoli Conſtantinopolitanæ ſubjecti, attamen, cum exploratum ſit, memoratæ Synodi Patres fuiſſe tercentos quinquaginta, & fortaſſis etiam plures (2) ex univerſo orbe convocatos (3), cumque eorum nomina, qui in Actis nunc apparent vix ad numerum tercentorum, & decem perveniant, quis, Deus bone, ſubſcriptiones mancas, & imperfectas non videt? Itaque præfatum argumentum haud invictè probat, Eccleſiam Calaritanam ad juriſdictionem Patriarchæ Conſtantinopolitani ſpectaſſe; maxime cum nulla ex tot antiquis Notitiis, quas Goar vir doctiſſimus ad calcem Georgii Codini in lucem emiſit, inter alias Eccleſias eidem ſubjectas illas Sardiniæ referant. Præterea, eſto ſubſcriptiones integræ ſint, erit, qui inficias ibit, omnes Epiſcopos, quorum nomina in iis leguntur, Patriarchæ Conſtantinopolitani obtemperaſſe; Epiſcopos namque Inſulæ Siciliæ, qui Concilio Nicæno interfuere, & ſubſcribunt, ea ætate ſolum Romanum Pontificem veneratos eſſe, contendit Rochus Pirrus (4).

XI. Expulſis poſt ſæculi undecimi initium Saracenis, multum auctus eſt Eccleſiarum numerus, adeout ſæculum æræ Chriſtianæ decimum ſecundum circiter tres Metropolitanæ, & quindecim Epiſcopales Sedes in Sardinia numerarentur. Quænam verò hæ fuerint, & quiſnam earum ordo ex notitia, ut ajunt, Eccleſiaſtica, quam hic damus (5) fit manifeſtum. Itaque erant præfata in Inſula ſequentes Antiſtites, nempe

SUB

(1) *Tom. VII. Concil. col. 557., & ſeq.*

(2) Lege Binium *in nat. ad idem Concil. apud Labbeum col. 652.*

(3) Anaſtaſius a Binio citatus *ibidem*, ita PP. Concilii alloquitur: *igitur quoniam a toto terrarum Orbe collegit vos Deus conſilium ſuum ſtatuere volens.*

(4) *Loco modo indicata.*

(5) Notitia Eccleſiarum Sardiniæ, quam ab Eruditiſſimo Sbaralea acceptam heic exhibeo, fragmentum eſt Notitiæ Eccleſiarum totius Orbis, quæ exſtat Mſ. Florentiæ in celebri noſtri Conventus Sanctæ Crucis Bibliotheca *Cod. 603. in Fol. Scam. 18. Clauſtrum verſus, media inter Hiſt. Eccleſiaſt. Euſebii, & Hiſt. Martini Polani.* Exarata fuiſſe videtur inter annos 1291., & 1297., cum quia in ea prope finem legitur, Soldanum Ægypti inter alia Oppida *Acconem, & Tyrum* a Saracenis anno 1291. capta poſſidere; tum quia in eadem deſideratur Epiſcopatus *Apamiarum* a Bonifacio VIII. anno 1297. inſtitutus. Probe ſcio, duas ex hujuſmodi notitiis publici juris feciſſe Cl. Schelſtratium *Tom. II. Antiquit. Eccl. Illuſtrat. in Append. ad Opus Geograph. pag. 754., & 763.*, quarum unam ad fidem aliorum Codicum, ab ſe emendatam, putat, fuiſſe collectam ætate Cœleſtini III., & anno 1225. a Viro Religioſo, & Milone ejus Abbate conſcriptam; alteram ab Epiſcopo Catharenſi ann. circiter 1347. Duas pariter ex diverſis Codicibus ante Schelſtratium edidit vir de Geograph. Sacra optime meritus Carolus a S. Paulo *ad calcem Geograph. Sacræ pag. 59. & 71. edit. Joan.*

Cleri-

SUB ARCHIEPISCOPO CALARITANO
Sulcitanus (1), *Dolienſis*; *Suellenſis* (2),
TURRITANO,
Sorrenſis (3), *Planacenſis* (4), *Ampurienſis* (5), *Giraclenſis* (6), *Caſtrenſis* (7), *Othanenſis* (8), *Boſanenſis* (9),
ARBORENSI (10),
Uſellenſis (11), *Sanctæ Juſtæ*, *Terrealbæ*, *Civitatenſis* (12), *& Galtellinenſis dicuntur Domini Papæ* (13).

XII. Atque hic Eccleſiarum numerus perſtitit uſque ad finem ſæculi decimi quinti, vel initium decimi ſexti, ſed poſtea multum diminutus eſt, ſiquidem cum pluribus Eccleſiis proventus adeò defeciſſent, ut illarum Epiſcopi ſine propriæ dignitatis diſpendio vivere nequirent, aut ſuæ Metropolitanæ, aut Sedi propinquiori eæ unitæ ſunt, ut fuſius narrabo, dum de unaquaque Eccleſia ſeparatim mihi res erit. Per hæc tempora ſeptem ſunt in Sardinia Eccleſiæ nimirum Calaritana, Turritana, Arborenſis Metropoles, Boſanenſis, Ampurienſis, Algherienſis, & Alenſis, ſeu Uſellenſis Sedes Suffraganeæ.

XIII. Has, & non alias fuiſſe laudata in Inſula Eccleſias poſt ſæculum decimum nullo pacto negari poteſt, licet quædam ſint, quæ prima facie videantur obſtare huic Doctrinæ (14). Verum ante præfatum ſæculum multo plu-

Clerici. Ego numerum, & nomina Eccleſiarum Sardiniæ heic exhibeo juxta apographum Biblioth. S. Crucis, quod præ cæteris Edit. accuratius eſt. Neque tamen omiſi illud cum Editionibus laudatis conferre, ac variantes lectiones adnotare, quas ſubjicio. Notitiæ editæ a Schelſt. ita deſignantur. *S.* I. II. Editæ a Carolo *a* S. Paulo hoc pacto. *C.* I. II.

(1) S. II. addit *vel Slucienſem*. C. I. habet *Sulciranum*. (2) S. II. *Suellenſem*. (3) C. II. *Sotrenſem*. (4) S. C. I. *Plavacenſem*. S. II. *Plonacenſem*. C. I. addit *Siphareleuſem*. (5) S. I. *Ampurienſem* non habet. (6) S. I. *Gipharelenſem*. II. *Giſacenſem*, vel *Gruvellenſem*. C. I. II. *Giſardenſem*. (7) C. I. *Glaſtrenſem*. (8) S. II. addit vel *Ocbaicenſem*. C. II. *Othanienſem*. (9) S. C. I. *Boſanum*. C. II. *Roſanum*. (10) S. II. *Alborenſis*. C. I. *Alboienſis*. (11) S. I. *Uſellenum*. (12) S. C. I. *qui eſt Domini Papæ*. S. C. II. *exempt.* (13) S. I. *Galltellinenſem qui eſt Domini Papæ*. C. I. *Caldellinenſem, qui eſt Domini Papæ*. S. II. *Cacellinenſem exemptum* C. II. hujuſmodi Epiſcopatum omittit.

(14) Adverſus hanc Doctrinam illud facere videtur, quod legitur in Libro Cenſuum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ a Cencio primum Cardinali Camerario, deinde in Pontificem electo nomine Honorii III. compoſito anno Incarnationis Domini MCXCII., & a Clariſſimo Muratorio ex quodam Codice longe poſt memoratum annum exarato publici juris facto *T. V. Antiquitatum Ital. Medii Ævi Diſſert. ſexageſima ſexta*, quæ eſt *de Cenſibus*, *ac Redditibus olim ad Eccleſiam Romanam ſpectantibus*. In eo ergo *col.* 895. inter Epiſcopatus Archiepiſcopi Calaritani Suffraganeos legitur quoque Epiſcopatus *Barbarienſis* ceu ab aliis tribus diverſus; in iis autem, qui Archiepiſcopo Turritano parebant, numeratur Epiſcopatus *de Phugi* præter alios ſeptem, de quibus nuper mentionem ego feci. Fateor, hujuſmodi nodum difficilem ſolutu eſſe, attamen haud me cogit receptui canere. Itaque exiſtimo, præfati Libri Auctorem ex eo, quod aliqui extiterint Epiſcopatus, qui duobus appellabantur nominibus, Eccleſias in Sardinia multiplicaſſe. Regionem *Barbariam* vocatam per ea tempora in Sardinia exſtaſſe apparet cum ex iis, quæ diſſerui *cap.* 2. *hujus Diſſertat. num.* 4. *in Notis*, tum ex Diplomate, quo Bariſon Rex Arborenſis anno MCLXXXII. Eccleſiæ Sancti Benedicti Montis Caſſini conceſſit Templum Sancti Nicolai de *Gurgo*; Ipſi enim inter alios teſtes ſubſcribit *Orzocor de Lacon Arborikeſus Curator de Barbaria de Meana*: apud Gattolam *Par.* I. *Acceſſionum ad Hiſt. Abbat. Caſſin. Diſſert.* I. *Par.* 5. *pag.* 267., & Montfauconium *Diario Italico cap.* 22. *pag.* 388., ſed Epiſcopatum *Barbarienſem* eundem fuiſſe, atque *Suellenſem*, in Epiſcopis Suellenſibus probare conabor. Oppidum *de Phugi* in Sardinia non modo

plures, quam a nobis numeratas extitiſſe, ſunt qui contendunt; ac inter hos numerari primum debent Doctiſſimi Conciliorum Editores Harduinus, atque Coleti (1) exiſtimantes, in Sardinia fuiſſe *Sanafer*, cujus Epiſcopus Bonifacius ab Hunnerico Wandalorum Rege Carthaginem cum aliis Africanis vocatus, & in exilium pulſus eſt, ut tradit Victor Vitenſis (2). De iſtius Civitatis *exiſtentia* in Sardinia dubitat etiam Carolus a Sancto Paulo (3). De *Tegula* verò Sede Epiſcopali non ambigit, ſed certo aſſerit in Sardinia extaſſe vir Eruditiſſimus (4), cnjus opinioni Bingamus quoque adſtipulatur (5). Franciſcus Fara (6) Sardiniæ adjudicat Eccleſiam *Mirenſem* Faræ hac in re conſentit Vicus (7), qui eam vocat *Tilienſem*, ac præterea ſcribit, extaſſe etiam Sedem *Baracenſem*, quarum utramque ſuffraganeam fuiſſe Archiepiſcopo Turritano, veluti pro aris, ac focis pugnat.

XIV. Ejuſmodi Epiſcopales Sedes nunquam ſub Sardo fuiſſe Cœlo firmiter credo. Quod ad primam attinet, Cl. Ruinartus (8) opinatur, *Sanafer* extitiſſe in Mauritania Secunda, nempe Sitifenſi Africæ Provincia, nec ab ea differre Sede, quam Auctor Notitiæ Epiſcopatuum ſub Leone Sapiente conlectæ, juxta editionem Beveregianam appellat *Sanaphos* juxta editiones verò Goarii, & Schelſtratii *Suffara* nuncupat. Verum Auctoris Doctiſſimi, ac de Hiſtoria, deque Geographia Sacra præclarè meriti ſententia ſin minus prorſus falſa, at non ita ad veritatem propenſa eſt, ut aſſenſum extorquere a me queat. Principio, quominus in Ruinarti opinionem pedibus eam, illud me impedit, quod compertum habeam, Victorem Vitenſem de Mauritaniæ Sitifenſis Epiſcopis omnibus ſpecialem ſermonem antea inſtituiſſe; igitur ſi Bonifacius Urbis *Sanafer* Epiſcopus ad præfatam ſpectaſſet provinciam, inter illos, minimè verò inter Sardiniæ Præſules iſtius meminiſſet. Accedit; cum Bonifacius in Sardiniæ Pontificibus numeretur, veriſimillimum eſt, Sardiniæ Metropolitæ fuiſſe ſubjectum (9). Porrò Mauritania Secunda nunquam Inſulæ

modo Geographi Veteres, Recenteſque, ſed ne ii quidem, qui ex inſtituto de præfatæ Inſulæ Locis egerunt, ut Vicus, & Vitalis memorant; hinc cum deprehendere nequiverim, in qua Sardiniæ parte ſitum fuerit, ne conjectura quidem aſſequor ad quemnam ex ſeptem Epiſcopatibus Archiepiſcopo Turritano ſubjectis Eccleſia *de Phagi* referenda ſit. Illud autem certum duco, Epiſcopatum, qui in Libro Cenſuum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ appellatur *de Phagi*, non fuiſſe octavum, qui ea ætate Turritano Metropolitæ obtemperabat; enim verò de hujuſmodi Sede nullum ex Notitiarum Eccleſiaſticarum exemplaribus mentionem facit, nulluſque *de Phagi* Antiſtes, aut in Actis Conciliorum, aut in aliquo ex tot eorum temporum monumentis, quæ ipſe accurate pervolvi, memoratur.

(1) *In Indice Geograph. Epiſcopatuum.*

(2) *Lib. 4. de Perſeq. Africana.*

(3) *Geograph. Sacra pag. 67. edit. Amſtelod. Joannis Clerici.*

(4) *Opere, & loco nunc deſignat.*

(5) *Deſcript. Geograph. Epiſcopat. Occidentis exſt. T. III. Originum Eccleſiaſticarum lib. 9. cap. 7. de Diœceſibus Italiæ §. 1. pag. 504. edit. Halæ 1727.*

(6) *Hiſt. de Rebus Sardois col. 43. Tom. XV. Theſauri Burmanni.*

(7) *Tom. I. Par. 1. Hiſt. Sard. cap. 13. Fol. 59., & alibi.*

(8) *In Not. ad lib. 4. Victoris Vitenſis de Perſ. Afric. pag. 395. edit. 1694.*

(9) Hac ratione utuntur Cantelius *Hiſt. Civili, et Eccleſiaſt. Metropol. Urbium Par. 3. Diſſert. 6. cap. 6.*, & P. Carolus a S. Paullo *l. 2. Geograph. Sacra pag. 46. edit. Joannis Clerici*, ad probandum, Inſulas Balearides Sardiniæ Metropolitæ fuiſſe ſubjectas.

læ memoratæ Metropolitæ paruit. Inquiet forſan aliquis Ruinartii defenſor; ſatis probabile eſt, *Sanafer* Urbem eandem eſſe, atque Urbem *Suffara*, quæ ab Auctore *Notitiæ* Epiſcopatuum nuper a nobis memoratæ inter Civitates Mauritaniæ Secundæ recenſetur. Lubenti animo hoc fateor, quamvis intelligo, eſſe nonneminem (1), qui ſuſpicatur, *Suffara* ab Urbe *Suſafaritana* non differre. Verum hujuſmodi argumentum pro Ruinarto quale tandem eſt? Auctor enim præfatæ Notitiæ inter Civitates Epiſcopales Mauritaniæ Secundæ non modo illas, quæ reipſa in ea Provincia exſtabant, verum etiam illas, quæ extra eandem poſitæ erant, ſed ipſius Civili Imperio obtemperabant, recenſet; hinc in iis quatuor Urbes Sardiniæ, Majoricam, atque Minoricam numerat.

XV. Reliquum nunc eſt, ut quid ego probabiliter hac in re ſentiam, in medium proferam. Itaque in ea ſum opinione, ut arbitrer, *Sanafer* extitiſſe in Inſula Corſicæ, ac ſequens graviſſima ratio me ad hoc exiſtimandum movet. Corſicam non modo per ea tempora, quibus Ethnicis Imperatoribus non amplius parebat, ſed etiam illa ætate, qua impiiſſimus Vandalorum Rex Orthodoxos Epiſcopos Carthaginem arceſſivit, propriis uſam eſſe Pontificibus, tam certum eſt, ut vix alia reperiri teſtatior hiſtoria queat (2). Certum ſimiliter eſt, paullo poſt medium ſæculum æræ vulgaris quintum Corſicam ad Vandalos ſpectaſſe (3), ergo ferme certum pariter erit, aliquem ex præfatæ Inſulæ Epiſcopis una cum aliis Carthaginem acceſſiſſe; at ſi dematur *Bonifacius de Sanafer*, nullus eſt, aut ego fallor, qui Corſicæ adjudicari queat. Non ſcribo hoc temere, nam teſte Victore Vitenſi ex quadringentis ſexaginta ſex, qui ab Hunnerico vocati ſunt, primi quinquaginta quatuor erant Epiſcopi in Provincia Africæ Proconſulari, centum viginti duo ſequentes in Numidia, centum undecim, qui poſt ejus numerantur in Provincia Bizacenæ, centum viginti iſtis ſuccedentes in Mauritania prima, ſeu Cæſarienſi, varias Mauritaniæ Secundæ, ſeu Sitifenſis Eccleſias regebant quadraginta quatuor, qui ſequuntur, diverſas Sedes Provinciæ Tripolitanæ occupabant quinque, qui ſeriem Antiſtitum Afrorum explent. Ex iis octo, qui reliqui ſiunt Lucifer, Martinianus, Vitalis, Felix ad Sardiniam, Macarius ad Minoricam, Elias ad Majoricam,

(1) Is eſt Martinierus *T. IX. Mag. Diction. Geograph. Critici ad v.* Suſafaritanus.

(2) Confer S. Athanaſium *Hiſt. Arianorum ad Monachos T. I. Par. 1. pag. 360. edit. Maurat. 1698.* Gennadius Maſſilienſis *de Script. Eccleſ. cap. 97. in Biblioth. Eccleſ. Miræi pag. 73.* ait „ Eugenius Carthaginenſis Africæ Civitatis Epiſcopus, & Confeſſor publicus admonitus ab „ Hunerico Vandalorum Rege Catholicæ fidei expoſitionem, & maximè verbi *Homouſii* pro„ prietatem differere cum conſenſu omnium Africæ, Mauritaniæ, & Sardiniæ, atque Corſi„ cæ Epiſcoporum, & Confeſſorum, qui in Catholica permanſerunt Fide, compoſuit librum „ Fidei. „

(3) Victor Vitenſis *de Perſecut. Afric. l. 1. pag. 676. Tom. VIII. Biblioth. Vet. PP. edit. Lugd.* 1677. in hunc modum loquitur de Genſerico Vandalorum Rege „ Poſt cujus mortem „ (*ſcilicet Valentiniani III. Imperatoris anno CCCCLV. defuncti*) totius Africæ ambitum obti„ nuit, nec non & Inſulas maximas Sardiniam, Siciliam, Corſicam, Ebuſum, Majoricam, Mi„ noricam, & alias multas ſuperbia ſibi conſueta defendit. „ Idipſum apparet ex eo, quod plures ex Epiſcopis Carthaginem ab Hunnerico anno CCCCLXXXIV. vocatis relegati ſunt in hanc Inſulam, *ut ligna profatura navibus dominicis* inciderent. Confer eundem Vitenſem *Op. indic. l. 4. pag. 689.*

Opilius ad Ebyſſum Inſulas ſpectabant; igitur ſolus Bonifacius *de Sanafer* Epiſcopus in Corſica eſſe poterat.

XVI. Sentio quid adverſus hanc meam Doctrinam objicere queunt. Nullus ex iis, qui olim Corſicæ Urbes recenſuit, mentionem facit de Urbe *Sanafer*; perperam ergo in Corſicæ Inſula fuiſſe ſtatuitur. Verum quidem eſt, antiquos Geographos de hac altiſſimè ſilere, ſed non idcirco infertur, *Sanafer* in Corſica haudquaquam extitiſſe. Quis enim vetuſtiſſimorum Geographorum meminit antiquiſſimæ Urbis Sardiniæ Phauſaniæ? quis eorundem diſſerit de pluribus inſignibus Oppidis præfatæ Inſulæ ab Anonymo Ravennate (1) memoratis, quorum certum ſitum ne conjectura quidem aſſequi potuit ejus illuſtrator Doctiſſimus Maurinus Placidus Porcheronius? Porro, ſi Geographi plura prætericrunt Sardiniæ, immo verò etiam aliarum Provinciarum Oppida, quemadmodum ſi neceſſe foret, & per tempus liceret, oſtendere poſſem, quænam, Deus immortalis, eſt ratio, cur aſſerere nequeamus, veteres Geographos Urbem Corſicæ *Sanafer* prætermiſiſſe, maxime cum certum, exploratumque ſit, multas extitiſſe in Corſica Civitates, Veteres autem, qui de iis ſermonem inſtituerunt, paucas exhibere (2)?

XVII. *Tegulam* ſpectaſſe olim ad Sardiniæ ſolum tradunt Geographi (3), quibus iniquum ducerem negare fidem. At enim aliquando Epiſcopum habuiſſe compertum non eſt, *nec id ſatis liquet, fuerit ne Oppidum, an alius cujuſdam conditionis locus* (4). Quocirca jure, atque merito Donatum, de quo fit mentio in collatione Carthaginenſi, quemque, teſte Carolo a Sancto Paulo (5) Epiſcopum in Sardinia nonnulli dixerunt Holſtenius (6), Ruinart (7), Harduinus (8), & Martinierus (9) ſentiunt, Eccleſiam Tegulatenſem, ſeu Teglatenſem in Africa ſitam gubernaſſe.

XVIII. Sanctus Gregorius Magnus anno ſui Pontificatus quinto Epiſtolam (10) dedit Petro Notario in Sardinia, in qua, quoniam Severinus *Mirien-*

(1) *Lib. 5. Geograph. num. 26.*

(2) C. Plinius *T. I. Hiſt. Natur. l. 3. cap. 12. pag. 159. edit. Hardu.* ponit in Inſula Corſicæ Civitates XXXIII. Huic Civitatum numero, tametſi nec plures Codices, quos Doctiſſimus Harduinus conſuluit, nec Martianus Capella obſtant, repugnant Cellarius *T. 1. Geograph. Antiq. l. 2. cap. 11. pag. 768. edit. Lipſ. 1731.*, & Cluverius *Corſica Antiq. col. 40. Tom. XV. Theſauri Burmanni* ſcribens, memoratas a Plinio *non Civitates fuiſſe omnes, ſed loca levi quodam opere communita*. Fac, Cluverium vera dicere, negari tamen non poſſe videtur ex iis plures Urbes fuiſſe. At Diodorus Siculus, Pomponius Mela, & Seneca apud Cellarium *loco nuper indic.* duas tantummodo recenſent, quatuor Auctor Itinerarii, qui communiter dicitur Antoninus apud Schelſtrat. *T. II. Antiq. Eccleſ. Illuſtr. pag. 577.* Verum quidem eſt, Ptolemæum *l. 3. Geograph. pag. 50. edit. 1541.*, narrare XXVII. Civitates in Corſica extitiſſe, quas inter fruſtra Sanafer quæritur, ſed quicunque ſcit tot mutationes, quæ de plurium Urbium nominibus acciderunt, ſibi facilè perſuadet, haud impoſſibile eſſe, earum aliquam poſt Ptolemæi ætatem hoc nomine vocatam fuiſſe.

(3) V. Cluverium *Sard. Antiq. col. 27.* Martinierum *opere cit.* ad V. *Tegula*, & alios, quos recenſere mihi non eſt otium.

(4) Cluverius *ibidem*.

(5) *Opp. et loco nuper laud.*

(6) *In Not. ad Geograph. Sacram Caroli a S. Paulo pag. 67.; et 98.*

(7) *Opp. indic. pag. 280.*

(8) *In Ind. Geograph. Epiſcopat.*

(9) *In Dict. G. C. ad v. Tegula.*

(10) *Epiſt. 9. l. 5. indic. 13.*

rienſis Epiſcopus memoratur, ideo Fara, hanc quoque Sedem in Sardinia extaſſe poſteritati propagavit. Doctiſſimi Maurini (1) tamen in poſtrema Operum Sancti Patris editione *to in Sardinia* expunxerunt, eo quod licet hoc pacto in omnibus omnino Editionibus legatur, ſinguli optimæ notæ Codices, quos ii pervolverunt, nihil penitus de eadem Inſula habent; unde ne minima quidem ſupereſt ratio, quamobrem inter Sardiniæ Eccleſias hanc quoque numeremus. Ex hoc infertur, Severinum laudatum neque *Tillienſis* Eccleſiæ fuiſſe Epiſcopum, ſicuti Vicus ſomniavit. Accedit, quod licet Epiſtola Gregorii ſcripta fuiſſet Petro Notario in Sardinia, nihil ex hoc colligi pro Vico poſſet; etenim ea in Epiſtola Severinus in Editionibus veteribus, & Maurinorum dicitur Epiſcopus *Mirienſis*, in recentioribus *Alerienſis* (2), in nulla Antiſtes *Tillii* oppidi olim in Sardinia poſiti (3).

XIX. Ad poſtremum videndum eſt, utrum ſaltem *Baracenſis* Eccleſia inter alias Sardiniæ recenſenda ſit. Vicus, ut paullò ante diximus, Baracenſem Eccleſiam tempore Sancti Gregorii Magni Turritano Antiſtiti ſuffraganeam fuiſſe opinatur. Sed hac in re longe alia mens eſt mihi, reorque ex eo quia *Baracis* Oppidum in Sardinia (4), & in Africa (5) fuerit, in errorem lapſum eſſe Vicum. Cæterum, Petrum Epiſcopum, ad quem ſcribit Gregorius Magnus (6), quemque inter Antiſtites Sardiniæ numerat idem Vicus, Eccleſiam Baracenſem Africæ, non Baracenſem Sardiniæ, quæ proprio arbitratu conficta eſt, adminiſtraſſe probant Guſſanvilleus (7), & Maurini Patres (8).

C A P. V.

Quot fuerunt in Sardinia Metropolitæ ante decimum Eccleſiæ ſæculum. Quando hæc Inſula Metropolitam primò adepta eſt. In quas Eccleſias Juriſdictionem ille exercebat.

I. UBI primum in mentem mihi venit de Sardiniæ Metropolita verba facere, diſputare duntaxat de tempore, quo hæc Inſula illum conſequuta eſt, ſtatui, ac deliberavi, minimè vero inveſtigare, quot fuerint ibidem, qui hac dignitate præditi erant. Tunc enim certum, ratumque eſſe apud omnes putabam, unum Calaritanum Antiſtitem Metropolitico jure ornatum fuiſſe. At vero cum poſtmodum Sardiniæ Hiſtoriam a Franciſco Vico confectam pervolverem, ab eadem intellexi (9), auctorem contendere, Turritanum Præſulem jam inde a ſæculo Eccleſiæ quinto Metropolitico honore fulſiſſe, iccircò ſtatim animum mutavi meum, & ad trutinam vocare conſtitui, jure ne, an injuria id aſſerat.

II. Certe, quantum capio, injuria omnino id aſſerit. Nam antiqua monumenta Calaritanum Epiſcopum tan-

 tum

(1) *In not. ad hanc Epiſt.*

(2) Confer *not. PP. Maur. ad Epiſt. cit.*

(3) *Tillium* Sardiniæ oppidum memoratur a Ptolemæo. Cluverius *in Sard. Antiq. col.* 15., & Baudrand *T. II. Lex. Geograph.* putant, fuiſſe idem oppidum, quod nunc *Argentera* vocatur.

(4) Confer Martinierum *in Diction. G. & C.* ad v. *Baracis*.

(5) V. Cellarium *T. II. Geograb. Antiq. l. 4. c. 2. pag.* 848. *&* 851. *edit. Lipſ.* 1732.

(6) *Epiſt. 16. l. 3. Indic.* 11.

(7) *In not. ad Epiſt. cit.*

(8) *In not. ad eandem Epiſt.*

(9) *T. I. Par. I. Hiſt. Sard. c. 13. fol. 59. T. II. par. 6. c. 7. fol. 30.*

tum Metropolitam fuiſſe tradunt; quod vero fuerit eadem inſignitus dignitate Præſul Turritanus, ſilent, immo ex ipſis colligitur, hunc Calaritanæ Eccleſiæ obtemperaſſe. Lucifer, qui ſine controverſia Cathedram Calaritanam conſcendit, a Sancto Athanaſio (1), & Theodorito (2) Inſulæ Sardiniæ *Metropolis* Epiſcopus appellatur. Archiepiſcopus Sardiniæ memoratur etiam in Actis Concilii Quiniſexti (3), atque, hunc fuiſſe Citonatum Calaritanum Præſulem, qui circa annum DCLXXX. a Conſtantino Imperatore Archiepiſcopus illius Inſulæ vocatus eſt, & Concilio Conſtantinopolitano pro ſe, & Synodo, quæ ſub ſe erat, ſubſcripſit (4), aut alium Antiſtitem in Citonati locum ſuffectum, cæcus eſt, qui non videt. Porrò autem ejuſmodi rationes, niſi me amor ſuſcepti negotii fallit, evidenter demonſtrant, ſolum Calaritanum Epiſcopum jus Metropoliticum per id temporis habuiſſe; enim vero ſi Turritanus quoque Antiſtes Metropolita fuiſſet, quonam pacto, Deus bone, Calaris Præſul aut Metropolitanus, aut Archiepiſcopus Sardiniæ verè dici quiviſſet, cum eadem in Inſula alter eſſet, qui pari dignitate fulgebat? Ad hæc, in notitia antiqua Epiſcopatuum (5) Eccleſia Calaritana appellatur Metropolis, Turritana non item. Præterea Sanctus Gregorius Magnus anno ſui Pontificatus quarto Januario Archiepiſcopo Calaritano commiſit, ut Presbyterum aliquem in Epiſcopum Phauſanienſem conſecraret (6), „ At Pauſa„ nias, *inquit Joſeph Cantelius* (7), „ locus eſt in extrema Sardiniæ ora „ Corſicam verſus, ſex dierum itine„ re diſſitus a Calari, nuncque Am„ purienſi Epiſcopo, qui Turritano „ ſuffraganeus eſt, contributus: unde „ conſequens eſt, nullum id temporis „ Turritanum fuiſſe Metropolitam: erat „ enim ipſius, ſi quis tum fuit, non „ Calaritani, hunc Epiſcopum ordina„ re „ Accedit; nullus, quod ſciam, Auctor, qui parem ſapientiam habeat, ac ſinceritatem, hactenus litteris conſignavit, Turritanum Eccleſiam ante ſæculum decimum æqualem fuiſse dignitate Sedi Calaritanæ; e contrario non deſunt viri Doctiſſimi, ut Cantelius citatus (8), Labbeus (9), Holſtenius (10), le Cointe (11), Guſsanvilleus (12), atque alii bene multi, qui ſcribunt, Turritanam Eccleſiam Calaritanæ fuiſse ſuffraganeam. Equidem hoc negari non poteſt, niſi aut ab ignaris, aut ab oſtinatis, qui in meridie etiam cæcutire volunt: primum, quia inter Epiſcopos, quos Sanctus Gregorius hortatur ad Paſchalem denuntiationem ex more a Calaritano Antiſtite eorum Metropolita ſuſcipiendam, & ad non egrediendum ex Inſula ſine illius permiſ-

(1) *Apologia de Fuga ſua pag. 322. & in Hiſt. Arianorum pag. 363. T. I. par. 1. ed. Maurin.*
(2) *Lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 15. pag. 81. ed. Taurin. 1748.*
(3) Apud Harduin. *T. III. col. 1699.*
(4) Apud Hard. *ibidem col. 1435., & 1442.*
(5) Apud Beveregium *T. II. Pandectarum Canon. in Annot. pag. 143. edit. 1672.*
(6) Conſule *ejus epiſt. 29. lib. 4. Indic. 12.*
(7) *Hiſt. Civili, & Eccleſiaſt. Metropol. Urbium par. 3. diſſert. 6. c. 3. n. 4.*
(8) *Op. & diſſ. indic. cap. 3. pag. 472.*
(9) *Appar. ad Hiſt. Concil. in Append. 1. Geograph. Epiſcopat. c. 1. §. 6.*
(10) *In not. ad Geograph. Sacram Caroli a S. Paulo pag. 67. Ed. Clerici.*
(11) *T. VII. Ann. Eccleſiaſt. Franc. ad an. 815. n. 11.*
(12) *In not. ad epiſt. 8. l. 9. Indic. 2. S. Gregorii Ed. Maurin.*

miſſione, erat quoque, velint, nolint Saſsaritani, Marinianus Epiſcopus Turritanus (1): deinde, quia explorata res eſt, Archiepiſcopum Calaritanum uſque ad medium ſæculum ſeptimum circiter Præſulem Turritanum in Epiſcopum ordinaſse (2). Tandem, quia doctrinam hanc non obſcure tradit Rota Romana; Ea enim, contendentibus coram ſe de totius Sardiniæ Primatis titulo duobus Archiepiſcopis Calaritano, nec non Turritano, tametſi neutri tantum tribuerit honorem, tamen anno circiter MDCXL. definiit, Calaritanam Sedem antiquiorem Turritana eſse Metropolim (3). Nunc ita ratiocinor. Quo tempore Eccleſia Calaritana uti Metropolitano cœpit, Turritana Civitas vel peculiarem obtinuerat Epiſcopum, vel eo carebat: primum Turritanos mihi eſſe reſponſuros ſcio, nam jam uſque a temporibus Apoſtolorum ſuæ Eccleſiæ originem ducunt. Igitur ea ætate Sedes Turritana Calaritanæ obtemperabat; non enim defendi poteſt, immediatè, ut loquuntur, fuiſse ſub Romano Pontifice, ſiquidem Epiſcoporum a proprio Metropolitano exemptiones ante ſextum æræ vulgaris ſæculum ſunt in Hiſtoria Eccleſiaſtica penitus inauditæ (4).

III. Longe operioſius eſt aliquid certi ſtatuere de tempore, quo Calaritanus Præſul Metropolitica dignitate decoratus eſt. Cantelius (5), & Schelſtratius (6) opinantur, Sancti Athanaſii ætate Luciferum Calaris Epiſcopum fuiſse Metropolitanum Sardiniæ. Thomaſſinus autem id inficiatur, ac labente ſæculo duntaxat ſexto Calaritanum Præſulem jus Metropoliticum adeptum eſse, contendit; unde poſteaquam demonſtravit (7), Epiſcopos Sardiniæ, & Siciliæ cum aliis Italiæ Antiſtitibus ad Romana Concilia conveniſse, ita ſubdit (8): *apparet ergo Metropoles Mediolanenſem, Ravennatem, Syracuſanam, Calaritanam inſtitutas poſtea fuiſſe* (nempe poſt Concilium Romanum anno CCCXIII. celebratum). *Prima videtur emerſiſſe interea Mediolanenſis Metropolis ..... emerſit poſtea Metropolita Ravennas, qui Romam pergere, & ibi ordinari tenebatur, ut ex Epiſtolis conſtat Gregorii, ex quibus, & illud liquet cæteris Italiæ Provinciis nullos fuiſſe Metropolitanos, primumque ipſum miſſo Pallio ea dignitate exornaſſe Syracuſanum in Sicilia, & Calaritanum in Sardinia Epiſcopum.*

I V.

(1) Confer *quæ cap. præced. diſputavi*.

(2) Lege-ſis Anaſtaſ. Biblioth. *T. IV. edit. Blanch. in vita Joan. V. pag.* 119. Calmet *T. VII. Hiſt. Univerſ. l.* 80. *n.* 86. *pag.* 41. *ed. Ven.* 1746.

(3) Apud Papebroch. *in Actis Lucif. Calar. ad diem* 20. *Maii cap.* 11. *num.* 104. ita decrevit. „ Nulla habita ratione circa Primatum propriè dictum, qui conſiſtit in ordinatione omnium „ Eccleſiarum iſtius Regni, in convocatione omnium Epiſcoporum, & Archiepiſcoporum ad „ Concilia, in conceſſione facultatis dandæ Epiſcopis, & Archiepiſcopis exeundi a ſuis diœce- „ ſibus, & aliis prærogativis, reſpectu ſimplicis antiquitatis, & juris Metropolitani, probat „ in favorem Calaritani, quod illius Sedes ſit Metropolis, & antiquior Metropolis „ Confer etiam *T. III. Deciſ.* 251. *anno MDCXXXVII. Par.* 8. *Deciſ.* 92. *anno ſequenti*.

(4) De hoc argumento, quod a nemine hactenus ex inſtituto attactum eſt, non pauca differit quidam *initio Criticæ Ughellianæ*, quam a pluribus annis paravit.

(5) *Opp. & Diſſ. paullo ante cit. c.* 3.

(6) *T. II. Antiq. Eccl. diſſ.* 4. *c.* 5. *n.* 6. *& ſeq.*

(7) *Par.* 2. *Vet. et Nova Eccl. diſcipl. l.* 3. *c.* 40. *n.* 8.

(8) *Ibidem num.* 9.

Digitized by Google

IV. Utut ſit de Metropolibus Mediolanenſi, Ravennate, & Syracuſana, de quibus & egerunt plures in omni Hiſtoriarum genere perfecti homines (1), & me diſputare præſens non exigit inſtitutum, quod ad Calaritanum Epiſcopum attinet, aſsero, falſum omnino eſse, non niſi ſexto labente ſæculo, ſeu Sancti Gregorii Magni ætate Metropolitam creatum fuiſse; ſiquidem ex Sancto Athanaſio (2) aperte liquet, Luciferum Calaritanum, qui, ut alibi diſseram ſub annum CCCLXXI. diem extremum morte confecit, fuiſse Metropolitica dignitate cohoneſtatum.

V. Athanaſii auctoritatem levem nimis eſse, aut potius nullam ad noſtram ſententiam perſuadendam exiſtimatis, cui Thomaſſini Doctrinæ album calculum adjicere placuit, Orlendius (3). Ejuſmodi auctor patitur quidem in græcis Athanaſii exemplaribus, Luciferum vocari Metropolitanum Sardiniæ Epiſcopum, attamen quoniam Theodoretus, qui hæc videtur ab Athanaſio mutuatus, illum non Metropolitanum, ſed Metropolis Sardiniæ Epiſcopum vocat (4), ex hoc colligi debere exiſtimat, per ea tempora Calarim Urbem fuiſse Metropolim quod ad res civiles, non quod ad res Eccleſiaſticas pertinet; idque, & Pagium, & Valeſium item obſervaſse libere aſserit.

VI. Non ego is ſum, qui contendere velim, nullam prorſus extitiſſe olim Civilem Metropolim, quin illa fuerit quoque Eccleſiaſtica. Probe enim ſcio, quid de hac controverſia memoriæ proditum ſit a viris Eruditiſſimis, præſertim a Pagio (5); dicam tamen, quod cum Metropolis Civilis plerumque eſſet etiam Eccleſiaſtica, niſi fortis, ac virilis contraria ratio in promptu ſit, negandum non eſt, Urbem Calarim, quæ, ut omnes ſatentur, iis temporibus jure Metropolitico civili potiebatur, potitam etiam fuiſſe jure Metropolitico Eccleſiaſtico: proindeque tametſi Lucifer non Metropolitanus, ſed Metropolis Sardiniæ Epiſcopus vocetur a Theodoreto, imò & ab Athanaſio in latinis exemplaribus, ſaltem juxta Patrum Maurinorum editionem, qua ego uſus ſum, temerè infertur, quod Metropolitica dignitate inſignitus non fuerit. Et ſanè vix perſuadere mihi poſſum, Sanctum Athanaſium, quando Apologiam de fuga ſua, in qua primò Luciferi meminit, confecit, in ea verſatum eſſe opinione, ut exiſtimaret, Calarim fuiſſe Metropolim tantum Civilem. Enim vero præfatam Apologiam anno CCCLVII., vel ſequenti compoſuit (6), & Concilium Antiochenum ante decem, & ſex circiter annos habitum decreverat, ut omnis Urbs, quæ

(1) De præfatis Metropolibus agit Schelſtratius *Opp. paullo ante indic. diſſ. 4. c. 5.* De Mediolanenſi, ac Ravennate Eminent. Noriſius *T. I. Opp. de Synodo V. c. 10. col. 753., et ſeq. ed. Baller.* De Mediolanenſi agit etiam Murat. *in Propemptico P. Euſtachio a S. Ubaldo:* exſt. ad calcem *T. I. Anecdot. c. 1.* De Syracuſana Cantelius *opp. non ſemel cit. diſſ. 5. c. 4.* Pirrus *T. I. Sic. ſac. Diſquiſit. 2.*, & alii, quos mitto. Præ cæteris diligentius de quinque primis Italiæ Metropolibus diſputat clariſ. Sbaralea *initio Criticæ Ughellianæ, quam a pluribus annis paravit, et cum licuerit in lucem emittet.*

(2) *Op. et locis non ita multum indic.*

(3) *Parte 2. Orbis Sacri, et Propha. l. 4. c. 5. n. 9. pag. 295.*

(4) *Hiſt. Eccl. l. 2. c. 15.*

(5) *In Crit. Baron. ad an. 401. n. 44., et ſeq.*

(6) Confer Maurinos PP. Operum S. Athanaſii Editores *in Admonit. prævia pag. 319.*, & Montfauconium *Animad. 22. in vitam, et ſcrip. S. Athan. Exſt. initio T. II. Coll. PP., et SS. Graec. pag. 50.*

quæ Metropolis erat Civilis, jure etiam Metropolitico Eccleſiaſtico potiretur (1).

VII. Nec Valeſius, nec Pagius noſtræ ſententiæ adverſantur; ſiquidem alter de Metropolibus nullum ſermonem inſtituit; alter probat tantummodo, plures in Galliis extitiſſe antiquitus Metropoles Civiles, quin ædem fuerint Eccleſiaſticæ (2), adverſus præſertim Doctiſſimum Petrum de Marca, qui litteris conſignavit (3), *nulli Metropoli Provinciæ Civilis defuiſſe Metropolitanum Epiſcopum in Galliis*.

VIII. Miror autem, Thomaſſinum virum alioquin Doctiſſimum pro ſua opinione Sanct. Gregorium citare, cum potius ex Sanctiſſimo Pontifice contrarium demonſtretur. Ipſe enim anno ſui Pontificatus primo, ne verbo quidem facto de electione Epiſcopi Calaris in Metropolitam, ad Januarium ejuſdem oppidi Præſulem, ſemel, iterum, ac tertiò ſcribens, hunc ſemper *Archiepiſcopum* vocat (4). Anno a ſua electione quarto eidem Januario præcepit, ut quæ ipſe per Epiſtolas ſignificarat, cunctis ſub ſe Epiſcopis narraret (5); Verum quod magis eſt, eodem anno præfato Antiſtiti in mandatis dedit, ut Epiſcoporum Concilia bis in anno celebraret (6); ubi eſt animadvertendum, Pontificem non poteſtatem celebrandi Synodos primum tunc Januario tradidiſſe, ſed duntaxat juſſiſſe, ut canones, & morem Sardiniæ Provinciæ ſervaret. Itaque Gregorius jam ponebat, a pluribus annis jus provinciales Synodos cogendi Calarinum Præſulem habuiſſe. Id autem nonniſi ad Metropolitanos ſpectat.

IX. Reliquum nunc eſt, ut de Eccleſiarum numero, quæ extra Sardiniam hujus Inſulæ Metropolitæ ſubjectæ erant, paucis diſſeram. Nonnulli Scriptores (7), & hi quidem magni, atque nobiles exiſtimant, illum juriſdictionem ſuam in Epiſcopos Inſularum Majoricæ, Minoricæ, atque Ebuſi exercuiſſe. Alii (8) in Antiſtites etiam Inſulæ Corſicæ. Utraque opinio ſin minus vera, at veriſimillima eſt. Næ Epi-

(1) *Can. 9. apud Hard. T. I. col. 596. juxta verſionem Iſidori Mercatoris* „ Per ſingulas Provincias „ Epiſcopos conſtitutos ſcire oportet, Epiſcopum Metropolitanum, qui præeſt, curam, & ſol„ licitudinem totius Provinciæ ſuſcepiſſe. Propter quod ad Metropolitanam Civitatem ab his, „ qui cauſſas habent, ſine dubio concurratur. Quapropter placuit eum & honore præire, & „ nihil ultra ſine ipſo reliquos Epiſcopos agere ſecundum antiquum Patrum noſtrorum, qui „ obtinuit, Canonem, niſi hæc tantum, quæ uniuſcujuſque Eccleſiæ per ſuam Diœceſim com„ petunt.

(2) *Loco modo laud.*

(3) *Diſſ. de Primatu Lugdunenſi n. 70. pag. 22. edit. 1742. exſt. ad calcem diſſ. de Concordia Sacerd. et Imperii.*

(4) Adeundæ *Epiſt. 62. 64. 83. lib. 1. indic. 9.*

(5) *V. Epiſt. 26. l. 4. indic. 12.*

(6) *Epiſt. 9. lib. 4. indic. 12.* „ Epiſcoporum etiam Concilia, ſicut tam tuæ mos dicitur fuiſſe Pro„ vinciæ, quam juxta Sacrorum Canonum auctoritatem præcipitur, bis in anno celebrare ſe„ volumus.

(7) Labbeus *Appar. ad Concilia in Append. 1. Geograph. Epiſcop. cap. 1. §. 6.* Carolus a S. Paulo *l. 2. Geograph. Sacræ pag. 46. edit. Clerici.* Cantelius *Hiſt. Civili, & Eccl. Metrop. Urbium Diſſ. 6. par. 3. c. 6.* Ruinartus *in not. ad lib. 4. Vitenſis de Perſec. Af. pag. 393. edit. 1694.*, cum quibus videtur etiam concinere Gonzalez *in not. in l. 1. Decret. Tit. 6. cap. 6.*

(8) Carolus le Cointe *T. VII. Annal. Eccleſ. Franc. ad an. 815. n. 11.*, ac Papebrochius *in Actis Lucif. Calarit. cap. 11. n. 104.* Quot fuerint Corſicæ Eccleſiæ, in quas Calaritanus Metropolita

Epiſcopos Inſularum Balearidum, & Ebuſi Calaritano Metropolitæ paruiſse ſuaderi poſse videtur ex eò, quod in Epiſcopis Provinciæ Sardiniæ, qui ab Hunnerico Vandalorum Rege Carthaginem vocati fuere, numerantur etiam præfatarum trium Inſularum Præſules (1): quam ſane rationem moviſse reor Auctorem *Notitiæ Sacræ Patriarchatus Romani* ad ita ſcribendum: *Calaris Metropolis Sardiniæ, & Inſularum Balearium* (2). Obtemperaſse Antiſtites Corſicæ ex eo colligi poſse putat Cointius (3), quod a S. Athanaſio (4) Lucifer dictus eſt Metropolis non Inſulæ, ſed *Inſularum* Sardiniæ Epiſcopus. Ad hoc ſuadendum non levis conjectura etiam eſt, quod Civiles Corſicæ curæ, quamdiu eidem dominati ſunt Romani, ad Sardiniæ Præſidem ſpectarunt, quemadmodum acta S. Saturnini Martyris nos docent (5).

X. Illud tamen animadverto, expulſis ab Juſtiniano Imperatore, ut alias dixi, Vandalis, licet Sardinia, & Corſica non ſecus, ac ante ad Africam ſpectaverint (6), variatum eſſe earundem Eccleſiaſticum regimen, &

Me-

polita juriſdictionem exercebat; ſtatui non poteſt, cum quia, quot olim extiterint ea in Inſula Sedes Epiſcopales non ſatis conſtat, tum etiam quia ignoratur, ad quem annum uſque Corſicæ Epiſcopi præfato Metropolitæ paruerint, tametſi veriſimillimum cenſeam, non niſi Juſtiniani Imperatoris ætate eoſdem Antiſtites eſſe Romano Pontifici *immediate* ſubjectos incœpiſſe. Ferdinandus Ughellius tradit, ante ejuſmodi tempus duas ibidem fuiſſe Eccleſias, nempe Adjacenſem, cui *T. III. Ital. Sac. col.* 493. adjudicat Antiſtitem illum, qui a S. Optato Milevitano *l. 1. de Schiſmate Donatiſt.* vocatur *Evandrus de Vrſina*; & Marianenſem, cui *T. IV. col.* 1000. aſſignat *Catanum*, ſeu *Cantanium* Epiſcopum *Corſicanum* unum ex Patribus Concilii Eliberitani ante annum 313. celebrati, uti Pagius *ad an. 305. num.* 5. demonſtrat. Verum Ughelliana Doctrina dubia eſt, ne quid gravius dicam. Evandrum Epiſcopum fuiſſe *de Vrbina* ſuſpicatur Ludovicus Ellies Dupin. *in Not. ad S. Optatum pag.* 23. Cantonium gubernaſſe Eccleſiam Urcitanam in Regno Granatenſi ſitam probabiliter putat, ſuffragantibus nonnullis codicibus, Joannes Harduinus *T. XI. Concil. in Indice Geograph. Epiſcop. pag.* 705. Eſto contendam, probari certò non poſſe quarto Eccleſiæ ſæculo Marianenſes, & Adjacenſes Cives ſuos habuiſſe Epiſcopos, haudquaquam nego, eos obtinuiſſe per illud tempus, quo ii Calaritano Metropolitæ parebant. Inter Epiſcopales Corſicæ Sedes, quæ præfatum Metropolit. venerabantur, referendam quoque eſſe exiſtimo Eccleſiam *de Sanafer*, quam ea in Inſula extitiſſe *cap. 4. hujus Diſſert. num.* 15. probavi; immo etiam Epiſcopatum Saonenſem. Hunc ſæculo nono temporibus Paſchalis I. R. P. inſtitutum fuiſſe ſcribit Ughellius *Tom. III. col.* 515., ſed longe ante Sancti Gregorii M. ætatem eum erectum probat Epiſtola 78. *lib. 1. col.* 562. ab ipſomet Sanctiſſimo Pontifice *ad Leonem Epiſcop. in Corſica* miſſam: „ Quoniam „ Eccleſiam Saonenſem ante annos plurimos, obeunte ejus Pontifice, omnino deſtitutam agno„ vimus, Fraternitati tuæ viſitationis ejus operam duximus injungendam „. Confer item *Epiſt.* 80. *ejuſdem lib.*

(1) Conſule *Notitiam PP., & EE. Africæ apud Cl. Sirmond. T. I. Opp. col.* 443. *edit. Pariſ.*

(2) Hanc poſt Carolum a S. Paullo edidit Orlendius *ad calcem T. I. Orbis Sacri, & Profani pag.* 4. Quo anno collecta fuerit, ignotum penitus eſt.

(3) *Loco paullo ante citato.*

(4) *Apolog. de fuga ſua T. I. P. 1. pag.* 322.

(5) Apud Monbritium T. II. Fol. 247. *Igitur quidam Barbarus nomine de Inſula Corſica genitus ab Imperio Romano tam Sardiniæ, quam memoratæ Corſicæ actionem promeruit, quam in utriſque Inſulis uno tempore miniſtravit, donec ab Inſulis memoratis Romanum tranſiiſſet Imperium.*

(6) Sardiniam ad Africam ſpectaſſe vivente Juſtiniano Imperatore, & etiam poſt ejus mortem alibi dictum eſt. Idipſum de Corſica ſentiendum eſſe conſtat ex Sancto Gregorio *Epiſt.* 3. *l.* 7. *Ind.* 15.

Metropolitani Sardiniæ juriſdictionis fines anguſtiores factos fuiſse, adeò ut Sancti Gregorii Magni ætate ſoli Epiſcopi Sardi illi obtemperaverint. Eccleſiæ enim Inſularum Balearidum Hiſpaniarum, ſeu potius Africæ Metropolitis ſubjectæ erant, ut adverſus Carolum a S. Paulo demonſtrat Eruditiſſimus Holſtenius (1); hinc Gregorius ipſe cum reſcivіſset, Monachos Monaſterii Inſulæ Capricanæ, vel Caprariæ, quæ juxta Majoricam ſita eſt, malam duxiſse vitam, non ad Vitalem Defenſorem Calaritanum, ſed ad Joannem Defenſorem in Hiſpaniam miſsum litteras dedit (2), ut eos redargueret, & ad bonam frugem revocaret. Epiſcopi verò Corſicæ parebant immodiate, ut ajunt, Romano Pontifici; cujus rei maximo eſt argumento, & quod Gregorius Sagonenſis Eccleſiæ viduæ proprio Paſtore viſitationem delegavit Leoni in eadem Inſula Pontifici (3), ne verbo quidem ſcripto ad Januarium Sardiniæ Metropolitam, & quod proprium habuit Corſica Defenſorem (4). Sed tempus jam eſse intelligo, ut fine prolixæ Diſsertationi impoſito, ſpecialem de quacunque Eccleſia, ejuſque Epiſcopis ſermonem inſtituam.

Ind. 15. Confer etiam *Not. PP. Maurinorum ad eand. Epiſt.* Quocirca videtur aliquid humani paſſus Cl. Papebrochius, qui *loco modo laudato* ſcribit, Corſicam poſt Juſtiniani tempora Sardiniæ Metropolitæ non fuiſſe ſubjectam, quia illius Civile regimen ad Italiam attinebat.

(1) *In not. ad Geograb. Sac. C. a S. Paulo pag.* 46.

(2) *Epiſt.* 46. *l.* 13. *Ind.* 6.

(3) Confer *Epiſt.* 78. *l.* 1. *Indic.* 9.

(4) Lege *Epiſt.* 77. *l.* 11. *Ind.* 4. *S. Gregorii, quæ eſt ad Bonifacium in Corſica Defenſorem.*

ECCLESIA CALARITANA.

Oppidum Calaris, quod veteres Geographi, atque Hiſtorici una voce Caralim, ſive Carales appellarunt (1) totius Sardiniæ Caput, & Proregis Sedes poſitum eſt in ea Inſulæ parte, quæ ad meridiem vergit; eſtque omnium Sardiniæ Oppidorum nobiliſſimum, ac antiquiſſimum Floro (2), & Mela (3) judicibus. Habet portum ſatis aptum ad naves recipiendas, ejuſque mare quietiſſimum eſt, ad quod reſpiciens Claudianus (4) ita cæcinit.

„ Tenditur in longum Caralis....
„ Efficitur portus medium mare, tu-
„ taque ventis
„ Omnibus ingenti manſueſcunt ſta-
„ gna receſſu.

Quod ad eos, qui Calarim Urbem ædificarunt attinet, variant inter ſe Auctores. Etenim Diodorus Siculus (5) a Phocenſibus, Pauſanias (6) a Carthaginenſibus conſtructam volunt.

Hac in Urbe præter alios Chriſti Athletas, de quibus alibi mentio facta eſt, natalem vidit lucem, teſte Ciaconio (7), Hilarius ſanctitate, & Pontificia dignitate clariſſimus. Nati ſunt item Benedictus Cao Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis a Gregorio VII. creatus, & Conſtantinus ejus Patruus, qui & Romanam pro Sardiniæ egenis domum hoſpitalem conſtruxit, reddituſque locupletavit, & curavit, ut Sardinia a Saracenorum tyrannide liberaretur (8).

Calaris, ſi Sardis fides, triginta circiter mille Cives continet, qui maxima religione erga Immaculatam B. Mariæ Virginis Conceptionem flagrant, cui etiam ſacramento, & voto ſe publice obſtrinxerunt anno MDCXXXII. Nonis Martii, quemadmodum tradit Franciſcus Carnizer Vir Nobilitate, Doctrina, Pietateque conſpicuus (9).

Urbis Calaritanæ nobilitatem ſi minus ſuperat, at æquat Epiſcopalis Sedes, qua nulla eſt antiquior, nulla celebrior in Sardinia, paucæ in Italia, ſicuti ex iis, quæ hactenus dixi, & poſthac dicam, omnibus palam fiet. De Epiſcopis, qui Præſuli Calaritano variis temporibus ſubjecti fuerunt, ſatis diſputavi. Per hæc tempora nemo unus eſt Epiſcopus, qui ei obtemperet, quippe jam inde ab initio ſæculi XVI. Eccleſiæ, quæ ipſi parebant, ſuæ Sedi unitæ fuerunt; unde corrigendi ſunt Labbeus (10), Coronellius (11), Miræus (12), ac Bejerlinch (13), quorum primus Le-

(1) Conſule Cellarium *T. I. Geograph. Antiq. l. 2. c. 11.*
(2) Florus l. 2. c. 6. *Sardiniam Gracchus arripuit . . . ſævitum in Urbes, Urbemque Urbium Caralim.*
(3) Mela de ſitu Orbis l. 2. c. 7. *Urbium antiquiſſimæ Caralis, & Sulci.*
(4) *De Bello Gildonico.* (5) *In Biblioth. lib. 5.*
(6) *Deſcript. quinque Regionum Vet. Græciæ l.* 10. Confer item Martinierum in ſuo Dictionar. ad v. *Cagliari.*
(7) *In ejus Vita T. I. col. 867. edit.* 1677.
(8) V. Oldoinum *in Addit. ad Ciaconium T. I. col. 867.*
(9) *In Libro*, cui titulus: *Votum publicum, & juramentum in favorem Immaculatæ Conceptionis a Civitate Calari factum.*
(10) *In Brev. Geograph. Epiſcop. c. 2.*
(11) *T. IV. della Biblioth. Univerſ.* ad v. *Arcivescovati.*
(12) *Notitia Epiſcop. Orbis Chriſtiani lib. 4. pag. 172. l. 5. pag. 401. edit. 1613.*
(13) *T. III. Theatri Vitæ hum. ad v.* Epiſcopi.

Leſitanam, alter Sulcienſem, reliqui duo utramque Eccleſiam Archiepiſcopi Calaritani etiam poſt initium ſæculi ſeptimi ſuffraganeam eſſe ſcripſerunt. Calaritanus Præſul non tantum Archiepiſcopi titulo inſignitur, ſed etiam Epiſcopi *Unionum*, ac præterea Vexillarii S. R. E., Prioris S. Saturnini, Domini *Baroniarum de Suelli*, Sancti Pantaleonis, & Inſulæ S. Antiochi, Regiique Conſiliarii. Eſt in Actis Conſiſtorialibus, annuum Menſæ Archiepiſcopalis proventum aſcendere ad ſummam decem millium ſcutorum Romanorum, ex quibus Cameræ, ut ajunt, Apoſtolicæ 573½ Florenos quotannis ſolvit.

Eccleſia Cathedralis, quam Piſani judice Leandro Alberti (1) conſtruxerunt, S. Cæciliæ V. & M. dicata eſt, cujus Capitulum viginti ſex Canonicis conſtat, qui cum totidem Cappellanis, & pluribus Clericis in Seminario Cathedrali contiguo morantibus Divinas perſolvunt laudes. Utramque Præbendam obtinet. Inter Canonicos unica tantum nunc reperitur dignitas, nempe Decanus. Tempore Sancti Gregorii Magni (2) Archidiaconus etiam, & Archipresbyter huic Eccleſiæ inſerviebant. Præter Cathedralem quinque aliæ in Urbe ſunt Parœciæ, ac earum tres Collegiatæ titulo decorantur, quippe plures alunt Presbyteros, quorum eſt ſingulis diebus Officium in iiſdem recitare.

Domus Virorum Regularium Calari exiſtentium decem, & octo numerantur, nempe domus PP. Franciſcanorum Conventualium, in qua iter carpſerunt ſupremum III. Cal. Oct. anno MDCLXIII. magna ſanctitatis, & miraculorum fama, populique concurſu P. Thomas Polla Calaritanus, cui & Canonici, & alii Civitatis Clerici parentarunt; anno MDCCVIII. F. Carolus Marcla *Laicus Profeſſus*, qui cum eſſet Thomæ memorati Socius non minori ſanctitate, quam ipſe floruit, uti in hujus Vita narratur; anno tandem mihi incerto P. Franciſcus Barrai, qui ob ſummam ejus pietatem apprimè carus fuit piiſſimo Coſmo III. Magno Etruriæ Duci: domus PP. Dominicanorum, Auguſtinianorum, Carmelitarum, Mercenariorum, Trinitariorum, Minimorum, ac Sancti Joannis de Deo: tres domus Patrum Societatis Jeſu, in quarum una obierunt anno MDCXXIII. Frater Franciſcus Hortulanus, & anno ſequenti F. Jacobus Alagonius communi ſanctitatis opinione (3): item duo Conventus PP. Obſervantium, Capuccinorum, & Cler. Reg. Scholarum Piarum. Monaſteria Fœminarum quinque ſunt, ſcilicet tria Monialium Sanctæ Claræ, unum Monialium S. Dominici, aliud Capuccinarum. Exſtant quoque Mons Pietatis, duo Xenodochia, plures hominum Sæcularium *Confraternitates*, & publicum Lyceum, quod ſub Philippo IV. Hiſpaniarum, ac Sardiniæ Rege inſtitutum eſt (4).

(1) *Deſcript. Inſularum Fol.* 18. *edit.* 1576.

(2) Conſule *Epiſt.* 26. *l.* 4. *Ind.* 12. & *Epiſt.* 2. *l.* 14. *Ind.* 7. *S. Gregorii M.*

(3) V. Cordara *Hiſt. S. I. l.* 8. *pag.* 444. & *l.* 9. *pag.* 519.

(4) Lege *Paræneſim Antonii Canales apud Dexart in Capit. Reg. Sardiniæ pag.* 5.

EPISCOPI CALARITANI.

Diu, multumque anceps hæſi, utrum Præſulum Calaritanorum hiſtoriam ordiri deberem a Quintaſio, qui, ut infra dicam, initio ſæculi quarti vixit; utrum ab aliis, qui vel primo Eccleſiæ ſæculo Calaritanos Epiſcopos inauguratos fuiſſe, Sardi velis, equiſque propugnant. Si quod ſentio, ingenuè fatendum eſt, vix, ac ſi ſuperis placet, ne vix quidem perſuadere mihi poſſum, Urbem Calaritanam, quæ dubio procul multo ante ſæculum quartum Evangelio Chriſti credidit, non niſi hoc ineunte Epiſcopos obtinuiſſe. In primis enim Sanctus Athanaſius indicare videtur (1), ante Luciferum primum Pontificem Præſules Calaritanos fuiſſe Fidei confeſſione claros, qui dubio procul ante finem ſæculi æræ vulgaris tertii hanc gubernarunt Eccleſiam; deinde haud probabile eſt, Romanos Pontifices, quibus uſque curæ fuit Fidem Catholicam jam diſſeminatam ſartam tectam per Præſules conſervare, Fideles SS. Sacramentis paſcere, eos conſolari, & ad fortiter tormenta ferenda excitare, tam ſerò Epiſcopos, qui aut per ſeipſi, aut ipſiſmet præpeditis per alios Miniſtros inferiores ab eis electos id exequerentur, Oppido Calaritano Sardiniæ principi datos eſſe; eo maximè, quod cum hoc nimis ab aliis locis diſſitum eſſet, in quibus Religio vigebat Chriſtiana, non adeo facilè ejuſmodi munia ab exteris illuc appellentibus exerceri quibant. Nullus ergo, niſi temere, ambigere poteſt, alios ante Quintaſium Epiſcopos Calaritanam adminiſtraſſe Eccleſiam, quorum memoria aut temporum injuria, aut hominum culpa extincta eſt oblivione; Antiſtites enim illi fere omnes, quos ante ſæculi tertii finem recenſent Vitalis (2), & alii Sardi, ut ea, quæ Hiſtoricum decet, ſynceritate loquar, mihi ex eodem fonte manaſſe videntur, ex quo cujuſcumque fermè Italiæ Civitatis primos Pontifices deducit Scipio Maffejus (3) vir longe Eruditiſſimus. Quamobrem mihi primum in animo erat eoſdem ab hujus Eccleſiæ Præſulum ſerie delere, ſed cum poſtea varias Eccleſiarum hiſtorias pervolvens deprehenderim, illarum Auctores, maximè Clariſ. Hanſizium in Germania Sacra, ac Eru-

(1) *Epiſt. 2. ad Luciferum Calarit. T. I. Par. 2. pag. 966. edit. Maur.* 1698. „ Gaude igitur in eo „ te eſſe Jam pervidens, in quo etiam Præceſſores tui nunc ſunt Martyres, hoc eſt in „ Choro Angelorum „.

(2) *In Catal. Archiep. Calarit.*, qui exſt. *ad calcem T. II. Par. 2. Ann. Sardiniæ edit. Mediol.* 1645. Hunc Catal. ſubintellige, quotieſcunque Vitalem citabimus nullo alio indic. opere.

(3) Epiſtola ad Nicolaum Coletum *T. V. Italiæ Sacræ col. 676.* ita ſcribit „ Populares fabellæ, „ nec non hiſtoriolæ decimo ſexto ut plurimum ſæculo concinnatæ cujuslibet ferè Italiæ Civitatis Paſtorem primum ab Apoſtolorum ævo, ipſiſque Chriſtianæ fidei incunabulis arceſſunt, „ ſeriemque Epiſcoporum mirificam, nec interruptam pe rbellè ædificant „. Maffejana Doctrina adeo placuit Cl. Bollandianis *T. II. Auguſti ad diem 9. pag.* 416., ut eam loco Criticæ regulæ duxerint adhibendam, *quando primi Urbium quarundam Italicarum Antiſtites chronologicè examinandi erunt*. Bollandianos ſequitur eorum ſodalis de litteraria republica optime meritus Franciſcus Antonius Zacharia *cap. 6. pag. 35. Diſſert.* præfixæ operi, quod inſcribitur *Cremonenſium Epiſcoporum ſeries &c. edit. Mediol.* 1749. Eximius Mamachius *T. II. Origin., et Antiquit. Chriſtian. l. 2. pag. 245. in notis* illarum fabularum pleraſque ſæculo ſexto, & decimo longè vetuſtiores eſſe contendit.

Eruditiſſimos Maurinos in Gallia Chriſtiana plures referre Epiſcopos., quos dubios, & etiam commentitios credunt, cum ut eorumdem exemplum ſecter, tum ut Calaritanorum aliquo pacto obſequar voluntati, ſententiam variavi, ſtatuique præfatos Epiſcopos, & Martyres recenſere; libertatem interea Lectoribus relinquens de illis, quod ſibi magis libuerit judicium ferre.

BONIFACIUS. Primus Epiſcopus, qui hanc rexit Eccleſiam eſt *Bonifacius* Chriſti Diſcipulus, quem, ut alio loco obſervavi, Sardi propugnant, Calaritanos, alioſque Sardiniæ Populos Evangelium docuiſſe. Hic a Petro Apoſtolorum Principe illuc miſſus, ab eodem poſtea ad eandem Inſulam, dum Romam peteret, appulſo, Epiſcopus Calaritanus ordinatus eſt. In Sardinia natum eſſe non pauci opinantur, quibus adſtipulatur P. Vitalis (1).

CLEMENS. Bonifacio adhuc in vivis exſtante, ſcribit Machinus (2), Epiſcopum hujus Eccleſiæ creatum fuiſſe Sanctum *Clementem* Papam, licet nec veteres, nec recentiores alicujus notæ Auctores, qui ejus geſta poſterorum memoriæ mandarunt, hac de re ullum verbum habeant. Si autem quæratur, quam ob rem id factum ſit; illicò reſpondet Vitalis (3), *ut Bonifacium aliò Petrus ad ſemina vitæ transferret, Calarim Clemens regeret; quamquam poſtea reformata ſententia, eo quod eum ſibi ſucceſſorem Apoſtolus exoptaret, Bonifacio in ſede relicto, Clementem electum Sardiniæ Præſulem Romam ſecum detulit*. Quis hæc, quæſo, non rideat?

AVENDRAX, ET ALII. Clementi, & Bonifacio MM. ſucceſſerunt in Calaritana Sede unus poſt alterum

S. Avendrax Martyr.
S. Bonifacius II. M.
S. Juſtus M.
S. Florus M.
S. Reſtitutus M.
S. Bonus M.
S. Vivianus M.
S. Linus M.
S. Severinus M.
S. Rudis M.
S. Euthimius M.
S. Gregorius M.

Epiſcopos hos Calaritanam gubernaſſe Eccleſiam conſtare ex ejus monumentis ſcribit Vitalis. Quanti facienda ſint monumenta Calaritana, ſaltem quod ad Præſules, & Martyres quatuor priorum Eccleſiæ ſæculorum attinet, non eſt cur denuo probemus, cum alias de eodem argumento ſatis ſit diſputatum. Ipſis innixus monumentis præfatos Antiſtites demptis nonnullis huic Eccleſiæ adjudicat Bonfantus (4), qui præterea cum Vitali ſentit ſub Ethnicis Imperatoribus mortem pro Chriſto oppetiiſſe. E contrario Papebrochius (5) ſolum *Gregorium* Epiſcopum, & Martyrem fuiſſe ante Luciferum, de quo mox dicam, exiſtimat; reliquos poſt Bonifacium II. Confeſſores tantum, & ſucceſſores Luciferi ex poſtremis ante Saracenos appellat.

JUVENALIS. Circa initium ſæculi quarti electus eſt Calaritanus Antiſtes *Juve-*

(1) *T. II. Annal. Sard. ad an. Chriſti* 35. exſt. *T. XV. Theſauri Burmanni.*
(2) *L. 2. Defenſ. Primatus Archiep. Calarit. c. 6.*
(3) *T. II. Annal. Sard. ad an. 46. col. 239.*
(4) *Apud Papebroch. in Append. ad Acta Lucif. Calarit. pag. 225.*
(5) *Ibidem.*

Juvenalis ſanctitate inſignis. Furente Diocletiani Perſecutione, ait Fara (1), quod in montibus Calaritanis latitabat. Poſt Sancti Ephyſii paſſionem populum Calaritanum ad fidem converſum baptizans, captus a Flaviano fuit, & in carcerem miſſus, ſed ab Angelo, qui ei apparuit, e carcere extractus ad montem excelſum in locum, qui dicebatur *caput paſſeris*, ductus eſt, ubi illius regionis incolas Chriſti Evangelium docuit, illiſque Presbyteros, & Diaconos ordinavit; poſtea verò mortuo Flaviano Calarim rediit. Quo anno diem obierit ſupremum, Fara non indicat.

Juvenalem hujus Sedis Epiſcopum appellat etiam Doctiſſimus Papebroghius (2); utrum ex propria, utrum ex ſententia Ferrarii, Arcæ, & Bonfanti, quos laudat, me latet. Ipſe fatetur, quæcunque de Juvenali narrantur in Actis S. Ephyſii M. contineri; non quidem in iis, quæ fabulis ſcatentia litteris conſignata fuere a Bollando (3), ſed in genuinis, quæ ex Mſ. Vaticano promittit ſe publici juris facturum in ſupplemento, in quo etiam de eodem S. Juvenale plura. Ratus hujuſmodi ſupplementum illud eſſe, quod una cum Indice Generali Clar. Auctor pollicetur (4) ſe emiſſurum in lucem poſt abſolutum primum ſemeſtre, nempe menſem Junium, a carceribus ad calcem Tomum VI. ejuſdem menſis, qui laudatum Indicem, & plura alia antea omiſſa complectitur, evolvi, ſperans ejuſmodi Acta invenire, ſed ſpes me feſellit. Fortaſſis, qui Operi tam utili per ea tempora navabant operam, poſt ejus mortem conſilium mutarunt. Cum ex aliis antiquis, certiſque monumentis colligi nequeat, utrum Juvenalis Antiſtes fuerit Calaritanus, nec ne, donec eadem Acta luſtrare non liceat, quid de Juvenali ſentiendum ſit, in ſuſpenſo relinquam.

I. QUINTASIUS.

Quintaſius (5) Epiſcopus Calaritanus una cum Ammonio Presbytero interfuit Concilio Arelatenſi I. anno CCCXIV. adverſus Donatiſtas celebrato (6).

Ex Epiſtolis Concilii Sardicenſis (7) liquet, Sardiniæ Antiſtites ad eandem conveniſſe Synodum anno CCCXLVII. habitam, cujus definitiones quoque probaſſe teſtis eſt Sanctus Athanaſius (8). Hos inter dubio procul erat Calaritanus Præſul, ſed an ille fuerit Quintaſius paullo ante laudatus, an alter in ejus locum ſuffectus, fruſtra a me diù quæſitum eſt.

PROTOGENES. Ambroſius Machinus (9), ac Vitalis (10) hujus Eccleſiæ Epiſcopum in Sardicenſis Concilii Patribus numeratum exiſtimant fuiſſe *Protogenem*, qui Nicænæ etiam Synodo interfuit, ut illius Acta indicant (11). Atenim Protogenem Sardiniæ fuiſſe Epi-

(1) *Hiſt. de Rebus Sardin. col. 26.*
(2) *Ad diem 28. Maii inter SS. Prætermiſſos &c.*
(3) *T. I. Januarii ad diem 15.*
(4) *T. VI. Maii in principio.*
(5) A Fara dicitur *Quintus*, ſeu *Quintius*; *Quintas*; *Quintus* appellatur in quibuſdam Cod. Biblioth. Colbert. teſte cl. Couſtant *in not. ad Epiſt. RR. Pontificum T. I. col. 343.*
(6) *Ex Actis apud Hard. T. I. col. 267.*
(7) *Ibidem col. 655.*
(8) *Apologia contra Arianos T. I. Par. 1. pag. 123. edit. 1698.*
(9) *Lib. 2. cap. 17. pag. 80.*
(10) *In Annal. Sard. col. 240.*
(11) Apud Hard. *T. I. col. 320.*

Epiſcopum tam falſum eſt, quam quod maximè; enim vero huic rei omnes Hiſtorici refragantur, & in omnibus Actorum Conciliorum exemplaribus, quibus uſi ſunt Labbeus, Harduinus, aliique plures, qui eorundem Hiſtoriam in lucem emiſerunt, Protogenes non Sardinienſis, ſed Sardicenſis Epiſcopus vocatur.

Non ſum quidem neſcius, Machinum (1) contendere, lectionem codicum eſſe depravatam; nam, inquit, Protogenes nequibat eſſe Sardenſis Epiſcopus in Lydia; primò quia illius Eccleſiæ Præſul, qui Nicæno interfuit Concilio appellabatur *Artemidorus*; deinde quia Sardes Lydiæ inter Urbes Orientales numeratur, & Protogenes Epiſcopus *Occidentis* dicitur ab Eminentiſs. Baronio (2): non Epiſcopus Civitatis Sardicenſis in Dacia; nam Civitas hæc aut numquam ſub Cœlo fuit, ut nonnulli opinantur, aut ſi extitit, ſane Epiſcopum nunquam habuit; hinc Miræus (3) & alii de Sardicenſi in Dacia Eccleſia nullam mentionem faciunt. Deinde non ſecus ac *Sardes* ad Orientem ſpectabat.

Protogenes noſter Sardicenſis Eccleſiæ, quæ in Moeſia inferiori, poſtea *Bulgaria* appellata, ſita eſt (4), Epiſcopus fuit. Hanc Urbem, qui inficiatur in rerum natura fuiſſe, neſcio quonam pacto lucem quoque ſoli non deneget. Jam a pluribus annis Turcæ eam nuncupant *Sofia*, Bulgari indigenæ *Triadizza* (5). Meritò Baronius Protogenem Antiſtitem Occidentalem dixit: etenim, licet diviſo Imperio *Sardica* caput fuerit Diœceſis Illyrici Orientalis, tamen antea, & ad Occidentem ſpectaſſe, & Synodum in ea celebratam dictam fuiſſe occidentalem demonſtrat Sbaralea (6). Miræum Eccleſiam Sardicenſem omiſiſſe non miror, quippe plures alias miſſas feciſſe, ſcio. In antiquioribus notitiis Eccleſiaſticis, iſtius nulla mentio, *quia, nempe notitiæ illæ antiquiores illis temporibus concinnatæ ſunt, quibus Mæſiæ, & Daciæ regiones Bulgaris Principibus, non autem Byzantinis Imperatoribus parebant* (7). In iis verò, quæ poſt ſæculum decimum collectæ fuerunt Sardicenſis Eccleſia non memoratur, quia tunc non amplius hoc nomine vocabatur. Cæterum Sardicam Mæſiæ Urbem olim quoque Sedem fuiſſe Epiſcopalem nemo unus a quacunque præjudicata opinione vacuus jure inficiari poteſt, ſiquidem id aperte teſtatur Andronicus Palæologus Senior Græcorum Imperator. Is enim circiter finem ſæculi decimi tertii, vel initium ſequentis exponens, *quem locum nunc teneant Metropoles, quæ Conſtantinopolitano Throno ſubjectæ ſunt*, inter Urbes Epiſcopales, *quæ nomen ultimò mutaverunt* meminit *Sardice nunc Triaditza* (8). Hujus Præſules recenſet cl. Lequienius (9), eorumque agmen ducit Protogenes.

Unum,

(1) *Loco ſuper laud.*

(2) A Baronio, ſeu potius Sozomeno apud eundem *T. IV. ad ann.* 347. *n.* 44. *pag.* 437. *edit. Lucen.*

(3) *Notit. Epiſcop. Orbis Chriſt.*

(4) Ita opinatur Cellarius *T. I. Geograph. Antiq. lib.* 2. *cap.* 8. *ſect.* 3. Non deſunt tamen qui in Dacia, ac etiam qui in Thracia ſitam eſſe contendunt. Conferantur præter Cellarium Baudrandius, & Martinierus ad verb. *Sardica*, & *Illyric*.

(5) Vide Cellar. *ibidem*, & Baudrandium.

(6) *In Opere Eruditiſſimo adverſus Vindic. Cypr. Diſſ.* 1. *cap.* 1. *ad num.* 19. *pag.* 93.

(7) Lequienius *T. II. Orientis Chriſt. col.* 301., *& ſeq.*

(8) Hujuſmodi Notit. una cum pluribus aliis ediderunt Goarius *ad calcem Codini pag.* 405. & Orlendius *in fine T. I. Orbis Sacri, & Profani pag.* 120.

(9) *Loco modo indic.*

Unum, quantum intelligo, in medium afferri poteſt ad perſuadendum, Protogenem ſaltem Concilio Sardicenſi interfuiſſe. Dictum eſt ſupra, Acta Synodi Sardicenſis, & Sanctus Athanaſius tradere, laudatam Synodum ex Epiſcopis quoque Sardiniæ coaluiſſe: in obſignationibus, ſeu potius Catalogo Epiſcoporum nullus Sardus Antiſtes adparet: itaque dicendum videtur, Protogenes, qui depravatè Sardicenſis vocatur, unus fuiſſe illius Inſulæ Epiſcoporum. Verum facilis eſt huic difficultati reſponſio. Nam Acta, quæ narrant, Concilium Sardicenſe ex Sardiniæ Epiſcopis conflatum fuiſſe, afferunt etiam, Protogenem fuiſſe Sardicenſem in Dacia Epiſcopum. Quocirca potius aſſerendum eſt, non omnia Epiſcoporum, qui eidem interfuerunt Synodo, nomina ad nos perveniſſe. Et ſane eorum Catalogum non tantum quod ad nomina ſpectat depravatum eſſe, ſed etiam, quod ad numerum attinet, mancum, in controverſiam vocari non poteſt; quod de Catalogo etiam Epiſcoporum Concilii Nicæni animadvertit Sbaralea (1).

Sanctus Athanaſius, quemadmodum notant cl. Ballerini (2) innuit duntaxat, Concilii Sardicenſis definitionem a nonnullis ſubſignatam fuiſſe præſentibus, ab aliis remotis poſtmodum ſuſceptam, minime vero ſingulos illos pluſquam trecentos Epiſcopos præfato Concilio interſuiſſe. Quam reſponſionem Athanaſii verbis quadrare, per tranſennam quoque ea legenti clariſſime patet.

ARCHIEPISCOPI CALARITANI.

II. LUCIFER I.

Calaritanus Metropolita Catholicæ Fidei adverſus Arianos defenſor fuit acerrimus, adeò ut anteſeratur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio eſt ordiendum. Parentes ejus fuere ex Luciferorum Familia, jam uſque ab antiquis temporibus inter Romanas ſplendidiſſima, qui in Perſecutione Diocletiani, & Maximiani mortem pro Chriſto oppetiere. Vita functis pueri Genitoribus eum in tutelam ſuam ſuſcepit Sanctus Juvenalis Epiſcopus Calaritanus. Poſtmodum Romam profectus Præceptore uſus eſt S. Euſebio, a quo pariter baptizatus fuit. A Sancto Silveſtro Papa Lector inſtitutus eſt, ipſique munus demandatum Sacras exponendi Scripturas, utpote qui Græcam, Hebraicamque linguas callebat. Verum cum naturæ ſatisfeciſſet poſt annum CCCXLVII. Protegenes Calaritanus Antiſtes, Lucifer a Julio Romano Pontifice hujus Eccleſiæ Paſtor conſecratus in patriam rediit.

Hæc quidem de Lucifero narrat P. Ambroſius Merhodius (3), ſed omnia incerta, ne quid gravius dicam, ſunt. Quod certò ſcitur eſt, anno CCCLIV. Luciferum Epiſcopali dignitate inſignitum jam fuiſse (4). Per id enim temporis Romam acceſſit, univerſam Eccleſiam gubernante Liberio, a quo benigno vultu exceptus, paullo poſt, *ob hoc, quod bene eſſet agnitus per contemptum ſæculi, per ſtudium Sacrarum Litterarum, per vitæ puritatem, per conſtantiam Fidei, per gra-*

(1) *Opere paullò ante indic. ad num. 23. pag. 53.*

(2) *In Notis ad Hiſt. Donatiſtarum Cardinalis Noriſii Par. 1. cap. 10. T. IV. col. 178.*

(3) *In vita Lucif.*, quam MS. ab Auctore ſe accepiſſe fatetur cl. Papebrochius *T. V. Maii ad diem 20. capite 1.*

(4) Adeundus Baronius *ad ann. 354. n. 1.*

gratiam Divinam (1), legatus eſt pro cauſſa Sancti Athanaſii ad Conſtantium Imperatorem in Gallia tunc agentem, atque anno ſequenti Pontificis vices geſſit in Synodo Mediolani celebrata, in qua album adjicere calculum damnationi Athanaſii detrectans exul, extorriſque ab Italia efficitur (2).

Quatuor exilia paſsus eſt Lucifer, ſi qua fides Marcellino, & Fauſtino Presbyteris (3). Primum, ut opinatur Papebrochius (4) fuit fortaſſis in Cappadocia; ſed nequaquam diuturnum, icciro non memoratum. Secundum Germaniciæ, quæ Urbs eſt Epiſcopalis in Euphratenſi Provincia, ſeu Comagene. Tertium in Palæſtina prima apud Urbem Eleutheropolim, in qua cum moraretur male habitus eſt ab Euthychio, peſſimè a Turbone Eleutheropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopis Arianis, quod Fidem Catholicam liberè vindicaret (5). Quartum in partibus vicinis Ægypto, vel in ſuperiori, aut inferiori Thebaide, quo forte ſe receperat etiam S. Athanaſius, ut hinc facilior eſſet inter eos communicatio.

Germaniciæ exiſtens duos pro Athanaſio ſcripſit Libros, eoſque obtulit Imperatori Conſtantio, quem in iiſdem acerrimis verbis reprehendit. Id ut intellexit ipſe Athanaſius, Lucifero litteras dedit pluribus precibus illum rogans, ut eorundem exemplar tranſmittere vellet. Morem geſſit Lucifer, atque hoc pacto ad amicitiam acceſſit Athanaſii, brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem. Quocirca, Libris non ſolum pervolutis, ſed etiam in græcum ſermonem verſis, Sanctiſſimus Alexandrinæ Eccleſiæ Præſul his verbis ad Luciferum Epiſtolam miſit, quæ, quoniam invicto eſt argumento ad probandam ejuſdem Luciferi doctrinam, ſanctitatem, atque adverſus Arianos animi fortitudinem, heic exſcribitur (6).

„ Accepimus Epiſtolas, & Libros „ religioſiſſimæ, ac ſapientiſſimæ ani- „ mæ tuæ, in quibus perſpeximus ima- „ ginem Apoſtolicam, fiduciam Pro- „ pheticam, magiſterium veritatis, „ doctrinam veræ fidei, viam cœle- „ ſtem, Martyrii gloriam, triumphos „ adverſus hæreſim Arianam, tradi- „ tionem integram Patrum noſtrorum, „ regulam rectam Eccleſiaſtici ordinis. „ O vere Lucifer, qui juxta nomen „ lumen veritatis ferens poſuiſti ſu- „ per candelabrum, ut luceat omni- „ bus! Quis enim, exceptis Arianis, „ non pervidet ex tua doctrina veram „ quidem Fidem, maculam autem „ Arianorum. Valde, & admirabili- „ ter, ut eſt lumen a tenebris, ita „ ſeparaſti veritatem a calliditate, & „ hypocriſi hæreticorum, defendiſti „ Catholicam Eccleſiam, probaſti ni- „ hil eſſe, ſed tantum phantaſiam „ Arianorum verba, docuiſti calcandos

K „ eſſe

(1) Verba ſunt Marcellini, & Fauſtini Presbyt. *in Libello precum ad Imperat. Valentinianum; Theodoſium, & Arcadium col.* 234. Hunc omnium primus edidit Sirmondus Vir Doctiſs., qui *in Præfat. ad eundem T. I. Operum ed.* 1696. ex doctrina in illo contenta, & ex veterum teſtimoniis, quæ ipſe laudat, colligit, citatos Presbyteros Luciferiano Schiſmati conſenſiſſe.

(2) Confer Baron. *ad ann.* 355. *n.* 17.

(3) *In Libello indic. col.* 244.

(4) *In Actis Luciferi c.* 1. *num.* 8.

(5) Conſule Marcellinum, & Fauſtinum *Opere indic. col.* 256.; itemque Baronium *ad an.* 356. *n.* 80. *T. IV. pag.* 579. *ed. Lucen.*

(6) Exſtat Operum S. Atanaſii *T.* 1. *Par.* 2. *pag.* 966. *edit. Maurin.*

,, eſſe frendores diabolicos. Quam bo-
,, na, & jucunda hortamenta tua ad
,, Martyrium! quam deſideratiſſimam
,, oſtendiſti mortem eſſe pro Chriſto
,, Filio Dei! quam futuri ſæculi, &
,, vitæ cæleſtis amorem manifeſtaſti.
,, Videris eſse verum templum Salva-
,, toris, qui in te habitans hæc ipſa
,, per te loquitur, ipſe qui tantam
,, gratiam præbuit ſermonibus tuis,
,, quippe qui ante eras apud omnes
,, amabilis, nunc tamen tantus eſt
,, amor affectionis tuæ in animis om-
,, nium collocatus, ut Heliam te tem-
,, poribus noſtris nominent, & non mi-
,, rum. Si enim, qui Deo placere vi-
,, dentur, Filii Dei nominantur, quan-
,, to magis participes Prophetarum,
,, Confeſsores, & maximè te appella-
,, re dignum eſt. Crede mihi, Luci-
,, fer, non tu ſolus hæc loquutus es,
,, ſed Spiritus Sanctus tecum. Unde
,, hæc tanta memoria ſcripturarum?
,, unde ſenſus, & intellectus earundem
,, integer? Unde talis ordo ſermonis
,, compoſitus eſt? Unde tanta horta-
,, menta in viam cœleſtem? unde fidu-
,, cia contra Diabolum, & probationes
,, adverſus hæreticos, niſi Spiritus San-
,, ctus collocatus eſset in te? Gaude
,, igitur in eo te eſse, jam pervidens
,, in quo etiam præceſsores tui nunc
,, ſunt Martyres, hoc eſt in Choro An-
,, gelorum. Gaudemus etiam nos ha-
,, bentes exemplum virtutis, & patien-
,, tiæ, & libertatis ...... Divina Dei
,, gratia incolumem te, memorem no-
,, ſtri, ſemper beatum conſervet, me-
,, ritò homo Dei, famule Chriſti, par-
,, ticeps Apoſtolorum, ſolatium Fra-
,, ternitatis, Magiſter veritatis, & in
,, omnibus deſideratiſſimè.

Tot exilia, & ærumnæ, quibus affectus Lucifer fuit, non fregerunt eum, ſed erexerunt: majori namque animi fortitudine, atque conſtantia Catholicos defendere, & eos, qui ſceleſtiſſimum Arium aut ſectabantur, aut protegebant, objurgare cœpit; unde Ariani quærebant illum ad næcem, quam dubio procul ei intuliſſent, niſi hoc ipſis vetaſſet Conſtantius Imperator, qui Luciferum ob Orthodoxam Fidem variis modis cruciatum volebat, minime verò interfectum, *ne idem Lucifer, quam avidè cupiebat, dignaretur corona Martyrii* (1).

Clavum Imperii tenente nequiſſimo Juliano Lucifer a poſtremo exilio revocatus recta Antiochiam conceſſit, ubi Orthodoxos inter ſe diſſentientes deprehendens Paulinum ejuſdem Civitatis Epiſcopum ordinavit, reclamantibus Catholicorum plerique omnibus. Ejuſmodi factum improbavit quoque Euſebius Epiſcopus Vercellenſis (2), qui tunc ad eam Urbem acceſſerat; qua de cauſſa Lucifer ira, & indignatione exardens amicum integerrimum acriter excepit, & ab ejus communione ſeſe abjunxit. Sed longe commotior evaſit, quod præter ipſius ſententiam

(1) Conſule Baronium *loco indic.*

(2) Idem ipſe Baronius *ad. an. 362. n. 215.* negat; cauſſam, cur neceſſitudo Luciferum inter, & Euſebium diſſoluta eſt, fuiſſe, quod Vercellenſis Antiſtes probare noluerit electionem Paulini in Epiſcopum Antiochenum; nam, inquit, Euſebius Antiochiæ manens reſpuere nequibat, quod antea ipſe, & univerſa Synodus Alexandrina confirmaverat, cujuſmodi ſanè erat electio Paulini. At Vir Maximus pro certo ponit, quod falſum omnino eſt. Exiſtimat, Paulinum ante Concilii celebrationem Præſulem ordinatum eſſe: id autem poſt habitum Concilium accidiſſe pluribus demonſtrant Pagius *ad an. 362. n. 23.*, ac PP. Maurini *in Monito in Tomum ad Antiochenſes, quod exſtat T. I. Operum S. Athanaſii Par. 2. pag. 770. Edit. 1698.*, quibus accedit Petrus Boſchius *in Hiſt. Chronol. Patriarch. Antiochen. pag. 78. T. IV. Julii Bollandiani.*

tiam Synodus Alexandrina eos recipere ſtatuiſſet, qui communicantes cum Arianis poſtea ad bonam frugem redibant (1).

Hac occaſione originem habuiſſe Luciferianorum Schiſma omnes ad unum ſentiunt, ſed non inter omnes convenit de hujus auctore. Socrates namque, atque Sozomenus (2) licet concedant, Luciferum *ſtudio contentionis adductum* definita a Synodo reprehendere cœpiſſe, tamen volunt poſtea eadem probaſſe, ut fidem teneret, quam interpoſuerat, dum ad Concilium Diaconum ſuum (3) legavit; proinde opinantur non a Lucifero, ſed ab iis, qui cum eo ob Paulini electionem exulcerati fuerant, præfati Schiſmatis exordia eſſe repetenda. Verum huic doctrinæ adverſantur Ambroſius (4), Hieronymus (5), Auguſtinus (6), Rufinus (7), Theodoretus (8), ac Severus Sulpitius (9), quorum ſinguli ſcribunt, Luciferum noſtrum diviſionem in Eccleſiam intuliſſe.

Poſt Paulini electionem in Pontificem Antiochenæ Civitatis, non diu, multumque in eadem moratus Lucifer eſt. De Provincia, quam adiit, ubi inde diſceſſit, non una eſt opinio. Socrates, Sozomenus, Rufinus laudati (10), nec non Acta S. Euſebii Epiſcopi Vercellenſis (11) videntur innuere, Antiochia recta in Sardiniam profectum eſſe. At Marcellinus, & Fauſtinus Presbyteri (12), quorum mentem ſectatur Doctiſſimus Baronius (13), ſcribunt, antequam ad præfatam Inſulam appelleret, Romam acceſſiſſe, & per Urbem Neapolitanam tranſeuntem, quod de iis vitandis, qui aliquando conjuncti fuiſſent Arianis, verbis propugnaverat, facto declaraſſe, quippe communicare noluit cum Zoſimo Arianorum amico in locum Maximi Urbis nuper memoratæ legitimi Epiſcopi ſuffecto.

Reverſus in Patriam *non modo communicatione Ariana pollutos condemnavit, verum etiam ſe ab eorum communione ſecrevit, qui eos ſub ſatisfactio-*

K 2 ne,

(1) Legendi Socrates *l.* 3. *H. E. cap.* 5. 6. 9. Sozomenus *H. E. l.* 5. *cap.* 12. 13. Caveus *Hiſt. Literaria Sæc. Ariano pag.* 118. *edit. Genevæ* 1693., & Auctores, qui Caveum fideliter exſcripſerunt, *Obſervationum in H. E. Socratis Scholaſtici, et in Annotationes Hen. Valeſii pag.* 349. *edit. Taur.* 1748.

(2) *Locis citatis*

(3) Lucifer ad præfatum Concil. non unum, ſed duos Diaconos legavit Agapetum ſcilicet, & Herennium. Confer Acta apud Hard. *Tom. I. col.* 735.

(4) *De obitu Satyri Fratris Tom. IV. pag.* 234. *edit. Rom.* 1582.

(5) *Dialog. adverſ. Lucif. Tom. IV. Par.* 2. *col.* 302. *edit. Maur.* 1706.

(6) *Tom. II. Epiſt.* 185. *num.* 47. *Tom. VIII. de Hæreſib. c.* 81. *col.* 18. *edit. Maur.*

(7) *Lib.* 10. *H. E. c.* 30. *pag.* 57. *edit. Cacciari.*

(8) *Lib.* 3. *H. E. c.* 5. *pag.* 112. *edit.* 1748.

(9) *Lib.* 2. *H. S. c.* 45. *Tom. II. pag.* 226. *edit. Veron.* 1754.

(10) *Locis nuper citatis.*

(11) Exſt. apud Ughel. *Tom. IV. in Epiſt. Vercel. pag.* 758. *edita ex Mſ. Monaſterii Nonantulani* „ ſed Lucifer Epiſcopus diviſiones ſanans Eccleſiæ Antiochenæ Paulinum Epiſcopum Antiochiæ „ ordinans abſceſſit, ſicque ad propria reverſus eſt „.

(12) *Opere alias indic. col.* 244.

(13) *Ad annum* 362. *num.* 219. Illud animadverto, quod apud Baronium fortaſſis Amanuenſium culpa dicitur Maximus in locum Zoſimi ſuffectus. Miror, hunc errorem oculatiſſimum Manſium in Lucenſi Editione non emendaſſe, tametſi vel ipſe Coletus *T. VI. Ital. Sac. Ughellii in Ep. Neapol. col.* 33. monuerit eſſe corrigendum.

ne , vel pœnitentia recepiſſent (1) . E vita migravit Calari annum circiter CCCLXXI. Utrum priuſquam diem clauſerit extremum, ſe cum Eccleſia reconciliaverit, nec ne, magna inter Scriptores diſſenſione certatur. Horum nonnulli in pace Eccleſiæ mortuum eſſe opinantur; alii e contrario in Schiſmate perſeverantem naturæ ſatisfeciſſe exiſtimant (2).

Cum diu, multumque *Luciferi* Corpus latuiſſet, poſt initium tandem ſæculi proximè exacti Calaritani Cives & illud, & Eccleſiam ejus nomini dicatam, ſeu potius hujus ruinas extra Urbis mœnia non procul a Sancti Saturnini Templo refodierunt, diverſis tamen temporibus. Nam Eccleſiam ſub terra invenere an. MDCXV., Corpus verò Luciferi an. MDCXXIII., certum locum, in quo repoſitum erat, Fratre Franciſco Hortola Societatis Jeſu magnæ Sanctitatis viro, Angela Maria Serra Monaſterii Eccleſienſis Ordinis Sanctæ Claræ Abbatiſſa piiſſima, aliiſque perſonis optimæ vitæ ea de re cœleſti revelatione admonitis, indicantibus. Illud vero fuiſſe *Luciferi* Corpus, præter varia miracula ejus invocato nomine patrata, ſequentes duæ Inſcriptiones teſtificatæ ſunt; quarum altera lapidi marmoreo albo inciſa ſub terra prope Sepulchrum, ſed extra illud adinventa, altera in lapide item marmoreo figuræ triangularis inſculpta intra Sepulcrum reperta eſt (3).

HIC JACET B. M. LUCIFERUS ARCEPIS, CALARITANUS PRIMARIUS SARDINIÆ, ET CORSICÆ, CA. FI, S. RMÆ ECCLESIÆ, QUI VIXIT ANNIS LXXXI. K DIE XX. MAI.



Quod

(1) Verba ſunt Auctorum *Obſervationum*, de quibus nuper mentio facta eſt.

(2) Qui Luciferum in Eccleſiæ ſinu obiiſſe putant ſunt ex antiquis Socrates, ejuſque exſcriptor Hermias Sozomenus *loco paullo ante indic.* ex Recentioribus Papebroch. *ad diem* 20. *Maii c.* 5. Spondanus *Tom. I. Epito. Annal. Baronii ad an.* 362. *in not. poſt num.* 48. Ruinart *in not. ad l.* 4. V. *Vitenſis pag.* 394. Thomaſſinus *Diſſertat.* 5. *in Synodum Ariminenſem n.* 25. *pag.* 84. *edit. Lucenſis*. P. Meli Eccleſienſis Franciſc. Convent. *Tract. de vera Sanctit. S. Lucif.* Machinus *in Defenſ. Luciferiana*, atque omnes Calaritani, qui præterea Luciferi diem feſtum quotannis ſolemniter celebrant. His refragantur Ambroſius, aliique Patres, & Hiſtorici, quos ſupra laudavi, *loc. indic.*, quibus ex Modernis ſubſcribunt Baronius *ad an.* 371. *n.* 121. Nat. Alexand. *T. IV. H. E. ſæc.* 4. *c.* 3. *art.* 13. Tillemon. *T. VII. H. E. pag.* 764. *nota* 4. *ed. Ven.* 1732. Sbaralea *in egregio Opp. adverſ. Vind. Cypri. Diſſ.* 1. *c.* 1. *n.* 2. De Luciferi cum Eccleſ. reconciliatione dubius eſt Vir immenſæ Erudit., ac Doctrinæ Orſius Sac. Ap. Palatii Magiſter, quippe *T. VI. della Storia Eccleſiaſt. lib.* 15. *pag.* 390. *Edit. Primæ* hæc de Lucifero ſcribit: *Si ritirò pieno di diſpetto nella ſua Iſola di Sardigna, ove morì circa l'anno* 370., *nè abbiamo alcuna ſicura prova del ſuo ritorno all' unità della Chieſa*. Cæteros Scriptores, qui Luciferum nondum Eccleſiæ reconciliatum obiiſſe putant, prætereo, ut qui aliò propero. Lectori tamen auctor ſum, ut pervolvat Doctiſſimum opus Cardinalis Lambertini, nunc Benedicti XIV. P. M. *de Servorum Dei Beatificat., & Beat. Canoniz. Tom. I. l.* 1. *cap.* 40. *pag.* 362., *& ſeq. Edit. Tertiæ*.

(3) Hæc omnia ex P. Seraphino Squirro, & Ambroſio Machino narrat Papebroch. *Tom. V. Maii in Actis Luciferi cap.* 8., *& ſeq.* Ego ſingula hæc neque probo, neque reſpuo, ſed hiſtorica tantum narratione veluti ab aliis recitata expono. Fateor enim, me ſumma proſequi veneratione Decretum, quo Urbanus VIII. anno 1641. die 20. Junii *præcepit omnibus, &*

ſin-

Quod ad hujuſmodi Epitaphiorum maximè prioris attinet, tempus variant inter ſeſe vel ipſi Sardi. Ambroſius Machinus Archiepiſcopus Calaritanus (1) ſcribit, primum Epitaphium antiquiſſimum eſſe *factum tempore humationis, aut translationis Corporis Sancti Luciferi*. E contrario Archiepiſcopus Turritanus (2) contendebat, confictum a Calaritanis fuiſſe *ad ſupplantandum populum, illumque alliciendum adorationi Luciferi*. Papebrochius autem neutram ex indicatis ſententiis probat, ſed invictis rationibus demonſtrat, poſt annum MCCCXXX. confectum eſſe, *& coopertum* Luciferi *ædis ruinis poſt ſeculum fortaſſe non integrum* (3). Secundum Epitaphium ob ſimplicitatem ejus idem ipſe Papebrochius (4) cenſet inciſum ſæculo quarto, quo Lucifer e vita migravit. At ſimplicitas, meo quidem animo, leve nimis eſt argumentum ad oſtendendum, quod Vir Clariſſimus opinatur, ſiquidem eadem ſimplicitas ſervata quoque eſt ſæculis poſterioribus. Quod verò ſubdit, Epitaphii Auctorem lapidem figuræ triangularis ſelegiſſe *ad deſignanda defuncti certamina pro fide unius Individuæ Trinitatis*, non eo inficias; tametſi intelligo, veteres Chriſtianos inter varia ſymbola, quibus ſuæ Religionis decreta exprimere ſolebant, ut illorum memoria numquam exciderent, utque ad fovendam Fidem incitarentur, talem figuram adhibere nullo tempore conſueſſe.

Non eſt hic omittendum, Ghinium (5) in hujus Eccleſiæ Præſulum cœtum legere item Sanctum *Euſebium*. At hic licet origine fuerit Calaritanus, nunquam Calaritanam conſcendit Cathedram. Quare dicendum, *merum id eſſe Ghinii ſphalma memoriale*, ſicuti Cl. Papebrochius (6) demonſtrat.

III. Lucifer II.

Teſtis eſt Gennadius Maſſilienſis (7), Eugenium Carthaginenſem Epiſcopum conſentientibus Antiſtitibus Africæ, Mauritaniæ, Corſicæ, & Sardiniæ Fidei Catholicæ expoſitionem litteris conſignaſſe. Inter Sardiniæ Præſules dubio procul fuit Lucifer noſter, qui per ea tempora vitam vivebat; enim verò in iis numeratur Epiſcopis, qui ut habet Victor Vitenſis (8) vocati ſunt Carthaginem ab Hunnerico Vandalorum Rege ad reddendam Fidei rationem, ac ad juramentum præſtandum & optandi poſt ejuſdem Hunnerici obitum Regni ſucceſſorem ipſius Filium, & non dirigendi ad regiones tranſmarinas Epiſtolas. Hi omnes Pontifices paullò poſtquam Carthaginem acceſſerunt, anno ſcilicet CCCCLXXXIV.

ſingulis cujuſvis Ordinis &c., & aliis quibuſcunque tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus Perſonis cujuſvis ſtatus, ne impoſterum, donec a Sanctitate Sua, vel Sancta Sede fuerit aliter ordinatum, audeant ſuper Luciferi ſanctitate, cultu, ac veneratione publicè tractare, diſputare, aut altercari, illamque neque ſcripto, nec typis impugnare, aut defendere. Exſt. *in Opere Benedicti XIV. nuper laudata.*

(1) *In Defenſione Sanctitatis Luciferi Calar. pag. 61.*

(2) Apud Papebroch. *cap. 8. num. 68.*

(3) *Cap. 11. num. 106.*

(4) *Cap. 11. num. 95.*

(5) *In Natalibus SS. Canonicorum* apud Papebroch. *T. VI. Maii ad diem 28. inter SS. prætermiſſos etc.*

(6) *Ibidem.*

(7) *De S. E. c. 97. in Biblioth. Eccleſ. Miræi pag. 73.*

(8) *Lib. 4. Perſec. Africanæ.*

LXXXIV. (1) in exilium miſſi ſunt, quidam in Corſicam, alii in Sardiniam, & Africam, hiſque Sanctus Symmachus Pontifex quotannis *pecunias*, *& veſtes miniſtrabat* (2). Quænam regio Lucifero obtigerit, non exſtat litteris. Illud unum certò ſcitur, exulem iter carpſiſſe ſupremum.

Cum nulla Luciferi lux aliunde affulgeat, annus, quo ordinatus eſt Epiſcopus, ignoratur. Magnus Baronius (3) in ea eſt opinione, ut credat, iniquiſſimam legem a Genſerico conditam, qua vetabat, ne ullus impoſterum in Epiſcopum conſecraretur, non tantum in Africa, verum etiam in aliis longinquis regionibus obſervatam eſſe. Si inter longinquas has regiones comprehenſa quoque fuiſſet Sardinia, quæ non ſecus, ac Africa a Vandalis occupata erat (4), non ſine cauſſa dici poſſet Lucifer Epiſcopali dignitate inſignitus ante annum CCCCLVI., quo ſacrilegam legem Genſericus conſtituit, ut Pagius noſter Vir Clariſ. ſcribit (5). Res tamen certa, explorataque non eſt; quinnimo ego ſuſpicor, Sardiniam ab ejuſmodi jugo aut exemptam fuiſſe, aut ſaltem eidem colla eripuiſſe. Verum enim verò per id temporis, quo lex in ſuo robore erat, Primaſius Calaritanus Præſul ordinatus eſt. Deinde, ſicuti Genſericus ordinationes Epiſcoporum prohibuit, ita Hunnericus (6), & Traſamundus (7) Catholicis Eccleſias aperire interdixerunt: attamen in Sardinia non tantum Eccleſiæ apertæ fuere, ſed etiam regnante Traſamundo Monaſterium conſtructum eſt (8).

Adrianus Baillet (9), atque Natalis Alexander (10) contendunt, plura monumenta, quæ in medium afferri ſolent ad Luciferi ſanctitatem perſuadendam, de hoc, non de primo intelligenda eſſe. Hujuſmodi doctrinam rejiciunt Papebrochius (11), ac Ruinartus (12), qui volunt, alterum tantum Luciferum Sanctorum faſtis eſſe adſcribendum. Cum ex Patribus, atque Hiſtoricis ſupra laudatis, quibus, ſive doctrina, ſive antiquitas, ſive ingenuitas ſpectentur, piaculum eſt auctoritatem negare, colligatur, Luciferum I. nondum Eccleſiæ reconciliatum obiiſſe, non pauca monumenta, quæ Luciferi ſanctitatem demonſtrant, non de I, niſi aliunde id conſtet, ſed de II. potius intelligenda eſſe aliquibus fortaſſis videbitur. Is enim poſt multas ærumnas pro aſſerenda Catholica Fide tolleratas exul mortem oppetivit, & quidem illis temporibus, quibus, prout animadverſum ab Eruditiſſimo Papebrochio (13) eſt, plures Eccleſiæ ex ſuis Epiſcopis pleroſque omnes in ſchiſmate

(1) Confer Marcellinum Comitem *in Chron.* apud Sirmondum *T. II. Opp. col. 369. edit. 1696.*

(2) Anaſtaſ. Biblioth. *T. III. pag. 222. edit. Blanch.*

(3) *T. VIII. An. ad an. 456. num. 8. pag. 188. edit. Lucenſis.*

(4) Conſule, *quæ diſſeruimus Diſſert. prævia cap. 2. num. 3., c. 3. num. 10. in Notis, & alibi.*

(5) In Crit. Bar. *ad hunc ann. num. 9.*

(6) V. Marcellinum Comitem *loco modò laud.*

(7) Lege, *quæ diximus cap. 3. in Not. num. 12.*

(8) Confer *Vitam S. Fulgentii ab ejus Diſcipulo ſcriptum apud Bolland. et Surium ad diem 1. Januarii cap. 17.*

(9) *In Luciferi Vita ad diem 20. Maii.*

(10) *Opere, et loco ſupra indic.*

(11) *Loco paullo ante cit.*

(12) *Loco, quem nuper deſignavi.*

(13) Papebrochius *in Exegeſi de Epiſcop. Mediolanenſib. Par. 1. pag. 57.* Exſt. *initio Tom. VII. Maii Bollandiani.*

mate haud mortuos uti Sanctos habere conſueverunt. Sed ab invidioſa,& a meo inſtituto aliena quæſtione temperandum.

IV. PRIMASIUS.

Quem nonnulli *Brumatium*, ac etiam *Villateum* appellant (1), hanc regebat Eccleſiam circiter initium ſæculi ſexti. Conceſſit Sancto Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi in Sardinia exuli agrum, in quo Monaſterium conſtruere poſſet apud Sanctum Saturninum Martyrem, ubi aliquandiu cum quadraginta, & amplius Fratribus ipſemet Fulgentius vitam egit (2). Vitalis (3) ſcribit, fuiſſe patria Calaritanum, virum Doctiſſimum, & egregium Concionatorem.

Primaſio vita functo, ſubrogatum fuiſſe Sanctum *Severum* exiſtimat idem Vitalis, qui Eccleſiæ Calaritanæ monumentis innixus eundem anno DXXX. illigat. Vereor, ne his antiquitatis veſtigiis multum fidant emunctæ naris Critici. Vitalem hac in re ſequitur Cantelius (4), qui inſuper ſucceſſorem Sancti Severi facit quemdam Gregorium; utrum hic idem ſit, atque Gregorius ille Martyr, quem ex aliorum ſententia alibi memoravi, an diverſus, ad trutinam revocent, qui ſunt animo vacuo.

Tametſi nomina Epiſcoporum, qui in Calaritana ſederunt Cathedra poſt Primaſium, & ante Thomam, certò ignorentur, nihilo tamen ſecius hanc Eccleſiam iis temporibus ſuos habuiſſe Paſtores, non video, quemadmodum in controverſiam vocari queat. Nam teſtis eſt Facundus Hermianenſis pro trium Capitulorum defenſione ſcribens (5), Provincias Africæ, & Sardiniæ, illarum ſcilicet Epiſcopos hortatos eſſe Vigilinm Romanum Pontificem ex Urbe Conſtantinopolim petentem, ne damnationi trium Capitulorum conſentiret. Quod ſi id fecerunt Sardi Antiſtites, maxime Calaritanus Præſul, qui eorum Metropolitanus erat. Hæc autem acciderunt eo tempore, quod medium eſt inter annum DXLIV. & DXLVII.; nam illo Roma diſceſſit Vigilius, hoc Conſtantinopolim pervenit (6).

V. THOMAS I.

Memoratur a Sancto Gregorio Magno in Epiſtola ad Januarium. Thomam hujus Eccleſiæ Præſulem conceptis verbis non aſſerit Sanctiſſimus Pontifex, ſed ex iis, quæ ipſemet ſcribit, apertiſſimè colligitur, nonniſi hanc Diœceſim adminiſtraſſe. *Theodoſia Religioſa Fœmina* (en Gregorii verba) *in conſtruendo Monaſterio voluntatem Stephani quondam viri ſui complere deſiderans petiit a nobis, ut ad Fraternitatem tuam noſtras tranſmitteremus Epiſtolas, quibus per commendationem noſtram tuum facilius mereretur auxilium. Aſſerit ſiquidem hoc a ſuo Conjuge conſtitutum, ut in prædio, quod appellatur Piſcenas, quod ad Xenodochii Thomæ quondam Epiſcopi jura pervenit, Monaſterium conſtrui debuiſſet* (7).

Quoniam neque in Conciliorum Actis, neque in Sancti Gregorii Epiſtolis nulla alia de Thoma habetur expreſſa

(1) Confer Ruinart *Hiſt. Perſec. Vand. Par.* 2. *cap.* 11. *num.* 22.
(2) Vide *S. Fulgentii Vitam*, apud Surium, & Bolland. *ad diem* 1. *Januarii c.* 27.
(3) *Epiſt. nuncup. Annal. Sard. præfixa.*
(4) *Hiſt. Metropolit. Urbium Par.* 3. *Diſſert.* 6. *cap.* 6.
(5) *Lib.* 4. *c.* 3. apud Sirmond. *Tom. II. col.* 526.
(6) V. Pagium *in ejus Vita num.* 17. *et ſeq.*
(7) *Epiſt.* 15. *l.* 4. *indic.* 12. *T. II. Opp. col.* 695. *Ed. Maur.*

preſſa mentio , licet ſciatur , ante Januarium vixiſſe , tamen certò non conſtat , quo tempore hanc gubernarit Eccleſiam . Idem ipſe Gregorius anno ſui Pontificatus primo ad præfatum Januarium ſcribit (1) , ne Diaconis , quos is ordinaverat præferret Liberatum , qui Diaconi munere in Eccleſia Calaritana fungebatur , niſi factus fuiſſet *Cardinalis* , hoc eſt primus , & antiquior Diaconus , ſeu ut vocem græco-latinam uſurpem *Archidiaconus* , quemadmodum Dufreſnius (2) , & Thomaſſinus (3) exponunt , ab Archiepiſcopo illius deceſſore . Præſulem hunc , cujus nomen reticet Sanctus Pontifex , probabile ſatis eſt , Thomam noſtrum fuiſſe .

VI. Januarius.

Juxta id quod ſcribit Gonzalez (4) patria Calaritanus erat . Florebat ætate S. Gregorii Magni , qui plures ad eundem miſit Epiſtolas (5) . In his una eſt (6) , qua vetat Presbyteris Chriſmate tangere eos , qui jam Baptiſma ſuſceperant . At cum ipſi delatum fuiſſet , nonnullos hac de re ſcandalum paſſos eſſe , aliam dedit Epiſtolam (7) , per quam quidquid paullo ante prohibuerat , libere permiſit . *Pervenit* , inquit, *quoque ad nos , quoſdam ſcandalizatos fuiſſe , quod Presbyteros chriſmate tangere eos , qui baptizandi ſunt , prohibuimus . Et nos quidem ſecundum uſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus ; ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur , ubi Epiſcopi deſunt , ut Presbyteri etiam in frontibus baptizandos Chriſmate tangere debeant , concedimus* . Quibus verbis Gregorius facultatem dedit Presbyteris Sardis non adminiſtrandi ſolum meram cœremoniam , uti viri doctiſſimi Eſtius (8) , ac Petrus de Marca (9) , aliique, quos ne plus æquo longus ſim, mitto , contendunt , ſed permiſſionem conceſſit verum adminiſtrandi Confirmationis Sacramentum , quemadmodum Natalis Alexander (10), Tournely (11), Patres Maurini (12), AuctorAnonymus de re Sacramentaria(13), cum primis verò BENEDICTUS XIV. Maximus , ac Sapientiſſimus Potifex (14) demonſtrant.

Gregorius Pontifex uſus eſt Januario familiariſſimè ; attamen ut præſentit, eum munère ſuo non bene functum, graviter reprehendit;hinc anno DXCIII. Romam accedere coegit , ut coram ſe , quæ ſibi , adverſus laudatum Januarium , delata erant , ſubtili valerent indagatione perquiri (15) . Aliàs etiam Pontifex ipſum redarguit, maxime anno

(1) *Epiſt.* 83. *l.* 1. *indic.* 9.
(2) *T. II. Gloſſarii Mediæ , & Infimæ Latin. ad v.* Diaconus Cardinalis *col.* 1378. *Ed. Ven. Maurinorum.*
(3) *Parte* 2. *Vet. & Novæ Eccleſ. Diſcipl. lib.* 1. *cap.* 34. *n.* 8.
(4) *In Not. in l.* 1. *Decret. Tit.* 35. *c.* 3.
(5) Nimirum *epiſt.* 62. 63. 64. 83. *l.* 1. *ind.* 9. *Epiſt.* 49. *l.* 2. *indic.* 10. *epiſt.* 8. 9. 15. 26. 27. 29. *l.* 4. *indic.* 12. *Epiſt.* 1. 3. 4. 6. 7. 65. *l.* 9. *indic.* 2. *Epiſt.* 38. *l.* 10. *indic.* 3. *Epiſt.* 25. *l.* 11. *indic.* 4. *Epiſt.* 4. *l.* 13. *indic.* 6. *juxta Maurin. edit.*
(6) *Epiſt.* 9. *l.* 4.
(7) *Epiſt.* 26. *ejuſdem libri* .
(8) *Lib.* 4. *diſt.* 7. §. 22. *pag.* 177. *ed. Ven.* 1748.
(9) *In Not. ad Can.* 28. *Concilii Claromont.pag.* 111. Exſt. in fine *Diſſert. de Concord. Sacerd. , et Imp.*
(10) *Sæc.* 2. *diſſ.* 10. §. 14.
(11) *De Sacram. Confirmat. quæſt.* 3. *art.* 2.
(12) *In not. ad eandem epiſt.*
(13) *L.* 3. *quæſt.* 7. *pag.* 339. *ed.* 1737.
(14) *De Synodo Diœceſana lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 5. *pag.* 202. *ed. Secunda* .
(15) Confer *Epiſt.* 36. *l.* 3. *indic.* 11.

no DXCVI. eo quia die Dominico ante Miſſarum ſolemnia cujuſdam meſſem invertiſſet Sulcis, & peracto Sacrificio, terminales lapides ipſe effodiſſet (1); Id autem adeò diſplicuit Gregorio, ut animo complexus fuerit anathemate Januarium petere, ſed poſtea animadvertens, hunc jam ſenuiſſe, vela retrorſum dedit, ac paternè potius hortatus eſt ſequentibus verbis. *Et quia adhuc Canis tuis parcimus, hortamur aliquando reſipiſce ſenex, atque a tanta te levitate morum, & operum perverſitate compeſcas. Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri ſollicitior, atque timidior debes. Et quidem pœnæ ſententia in te fuerat jaculanda; ſed quia ſimplicitatem tuam cum ſenectute novimus, interim tacemus. Eos verò, quorum conſilio hæc egiſti, in duobus menſibus excommunicatos eſſe decernimus: Ita tamen ut, ſi quid eis intra duorum menſium ſpatium humanitus evenerit, benedictione viatici non priventur. Deinceps autem ab eorum conſiliis cautus exiſte, te quoque ſollicite cuſtodi, ne ſi eis in malo diſcipulus fueris, quibus in bono Magiſter eſſe debuiſti, nec ſimplicitati tuæ ulterius, nec ſenectuti parcamus.*

De anno, quo Januarius creatus fuit Calaritanus Antiſtes, deque anno ejus emortuali nihil exploratum eſt. Illud unum innoteſcit, anno DXCI. Epiſcopum jam fuiſſe; hoc enim anno Sanctus Gregorius quatuor ad ipſum ſcripſit Epiſtolas (2). Porro dignitatem Epiſcopalem annò quoque DCIV., qui fuit Sanctiſſimi Pontificis poſtremus, retinebat, licet adeo ſenex evaſiſſet, ut ægritudine laboraret, nec idoneus amplius eſſet ad Epiſcopalia munera peragenda, quibus iccirco fungebantur & Epiphanius Eccleſiæ Calaritanæ Archipresbyter, & alter Æconomus ad id Gregorii juſſu a Vitali Defenſore Sardiniæ ſelecti (3).

Hæc cum ita ſe habeant nullo pacto aſſentiri queo aut Joanni a Turre-cremata, qui Sancti Gregorii ætate Januarium, & Joannem Epiſcopos hanc rexiſſe Eccleſiam exiſtimavit (4), aut Mabillonio, qui in Calaritana Cathedra ſediſſe Julianum, & Januarium memoriæ prodidit (5).

Nec vero a Turre-cremata, vel Mabillonius duntaxat duos crediderunt Calaritanos Præſules per illud tempus, quo Sanctus Gregorius Eccleſiam adminiſtrabat univerſam, verum etiam idipſum opinatus eſt Joan. Franc. Fara (6). Is enim litteris conſignavit, anno DCIV. Januario vita functo ſuffectum fuiſse Venerium, ad quem Gregorius eodem anno Epiſtolam ſcripſit. Certe quidem Epiſtolam Venerio datam referunt Gratianus (7), & Anſelmus Lucenſis (8), quorum prior etiam Sancti Pontificis germanum fœtum cenſet: verum immerito; ſiquidem ſpuria eſt, atque

(1) *Epiſt. 1. l. 9. ind. 2.*

(2) *Epiſt. nempe l. 1.* quas nuper citavimus.

(3) *V. Epiſt. 2. l. 14. ind. 7.*

(4) *In nova Ordinatione Gratiani l. 1. Par. 1. Tit. 11. Rubrica 10. c. 9. lib. 1. Par. 2. Tit. 15. Rub. 5. c. 8.* In eundem errorem præter Turrem-crematam lapſum video, qui Gloſſam adjecit *cap. 5. Decreti Gratiani Par. 1. diſtin. 89. col. 427. ed. Lugd. 1613.* His autem, uti arbitror, fucum fecerunt Codices MSS. maxime Vatic. nonnullarum epiſt. S. Gregorii, in quibus ex non Janua., ſed Joanni datæ dicuntur. Conſule PP. Maurin. *in not. ad epiſt. 49. l. 2. & 38. l. 10.*

(5) *T. I. An. Bened. l. 8. n. 46. ad an. 594. et ad an. 599. l. 9. pag. 254. ed. 1703.*

(6) *Hiſt. de Rebus Sardois col. 43.*

(7) *C. 35. q. 10. cap. 1. col. 1876.*

(8) Teſtatur id Doctiſſ. Balutius *in Not. ad Gratianum pag. 558. ed. Pariſ. 1672.*

hoc apparet ex eo, quod in margine Codicis Anſelmi Lucenſis, qui in Bibliotheca S. Germani Pariſienſi aſſervatur, antiqua manu ſcriptum eſt: *apocryphum caput* (1). Eandem Epiſtolam ſuppoſititiam aſſerit cl. Balutius (2), & poſt eum doctiſſimi Maurini Patres, qui ideo inter alias S. Gregorii recenſere noluerunt, quoniam *vetat ingens ſtyli diſſimilitudo*; *vetat Venerius ille, ad quem dirigitur Epiſtola, utpote Gregorii Magni ævo prorſus incognitus*; *vetat denique altum, ac perpetuum de ea ſilentium, tum in omnibus Regiſtri codicibus manu exaratis, ac editis, tum in omnibus omnino ſcriptoribus ante Anſelmum Lucenſem* (3).

VII. DEUSDEDIT.

Simul cum uno ex ſuis ſuffraganeis Valentino nempe Epiſcopo Turritano interfuit Concilio habito Romæ anno DCXLIX. ſub Martino I. R. P. adverſus Monothelitas. Ex actis ejuſdem Concilii (4) conſtat, virum doctrina præditum fuiſse. Cum diem objerit ſupremum, aut anno paullo ante indicato, aut ſequenti, ut mox dicam, probabile eſt, a pluribus annis Calaritanam Eccleſiam gubernaſse. Quamobrem reor Calaris Præſulem, qui cum ſuis Clericis anno DCXXVII. ab Honorio I. Papa Romam vocatus eſt, quod nonnulla adverſus eoſdem Pontifici delata fuerint, hunc ipſum fuiſse Deuſdedit.

Unus autem duntaxat, nimirum Archiepiſcopus Pontificis imperio obtemperavit: clerici proprii criminis convicti Romam accedere detrectarunt, unde in Honorii offenſionem ceciderunt; & inſuper *viſi ſunt a communione privari, & Anathematis vinculo innodari*. His pœnis deterriti, ac præterea ſuaſi a Barbato S. R. E. defenſore regionario Calarim miſso Clerici quoque animo verſabantur morem gerere Honorio, ſed *Theodorus quidam perverſus Præſes.... Sardiniæ diabolica intentione arreptus venire eos jam navi impoſitos prohibuit, & violenter ablatos in Africanam Provinciam deſtinavit*, quod quammaximè Pontifici diſplicuit (5). Ex hujuſmodi facto manifeſta res eſt, quamplures Sardos in eâ verſatos eſſe opinione, ut crederent, quoniam ex Juſtiniani lege (6) Sardinia ad Africæ Præfecturam ſpectabat, Clerum quoque illius Inſulæ Africæ Primati, nempe Antiſtiti Carthaginenſi ſubjectum fuiſse.

Salvator Vitalis (7) Epiſcopum hunc *Deodatum* vocat, ac etiam titulo *Sancti* honorat. Neſcio utrum Sanctum appellet ob peculiarem vitæ Sanctimoniam, aut ob Religionem Chriſtianam, & Epiſcopalem dignitatem, quas antiquis temporibus *Sancti*, *Beati*, *Sanctiſſimi*, ac *Beatiſſimi* titulis decoratas fuiſse exploratæ fidei eſt (8).

VIII. JUSTINUS.

Deuſdedit excepit Juſtinus, græcè

(1) Confer Balutium *ibidem*.
(2) *Ibidem*.
(3) *In Not. ad Append. ad epiſt. S. Gregorii Magni col.* 1304. *ed. Pariſ.* 1705. *T. II.*
(4) *Apud Hard. T. III. col.* 707. *et ſeq.*
(5) *V. Honorii epiſt. ad Sergium Subdiaconum apud Labbeum T. V. H. Concil. col.* 1685.
(6) Confer, quæ dixi *cap.* 2. *pag.* 4.
(7) *Epiſt. nuncupat. præfixa T. I. Annal. Sard.*
(8) *V. epiſt. Bened. XIV. Doctrina, et Pont. Dignitate Maximi ad Reg. Portugalliæ Joan. V.*, præfixam

cè Juſtinianus dictus. Subſcripſit eidem Concilio Romano, ut conſtat ex quinto, ac ultimo ſecretario, ut ajunt, ſeu actione (1), una cum Antiſtitibus Mediolanenſi, & Dertonenſi *poſt Synodum*, ſcilicet poſt aliquot menſes, & forte etiam annum a Synodo celebrata, cum illis acta exhibita fuiſſent, defuncto Deusdedit anno DCXLIX., vel ſequenti.

Martino I. adhuc Eccleſiam univerſam adminiſtrante, teſtis eſt Auctor Libri Pontificalis (2), facultate temporaria, quam Archiepiſcopi Calaritani acceperant ordinandi Epiſcopos Turritanos, ob quorundam protervitatem privatos fuiſse. Utrum hæc pœna primò inflicta fuerit Juſtino, vel Deuſdedit, mihi non liquet. Hic ceſpitat Vitalis (3) ſcribens, Calaritanum Præſulem, qui Concilio Romano ſub Martino I. celebrato interfuit, fuiſse Sanctum Venerium.

IX. Citonatus.

Inter Patres, qui Cnncilin Conſtantinopolitano II. anno DCLXXX., & DCLXXXI. interfuerunt, recenſetur. Porrò ad hanc Synodum convenit, licet, quemadmodum ſcribit Chriſtiánus Lupus (4) hærebat ab Epiſcopatu ſuſpenſus, ut notam ſingulis faceret (ita quidem reor) propriam innocentiam. Accuſatus enim erat, machinatum fuiſſe magnum in Romanam Rempublicam ſcelus, proinde & privatione officii punitus fuerat, & inſe Conſtantini Pogonati Imperatoris iram concitaverat. Verum die Citonato dicto, & ad trutinam vocata re, illum a tanto ſcelere inſontem deprehenderunt, quod Conſtantinus in ore, atque oculis omnium aſſeruit. Quocirca Calaritanus Præſul non ſolum iterum ſuſceptus eſt in amicitiam Imperatoris, ſed inſuper Imperator ipſe curavit, ut Concilium illum reciperet, & permitteret ei nomen ſuum inter alios Patres referre. En piiſſimi Imperatoris verba rem totam narrantia. *Cum Citonatus Sanctiſſimus Archiepiſcopus Sardiniæ Inſulæ de quibusdam Capitulis accuſatus ſit, quæ ſpectant ad obſiſtendum tum noſtræ ſervituti, tum Dei amatrici Reipublicæ noſtræ: cumque ea falſa demonſtrata ſint, & iis venerabilis vir inſons declaratus ſit: hortamur ſanctum, & univerſale veſtrum Concilium, eundem Sanctiſſimum Citonatum recipere, ut & in veſtro numero eum habeatis, & faciatis, ut editæ a Spiritu Sancto per ſanctum veſtrum Concilium Orthodoxæ fidei definitioni ſubſcribat* (5). Concilium verò illicò Imperatoris petitionibus annuit, & Citonatus hac formula ſubſcripſit: *Citonatus indignus Epiſcopus Sanctæ Eccleſiæ Calaritanæ Inſulæ Sardiniæ pro me, & Synodo, quæ ſub me eſt, ſimiliter obſignavi* (6). Ex hujuſmodi Citonati phraſe perſpicuum eſt, nullum alium Sardiniæ Epiſcopum huic Con-

xam Martyr. Romano non ita pridem edito, *num.* 32. Dufreſne *T. VI. M., et Inf. Lat. ad v. Sanctitas* Ed. Maur. Cuperum *Hiſt. Patriarch. Conſt. Parerg.6. num,*403. Sbaraleam *in Op. pluries cit. diſſ.* 1. *c.* 1. *ad num.* 2., & eos, quos ipſe laudat. Maurum Sartium *Diſſert. de Veteri Caſula Diptycha cap. 7. pag. 69.* Mamachium *T.IV. Orig., & Antiq. Chriſt. l. 4. c. 4. §. 12. pag.* 301.

(1) *Apud Hard. T. III. col.* 933.

(2) *In Vita Joan. V. T. IV. ed. Blanch. pag.* 119.

(3) *Loco modo cit.*

(4) *Diſſert. de VI. Synodo Act.* 17., & 18. *Tom. III. pag.* 48. *edit.* 1724.

(5) *In Actis ejuſdem Concilii* apud Hard. *Tom. III. Act.* 18. *col.* 1435.

(6) *Ibidem col.* 1442.

Concilio interfuiſſe, ſed ipſum pro ſuis Suffraganeis, qui aberant, ſubſcripſiſſe.

Poſtquam Concilium finem accepit, Citonatus ad propriam ſedem reverſus, nonnullis tranſactis annis, tempore ſcilicet Joannis V. Romani Pontificis, quamvis, ut non ita multum dixi, Calaritanis Archiepiſcopis ablata fuerit a Martino I. poteſtas ordinandi Epiſcopos Turritanos, ope Ducum Græcorum Inſulæ Sardiniæ Præſidum fretus, Pontificiam prohibitionem ſprevit, ac in Turrenſem Præſulem conſecravit *Novellum*: cujus tamen conſecratio irrita ſtatim habita eſt ab eodem Joanne, ſed poſtea, convocato Sacerdotum Concilio, confirmata fuit. Tempus, quo hæc facta ſunt, narrat Auctor libri Pontificalis (1), at perquam obſcurè: quod in cauſſa fuiſſe credo, cur Chriſtianus Lupus (2) putaverit, accidiſſe Eccleſiam univerſam moderante Martino I.

De Citonato nulla poſthac recurrit memoria. In Actis Synodi Quiniſextæ habitæ anno DCXCI., relictus eſt Archiepiſcopo Sardiniæ, nempe Præſuli Calaritano locus ad ſubſcribendum (3), ſed an per eos dies hanc rexerit Eccleſiam Citonatus, an alter, qui in demortui Citonati locum lectus fuerit, divinari magis, quam ſciri poteſt.

X. THOMAS II.

Thomam hujus Eccleſiæ Cathedram conſcendiſſe liquet ex Actis VII. Synodi, in quibus eſt, miſiſſe Epiphanium Diaconum Eccleſiæ Catanenſis (4) Legatum ſuum ad eandem Synodum Niceæ anno DCCLXXXVII. celebratam adverſus Iconomachos, qni Sacris Imaginibus bellum indixerant.

Ab eo anno uſque ad Sancti Gregorii VII. Romani Pontificis ætatem, nec Vitalis, nec Vicus (5) ullum nobis ſuppeditant Calaritanum Epiſcopum, non quod hæc Eccleſia tot annos proprio fuerit deſtituta Paſtore, ut videtur opinari Vitalis, ſed quia eorum memoriam extinxit antiquitas. Quantum ſcimus unum duntaxat, qui Archiepiſcopi Calaritani titulo decoratur, illæſum ſervavit tempus rerum omnium edax. Is eſt *Citonatus*, qui anno DCCCCLXIV. ſubſcribit Conſtitutioni Leonis Papæ VIII., qua ipſe profitetur ſe reſtituere Ottoni Imperatori quæcunque Romanum Occidentale Imperium olim poſſidebat, atque Eccleſiæ Romanæ dono dederat. Multum autem dubitatur, an Citonatus iſte reipſa in hujus Eccleſiæ Præſulibus ſit numerandus; enim verò Conſtitutionem allatam, ex qua ſolummodo nobis innoteſcit, tametſi genuinam putet Michael Goldaſtus Calviniſta (6), tamen doctiſſimus Baronius (7) eam ſpuriam demonſtrat, aitque, *plures errores continere, quam verba*: cui adhærent Gretſerus (8), & Pagius, qui ab aliquo imperito Schiſmatico fuiſſe excogitatam exiſtimat (9). Quam ob rem non levis ineſt mihi ſuſpicio, Ci-

to-

(1) *Loco paullo ante indic.* (2) *Op. & loco cit.*

(3) Apud Hard. *Tom. III. col.* 1699.

(4) Apud eundem *Tom. IV. Act.* 7. *col.* 458.

(5) *In Indice Archiepiſcop. Calarit. Tom. II. Hiſt. Sard. Par. 6. cap.* 44.

(6) *Tom. I. Conſtitut. Imperialium pag.* 36.

(7) *Ad an.* 964. *num.* 26. *& ſeq. Tom. XVI. edit. Luc.*

(8) *Tom. VI. Op. in Apolog. pro Card. Baronio c.* 19. *pag.* 214. *lib.* 2. *contra Replicatorem c.* 14. *pag.* 400. *edit.* 1734.

(9) *In Crit. Baron. ad an.* 964. *num.* 7.

Digitized by Google

tonatum quoque eſſe commeotitium; maxime quia, ut probat laudatus Barooius (1), non pauci eidem Diplomati ſubſcribunt Epiſcopi, & Cardinales, qui aut nunquam in rerum natura fuerunt, aut ſaltèm ea ætate aoima non ſpirabant ſua.

XI. JACOBUS I.

Archiepiſcopali dignitate, ac Pallio inſigoitus eſt a S.Gregorio VII. Summo Pontifice anno MLXXIII. (2). Paſcere Barbam more Græcorum in deliciis habuit, quod ut facere poſſent etiam ſuæ Diœceſeos Clericis permiſit. Quoniam Occidentalis Eccleſia a primis quoque Religionis Chriſtianæ temporibus Clericis barbam abjicere conſuevit, hæc Gregorio diſplicebant; unde curavit, ut primum Jacobus, dein ejus Clerici barbam ſibi radereot. Sed audiamus, quibus verbis Sanctiſſimus Pontifex ſcribat ad Orzoccum Judicem Calaritanum anno MLXXX. tertio nonas Octobris (3). *Nolumus autem prudentiam tuam moleſte accipere, quod Arebiepiſcopum veſtrum Jacobum conſuetudini Sanctæ Romanæ Eecleſiæ Matris omnium Eccleſiarum, veſtræque ſpecialiter obedire coegimus; ſcilicet ut quemadmodum totius Occidentalis Eccleſiæ Clerus ab ipſis Fidei Chriſtianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ita & ipſe Frater noſter veſter Archiepiſcopus raderet. Unde eminentiæ quoque tuæ præcipimus, ut ipſum ceu Paſtorem, & ſpiritualem Patrem ſuſcipiens, & auſcultans cum conſilio ejus omnem tuæ poteſtatis Clerum barbas radere facias, atque compellas: res quoque omninò renuentium, niſi demum conſenſerint, publices, ideſt juri Calaritanæ Eccleſiæ tradas, & ne ulterius inde ſe intromittant, conſtringas; nec non ipſum ad honorem Eccleſiarum defendendum promptiſſimè adjuves.*

Quod ad Eccleſiarum cuſtodiam attinet, per hæc tempora ſinguli Sardiniæ Epiſcopi, maximè Jacobus noſter adeò negligentes erant, ut miſerrimus eſſet earundem ſtatus, & fere collabereotur. Id cum reſciviſſet Victor III. Romanus Pontifex, anno MLXXXVII. IV. Calen. Septembris Beneveoti manens ſequentes litteras miſit ad præfatum Jacobum, & alios Archiepiſcopos, Epiſcopoſque Sardiniæ.
„ Quidam ex veſtra Inſula ad nos ve-
„ nientes Eccleſiarum veſtrarum peoe
„ collabentium ſtatum oobis expoſue-
„ runt: quæ merito ita indigno animo
„ tulimus, ut quaſi ad procedendum
„ cootra illarum Epiſcopos compulſi
„ fuerimus, præcipue contra Frater-
„ nitatem tuam (*Jacobum*), qui Pri-
„ mas es dictæ Inſulæ (4), cui majora
„ Ec-

(1) *Ibidem*.

(2) *Conſule, quæ natantur in fine l. 1. Epiſtol. ejuſdem S. Gregarii* apud Hard. *T. VI. Par. 1. col.* 1260.

(3) *Epiſt.* 10. *lib.* 8. apud eundem *col.* 1460.

(4) Per ea tempora Præſules Calaritani dignitate Primatis totius Sardiniæ inſigniti erant, ſed ætate Innocentii II. privati fuerunt. Is enim an. 1138. Provinciæ Turritanæ Primatem Archiepiſc. Piſanum conſtituit, cui præterea confirmavit Legationem totius Sardiniæ, quam una cum Titulo Primatis Corſicæ antea ei conceſſerat Urbanus II. Confer *Innoc. II. Diploma apud Ughel. T. III. in Archiep. Piſ. col.* 390. *num.* 46. Innocentius III. Juriſdictionem Primatis Piſanis Antiſt. conceſſit in univerſa Sard., ac ejuſdem Legatos iterum declaravit poſt plures alios Pontifices. Vide *Diploma apud Ughel. col.* 409. *num.* 48. A Clemente IV. omnibus honoribus privati ſunt Piſani Præſules, ſed a Gregorio X. quæcunque amiſerant, Dignitates recuperarunt, ut liquet cum ex *Dipl.* ejuſdem Pontif. *apud Ughel. col.* 442. *num.* 52., tum ex iis, quæ illi in Sard. poſtea patrarunt. Confer *Ughel. ibidem*. Titulum *Primatis*,
ac

Digitized by Google

„ Eccleſiarum negotia deferenda ſunt. „ Ideo enim Sedes Apoſtolica, cui li„ cet indignè præſidemus, per diver„ ſas Mundi Provincias Epiſcopos, „ Archiepiſcopos, & Primates inſti„ tuit, ut rectè ſingularum Eccleſia„ rum gereretur adminiſtratio. Qua„ re nos Fraternitatem tuam, cæte„ roſque Archiepiſcopos, & Epiſcopos „ commonemus, ut dilectionem tuam „ unanimiter adjuvantes illarum re„ ſtaurationem quanto citius promo„ veatis. Vos ergo in hac re propen„ ſos ita oſtendite, tantamque in hoc „ adhibete diligentiam, ut cognito „ ſtudio, ac diligentia veſtra, ſi quid „ hactenus negligenter, aut inobe„ dienter deliqueritis, meritò propter „ hoc tolerare debeamus (1).

XII. LAMBERTUS.

Ego Lambertus Archiepiſcopus hujus rei inceptor, & præceptor, ac ſecundum Dominum Conſiliator fui, atque canonice ſubſcripſi, anathema firmavi. His verbis ſubſcribit Diplomati fundationis Monaſterii S. Saturnini facta pro Monachis Sancti Benedicti a Conſtantino Rege Calaritano anno MLXXXIX. Indictione duodecima (2).

XIII. HUGO I.

Lamberto vita functo anno, quem ſupra indicavi, aut initio ſequentis MXC, ſuffectus eſt Hugo, qui hoc anno die 22. Aprilis ratam habuit donationem factam Monachis Benedictinis, quam modo memoravi, ac inſuper illis conceſſit plures Eccleſias, nempe Eccleſias *S. Eliæ*, S. Mariæ *de Arelni*, Sanctæ Mariæ *de Gippi*, S. Mariæ *de Sabbollo*, S. Vincentii *de Siquerret*, S. Euſi *de Nora*, S. Ambroſii *de Itta*, S. Antiochi *de Sulcis*, S. Mariæ, & S. Barbaræ *de Aqua-frigida*, ac tandem medietatem decumarum Calaritanæ Diœceſeos (3).

Eccleſiam Sancti Saturnini, & quæ illius erant juris, ad ſemet ſpectare contendebat, jure ne, an injuria, neſcio, Rector, ſeu Magiſter novi Hoſpitalis Piſis conſtructi, qui *Papæ Alexandri* dicebatur; unde cum Riccardus Abbas, & Monachi Monaſterii Sancti Victoris Maſſilienſis, quibus Conſtantinus Rex Calaritanus, & Eccleſiam, & prædia laudata conceſſerat, in poſſeſſionem eorundem venire nequiviſſent, hanc ob rem hl ad Urbanum II. Romanum Pontificem confugerunt, qui Hugoni Archiepiſcopo per litteras juſſit omne conferre ſtudium, ut illi poſſeſſionem legatorum inire poſſent. Archiepiſcopus Pontificis juſſa patrare cupiens, una cum Monachorum *Procuratore* Sancti Saturnini Templum verſus iter aggreſſus, a militibus, quos Piſani collegerant, non ſolum prohibitus eſt eo accedere, verum etiam *cum gladiis, fuſtibus, & lapidibus* ab iis finibus expulſus eſt. Domum reverſus ſingulos anathemate petiit, ac tandem anno MC., defuncto jam Urbano II., Monachos Maſſilienſes induxit in

ac *Legati* Sardiniæ, & Corſicæ adjudicant Archiep. Piſania duo celebrea J. C. Doct. Barboſa *de Off.*, *& Poteſt. Epiſcop. Par.* 1. *Tit.* 3. *c.* 7. *pag.* 135. *edit.* 1707., & Gonzalez *in Not. ad l.* 1. *Decret. Tit.* 11. *cap.* 8. *Tom. I. pag.* 451. *edit.* 1673., nec non Hiſtorici nobiliſſimi, Baronius, Thomaſſinus, Raynaldus, & alii, quos in hoc opere ſparſim citabo.

(1) Exſt. apud Papebroch. *in Actis S. Lucif. Calarit. ad diem* 20. *Maii in Appen. num.* 123.

(2) Exſt. apud Martene, & Durand. *T. I. Collect. Veter. Monument. Tom. I. col.* 525.

(3) Confer *ejus Dipl. apud eoſdem ibidem col.* 528. V. etiam Martene *T. VI. Annal. Bened. in Addend. & Corrig. pag.* 617.

in poſſeſſionem *Prioratus* ejuſdem S. Saturnini, tametſi Piſani caſtra haud moviſſent (1).

Vitalis inter hujus Eccleſiæ Præſules numerat Sanctum *Benedictum* Monachum. Hunc in Sardinia fuiſſe circiter hæc tempora Epiſcopum certum eſt, ſed Præſulem fuiſſe Calaritanum haud exiſtimo, qua de re alibi diſputabo (2).

XIV. Gualfredus.

De Gualdfredo nihil aliud ſcimus, niſi quod anno MCXII. ſexto nonas Martii ſubſcripſit, confirmavitque Diploma Benedicti Epiſcopi Dolienſis, quo conceſſit Monaſterio Maſſilienſi Sancti Victoris Eccleſiam B. Mariæ *de Arco* cum omnibus ſuis pertinentiis, ut ajunt: & eodem anno, ſed ſexto nonas Maii ſubſcripſit Diplomati Mariani Judicis Calaritani, confirmantis dona Patris ſui Conſtantini, & Matris Monaſterio Maſſilienſi S. Victoris his verbis: *Gualfredus ego Kalarit., licet peccator, Archiepiſcopus, ut hæc ſcripta firmiter maneant, propria manu ſubſcripſi, & confirmavi. Amen* (3).

XV. Guillelmus.

Hanc adminiſtrabat Eccleſiam anno MCXIX.; etenim eo anno die tertia poſt Paſcha, videlicet Calen. Aprilis, agente Petro Cardinali, & Apoſtolicæ Sedis in Sardinia Legato, precibus Berengarii Prioris, & omnium Fratrum, rogatu etiam Mariani Judicis Calaris, Eccleſiam Sancti Saturnini conſecravit, cujus Altare majus Beatis Apoſtolis Petro, & Paulo, nec non S. Victori Martyri dicavit, atque in ipſo conſecrationis die omnia privilegia eidem Eccleſiæ conceſſit, quæ olim Monaſterio largita fuerant, ac prætere Eccleſias numero 22. a ſuis deceſſoribus, Monachis dono datas, ipſe ratas habuit (4). Menſe Novembri ejuſdem anni Canonicos Sancti Laurentii Genuæ locupletavit Eccleſia S. Joannis in loco, qui appellabatur *Arſemina*, ſita, hac tamen exacta conditione, ut eadem Eccleſia *denarium unum Lucenſem, & candelam unam* Cathedrali Calaritanæ quotannis ſolveret (5).

Donationem factam Canonicis Genuenſibus ratam habuit biennio poſt, anno ſcilicet MCXXI. ab Incarnatione Nonis Januarii Indictione XIV., quo adhuc Guillelmus vivebat, Calliſtus II. Romanus Pontifex, ut ex ipſius Diplomate liquet (6).

XVI. Petrus I.

Quo anno electus ſit in Archiepiſcopum, ut mea memoria eſt, nunquam legi. Si verum eſt, quod aſſerunt Papebrochius (7), atque Vitalis ex litteris in Tabulario Calaritano ſervatis, nimirum Honorium II. R. P. Petro conceſſiſſe Pallium, & decedentium Clericorum Spolia, ante annum MCXXX. eligi debuit; nam Honorius II. judice Franciſco Pagio (8) anno MCXXX. die 14. menſis Februarii communi

(1) Apud eoſdem M. & D. *col.* 582.
(2) Ad calcem hujus Operis, dum agam de Epiſcopis Sard. incertæ Sedis.
(3) Lege Martene, & Durand. *T. I. Vet. Monum. col.* 629., *& ſeq.*
(4) Confer Mabill. *T. VI. Annal. Bened. ad eum an. l.* 7. *n.* 93. *pag.* 45. *edit.* 1703., & Mart. ac D. *ibidem col.* 657.
(5) Exſt. Dipl. *apud Ughel. Tom. IV. in Epiſt. Januenſ. col.* 852.
(6) Apud *Ughel. ibidem*.
(7) *In Actis S. Luciferi E. C. T. V. Maii ad diem* 20. *pag.* 221.
(8) *In Breviario in ejus Vita T. II. pag.* 612. *edit.* 1717.

ni mortalium fato functus eſt. Quæ cum ita ſint, miror, quid fuerit, quod Papebrochius ſcripſerit, memoratum Pontificem ea, quæ modo indicavi, Petro dediſſe anno MCXXXII.

Omnium Calaritanorum Antiſtitum, quorum exſtet memoria, primus fuit, qui poſt reprehenſionem ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis Sardis a Victore R. P. factam, ſedulam dederit operam reſtaurandis, ornandiſque Eccleſiis, tam Calaritanis, quam reliquis Inſulæ, cujus diligentiæ magno eſt argumento Inſcriptio adinventa in Eccleſia S. Antiochi *de Sulcis*, quam ex Papebrochio heic habeto (1).

Ubi Corpus Beati Sancti Anthiochi
quiebit in gloria,
Aula micat, *virtutis opus reparante Miniſtro*,
Pontificis Chriſti ſic decet eſſe domum,
Quam Petrus Antiſtes cultus ſplendore nobabit
Marmoribus, *titulis*, *nobilitate*, *Fide*;
dedicaturus XII. Kal. Februa.

XVII. Constantinus.

Anno MCXLI. confirmavit Petro Abbati Monaſterii Maſſilienſis Sancti Victoris *Eccleſiam S. Saturnini cum omnibus jure ad eam pertinentibus*. Inſtrumentum datum Calari anno, quem ſupra indicavi, memoratur ab eruditiſſimo Martene (2).

Dionyſius Sammarthanus vir celebris ſcribit (3), quod Fredolus de Anduſia Abbas Maſſilienſis *ab Archiepiſcopo Piſano Primate*, *ac Legato in Sardinia*, *ſimul & a Conſtantino Antiſtite Calaritano Eccleſiæ S. Saturnini ceſſionem obtinuit*. Verum Fredolus Abbas a Conſtantino noſtro nullo pacto id conſequi potuit; etenim Fredolus eodem Sammarthano teſte (4), Abbas Maſſilienſis electus eſt anno MCLXIII., quo Conſtantinus jam obierat, ſi Martene fides (5). Quæ ideo animadvertere libuit, & ut Conſtantini ætas innoteſcat, & ne Sammarthani verba quempiam in errorem inducant.

XVIII. Bonitus.

Suffectus eſt Conſtantino, qui hoc fuit ad bona Monachis auferenda propenſior, quo prædefuncti Calaritani Præſules fuere inclinatiores ad illos iis ditandis. Is enim, uſurpata ſibi poſſeſſione, quæ ad eoſdem ſpectabat Monachos, ne rogatus quidem reſtituere voluit; unde magnum diffidium ortum eſt, ita ut Monachi animadvertentes injuſte bonis propriis fuiſſe ſpoliatos, contumacius etiam, quam par eſſet, Archiepiſcopi imperia detrectaverint. Ad litem ejuſmodi componendam, & litigioſos pacificandos anno MCLXIII. ab Alexandro III. Pontifice Maximo delegatus eſt Villanus ex nobiliſſima Cajetanorum gente Piſis natus, illius Urbis Archiepiſcopus, & Sardiniæ Primas. Res Monachis ex voto ceſſit; ipſis enim aſſertæ ſunt poſſeſſiones uſurpatæ, *dum tamen eſſent in poſterum Antiſtitis ſui obſervantiores*, inquit Martene, ex quo hæc decerpſimus (6).

Monu-

(1) *Loco deſignato*.
(2) *In Not. ad Epiſt.*, *& Dipl. Tom. I. Vet. Monum. col. 653.*
(3) *T. I. Galliæ Chriſtianæ in Hiſt. Abbatum Maſſil. col. 688. edit. Novæ*.
(4) *Ibidem*.
(5) *Loc. cit.*
(6) *Ibidem*.

Monumentorum defectus, ex quibus annus, quo electi ſunt, atque diem obierunt ſupremum Antiſtites Calaritani, conligi poſſet, in cauſſa eſt, quamobrem neſciamus, utrum Bonitus anno circiter vigeſimo primo Pontificatus Alexandri Tertii, quando Archiepiſcopi, & Epiſcopi Sardiniæ bellum adverſus Monachorum privilegia moverunt, Eccleſiam Calaritanam adhuc adminiſtraverit. Veriſimile tamen eſt, nondum per illud tempus extremum diem morte confeciſſe Bonitum, ac proinde ipſum, quoniam duo ſaltem in propria Diœceſi Cœnobia habebat, non ſecus ac alios Præſules Sardos Monachorum privilegiis obſtaſſe: qui enim nulla accedente cauſſa eoſdem moleſtia affecit, multò magis ipſis moleſtus fuiſſe, ubi aliqua occurrebat rationis umbra, dicendum eſſe videtur. Quare antequam ad Boniti ſucceſſorem gradum facio, indicatam hiſtoriam hic exhibere haudquaquam ſupervacuum fore intelligo.

Conſueverant Monachi in Sardinia exſtantes, & nonnulli Presbyteri Monachis ſubjecti, qui eorundem Eccleſis inſervientes Baptiſma, Extremamque Unctionem Populis conferebant, ab his decumas accipere. Cum Patres Concilii Lateranenſis Tertii anno MCLXXIX. celebrati aſſeruiſſent, quod viſum ſibi (1) „ horribile nimis „ eſt, quod in quibuſdam Eccleſiis „ locum venalitas perhibetur habere, „ ita ut . . . . pro ſepulturis, & ex- „ ſequiis Mortuorum, & benedictioni- „ bus Nubentium, ſeu aliis Sacramentis „ aliquid exigatur, & ille, qui indiget, „ non poſſit iſta percipere, niſi ma- „ num implere curaverit largitoris „ ac præterea, ut hujuſmodi extirparent abuſus, decreviſſent, ne pro *mortuis ſepeliendis*, *ſeu etiam nubentibus benedicendis*, *ſeu etiam aliis Sacramenmentis aliquid exigatur*, Antiſtites Sardi non modo penitus interdixerunt *hominibus*, & *ſervis* ipſarum Eccleſiarum laudatis Presbyteris decumas ſolvere, verum etiam plura privilegia Monachis auferre tentarunt. Ubi id reſcivit Alexander Tertius ſequentes dedit litteras Pontificibus Sardis in propriis Diœceſibus Eccleſias ad Monachos Caſſinenſes ſpectantes habentibus: quæ quidem litteræ tametſi ab eruditiſſimo Gattola (2) editæ ſint, tamen a nobis heic recuduntur, ne Lectores earum pervolvendi cupidos cogamus alibi illas requirere.

„ Alexander Epiſcopus Servus Ser- „ vorum Dei Venerabilibus Fratribus „ Archiepiſcopis, & Epiſcopis Sardi- „ niæ, in quorum Epiſcopatibus ſunt „ Eccleſiæ Monaſterii Caſſinenſis, ſa- „ lutem, & Apoſtolicam benedictio- „ nem. Audivimus, & audientes ve- „ hementi ſumus admiratione com- „ moti, quod quidam veſtrum Decre- „ torum noſtrorum obtentu, quæ in „ Concilio nuper edidimus, privile- „ gia, quæ præſcripto Monaſterio A- „ poſtolica Sedes indulſit, nituntur „ infringere, & contra libertatem il- „ lam, quam in Eccleſiis ſuis, & ea- „ rumdem Eccleſiarum Clericis de in- „ dulgentia ejuſdem Sedis hactenus „ præſcriptum Monaſterium habuit, ve- „ nientes Clericos ipſos cogere vo- „ lunt, ut eis obedientiam jurejuran- „ do promittant, & ad ipſorum Sy- „ nodum veniant, & non ſolum ipſis, „ ſed etiam præſcriptis Eccleſiis Divi- „ na officia interdicunt, Oleum San- „ ctum, & Chriſma eis denegant, & „ pro-

(1) *Canone ſeptimo* apud Hard. *Tom. VI. Par.* 2. *col.* 1676.
(2) *Par.* 1. *Hiſt. Abbat. Caſſ. pag.* 430.

„ prohibent hominibus, & Servis earundem Eccleſiarum decimas ibi dare, cum in eis ad Divina ſemper officia conveniant, & in eis etiam baptizentur. Quoniam igitur decreta noſtra Sedis Apoſtolicæ privilegia non infringunt, nec iiſdem privilegiis in aliquo derogant, Fraternitati veſtræ mandamus, atque præcipimus, quatenus Oleum Sanctum, & Criſma Eccleſiis ſupradicti Monaſterii largientes, nullus omnino veſtrum contra privilegia præſcripti Monaſterii, aut libertatem Eccleſiarum, & Clericorum ſuorum hactenus obſervatam venire præſumat, ſed potius tenorem privilegiorum ipſorum omni occaſione, & contradictione ceſſante inviolabiliter obſervetis: certum habentes, quoniam ſi quis ſecus facere temptaverit, noſtram indignationem poterit formidare. Nos enim ſuſtinere volumus, nec debemus, quod Monaſterium ipſum quomodolibet minuatur jure, & libertate ſua. Dat. Velletr. V. Calend. Martii (1).

XIX. Ricus.

Calaritanam gubernabat Eccleſiam anno MCLXXXIII. (2). Multæ fuit ſagacitatis, ac prudentiæ in negotiis pertractandis, iccirco dignus habitus eſt, qui ab Innocentio III. Romano Pontifice ad multa diſſidia in Sardinia orta componenda eligeretur. Cum Archiepiſcopus Arborenſis a ſuis Canonicis, & a Willelmo Judice Calaritano bonis omnibus Eccleſiæ ſpoliatus, aliiſque injuriis affectus fuiſſet, Innocentius annum MCC. circiter Richo juſſit, ut cauſſa, quæ inter eos verſabatur, in examen vocata, ſi cognoviſſet veritati conſonum eſſe, quod citatus Arborenſis Præſul ad Apoſtolicam Sedem detulerat, cogeret, adhibitis quoque Eccleſiaſticis cenſuris, adverſarios ſuos ad reſtituendum, quidquid eidem injuſtè abſtulerant (3). Anno MCCV. declaratus eſt ab eodem Innocentio pacificator ad componendos Archiepiſcopum Turritanum, & Priorem Monachorum *de Nurchi* in Sardinia, qui inter ſe diffidebant, quod præfati Monachi renuebant ſolvere cenſum, quem Turritanus Præſul illos quotannis ſibi debere pro Eccleſiis S. Mariæ *de Chennor*, & S. Georgii *de Barache* contendebat (4).

Non multò poſt, Richus, neſcio cur, enixè Innocentium rogavit non ſemel, ut ſibi concederet facultatem Epiſcopali dignitati nuntium remittendi. Pontifex id ægro ferebat animo, iccirco prolixam ad eum ſcripſit Epiſtolam, in qua numeratis cauſſis, ob quas tantum Epiſcopatum renuntiare licet, pluribuſque adductis rationibus ad illi ſuadendum, ne dignitatem dimitteret, tandem hæc habet verba,

quæ

(1) Vix, ac ne vix quidem ambigo, ejuſmodi Epiſtolam ſcriptam fuiſſe anno MCLXXX. In hac enim memoratur Concilinm, quod quantum conjectura aſſequor, eſt Lateranenſe III. Poſt iſtius Concilii celebrationem Alexandrum ad Velitras extitiſſe anno ſupra indicato de menſe Februario, licet Pagius, & alii, qui ejus geſta poſterorum memoriæ mandarunt, nihil hac de re habeant, tamen negari nequit; etenim liquet hoc ex altera ejuſdem Alexandri Epiſtola pro Eccleſia Monopolitana, quam Ughell. *Tom. I. in Ep. Monopol. num. 7.* & Cocquelines *T. II. Novi Bullar. Romani num. CII. pag. 457.* ediderunt.

(2) Conſule Martene *loco laudic.*

(3) Vide *Epiſt. 329. Innocentii dat. Reate III. Idus Aug. l. 1. T. I. pag. 183. edit. Baluzianæ.*

(4) Confer Richi litteras apud Gattolam *T. I. Par. 1. Hiſt. Abbatiæ Caſſ. pag. 427.* Eaſdem ex Gattola edidit etiam Cl. Domin. Manſi *T. II. Supplem. ad Concilia Veneto-Labbeana col. 789.*

quæ non poſſumus, quin in medium afferamus, quoniam & ad rem præſentem ſunt, & aperte demonſtrant quantum diligentiæ, prudentiæque adbibuerit Richus in proprio Paſtoris munere fungendo. „ Illud quoque te debet fortius „ in miniſtrandi propoſito ſtabilire, „ quod cum hactenus in Eccleſia tibi „ commiſſa laudabiliter miniſtraveris, „ ſi (quod abſit) alius te cedente „ minus utilis aſſumeretur ad ipſam, „ profectò non parum ab illa quiete, „ quam appetis, turbareris, cum ubi „ bene tuum exercueris miniſterium, „ non abſque dolore cerneres inutilis „ Miniſtri defectum: fieretque, ut „ tantum in contemplationis arce tibi „ deperiiſſe agnoſceres, quantum Eccleſiæ, cui præſides, non ſine tua „ confuſione per te ſubtractum eſſe „ videres. Quia verò tam per te, „ quam per nuntios, & litteras tuas, „ jam nimis in poſtulando cedendi licentiam inſtitiſti; ecce tibi duximus relinquendum, ut diſtinctis tibi cauſſis, propter quas cedere oporteat, vel non cedere; ſi propter „ aliquam cauſſam utilem, & honeſtam in hujuſmodi propoſito perſeveres, de licentia noſtra cedas, quod „ tamen grave nobis pluribus eſſe noveris, & moleſtum: alioquin cedendi licentiam auctoritate Apoſtolica „ tibi ſcias eſſe penitus interdictam, „ quoniam etſi pennas habeas, quibus „ ſatagas in ſolitudinem avolare, ita „ tamen adſtrictæ ſunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeas abſque noſtra permiſſione volatum. „ Quod ſi denique tua voluntas te „ impulerit ad volandum; volumus, „ & mandamus, ut noſtras litteras in „ audientia tui Capituli facias recitari (1).

His acceptis litteris cum rem melius perpendiſſet, animum variaſſe videtur. Certe Epiſcopatum non dimiſiſſe ex eo patet, quod, ut opinantur Spondanus (2), atque Pithæi Fratres (3), Innocentius hanc Epiſtolam dedit Richo anno MCCVI., ipſe tamen Calaritanam adminiſtrabat Eccleſiam anno quoque MCCVII., ſi vera ſunt, quæ memoriæ mandavit cl. Papebrochius (4). Opinionem tamen, quam Innocentius mente, ac litteris quoque conceperat de Richo, abjicere cœpit, quippe eandem diligentiam, animique fortitudinem, ac antea hic non amplius adhibebat; enim vero circiter annum MCCVIII. conniventibus oculis contrabi permiſit inceſtuoſam copulam prius ab Innocentio vetitam inter Filiam Marchionis de Maſſa, & Hugonem de Buſſo, idcirco Pontifex acrem dedit Richo Epiſtolam, in qua eum reprehendit veluti ſuæ dilectionis immemorem, ingratumque carpit; & inſuper admonet, fore extemplo ab officio *Pontificali* ſuſpenſum, ut ajunt, niſi præfatum Marchionem, & Hugonem de Buſſo ad inceſtuoſam copulam diſſolvendam induceret; ac ſententias excommunicationis, & interdicti jam latas in Dominos, & Terram Gallurienſem, nec non in Lambertum Piſanum iterum ſolemniter innovaret (5).

Annus Richi emortualis a nobis

(1) *L. 1. Decret. Tit. 9. de Renunc. c. 10. apud Gonzalez Tom. I. pag. 414., & ſeq.*

(2) *Tom. I. Contin. Annal. Eccl. ad eum ann. num. 7.*

(3) *In Notis Chronologicis ad eandem Decretalium Epiſtolam.*

(4) *Tom. V. Maii in Actis Sanct. ad diem 20. cap. 11. num. 100.*

(5) V. *Epiſt.* 143. *T. II. l. 10. pag. 83. edit. Balut.* Quiſnam fuerit ille Calarit. Præſul, cui hæc Epiſt. data eſt ex eadem non liquet. Attamen reor fuiſſe Richum, & quia hoc tempore nullus

ignoratur, ideò certo aſſerere non audemus, an Calaritanus Antiſtes, cui Innocentius anno MCCXIII. litteras dedit, quibus ipſum cum ſuis ſuffraganeis (1) ad Concilium Lateranenſe IV. anno MCCXV. celebratum vocabat, fuerit Richus, an ejus ſucceſſor.

XX. N.

Ab Honorio III., qui in locum demortui Innocentii lectus erat, anno MCCXX. ad hanc gubernandam Eccleſiam translatum fuiſſe Epiſcopum Uſellenſem ſcribunt Vitalis, atque Vicus, uterque innixus ejuſdem Honorii Epiſtola. Vitalis indicat, ſe hujus nomen ignoraſſe; Vicus eum vocat *Petrum*, ac præterea ait, antelatum fuiſſe Epiſcopo Sutrino ante a Capitulo Calaritano ad hanc Cathedram ſelecto. Ego verò, ut fatear ipſe quod ſentio, nec Honorium Epiſcopum Uſellenſem, nec Canonicos antea Epiſcopum Sutrinum in Calaritanum Paſtorem elegiſſe velim. Sentio enim, nec forte mihi vana fides, Capitulum prius Antiſtitem Suellenſem in Sardinia deſignaſſe, & hujuſmodi deſignationem poſtea probaſſe Honorium. En ejus verba, ex quibus, niſi me fallo, opinio mea colligitur.

„ Etſi unanimiter vota veſtra concurrerint ad Ven. Fratrem noſtrum „ Suellenſem (2) Epiſcopum in Eccleſiæ veſtræ Archiepiſcopum eligendum, quum ſuæ alligatus Eccleſiæ „ liberum non habeat ſine noſtra permiſſione volatum, electionem de „ ipſo factam, tanquam contra Canones minus licite attentatam, de „ conſilio Fratrum noſtrorum duximus irritandam; cum eligi nullo jure potuerit, ſed potius poſtulari (3). „ Volentes tamen, quantum cum Deo „ poſſumus, deſideriis veſtris benigno „ favore occurrere, Dil. Filiis H. Subd., „ & R. Cappellanis noſtris Apoſtolicæ Sedis Legatis duximus injungendum, & ut vota veſtra circa ipſum „ exquirant, & perſonæ merita vice „ noſtra examinent diligenter, eundem ad nos cum litteris ſuis veritatem continentibus deſtinando, ut „ ſi idoneus repertus fuerit, diſponen-

„ te

lus alter Epiſcopus nobis occurrit, & quia ratio ætatis illius non repugnat; nam licet plures annos hanc Eccleſiam gubernaſſet, bienno ante non multum fuiſſe ſenem aſſerit ipſe Innoc. in litteris ad eum miſſis, quas *ex l. 1. Decret. ſupra citavimus*.

(1) Apud Hard. *Tom. VII. col. 7. & 8.*

(2) Epiſcopum a Canonicis Calarit. in proprium electum Pontificem *Suerinenſem* fuiſſe exiſtimat S. Raymundus apud Gonzalez *in not. in l. 1. Decret. tit. 5. cap. 6. Etſi unanimiter*: Præſulem *Sutrienſem* vocant Fratres Pithæi *lib. 1. Decret. &c. pag.* 15. *edit.* 1746. Epiſcopum *Sutrinum* Bernardus de Botono Parmenſis *in Gloſſ. ad lib. Decret.*, duæ Editiones ſcilicet Rom. anni 1605. Andreæ Alciati *pag. 77.*, & Lugdunenſis 1613. *col.* 1613., ex iis, quas vidi. Gonzalez *loco modo indic.*, eum fuiſſe Antiſtitem *Suellenſem* opinatur. In eandem opinionem ego quoque pedibus eo, non modo ob celeberrimi J. C. Doctoris auctoritatem, quæ non pauci facienda eſt, verum etiam, quod ex verbis Honorii III. appareat, Epiſcopum illum in Sardinia extitiſſe: *Dil. Filiis .... duximus injungendum, ut & vota veſtra circa ipſum exquirant, & perſonæ merita vice noſtra examinent diligenter, eundem ad nos cum litteris ſuis .... deſtinando*. Itaque Antiſtes citatus Canonicis Calarit., quibus Pontifex ſcribit propinquus erat. Accedit, quod veriſimile ſatis eſt, memoratos Canonicos in proprium Paſtorem renuntiaſſe Epiſcop. Suellenſem potius, quam Sutrinum; nam ille cognitus ipſis magis eſſe poterat, utpote vicinus, & Eccleſiæ Calaritanæ Suffraganeus.

(3) Hactenus quamplures Editiones præſertim antiquæ, quæ forſitan in cauſſa fuere, cur nonnulli crediderint, Canonicorum Calarit. electionem ratam non habuiſſe Honorium Pontificem. Pithæi FF., & Gonzalez integram Epiſt. exhibent.

Digitized by Google

„ te Domino, & ipſi, & Eccleſiæ veſtræ utiliter provideatur. „

Quid poſtmodum factum ſit, non exſtat litteris. At verò cum Honorius ſpondeat, ſe præficere illum Eccleſiæ Calaritanæ, dummodo reperiretur idoneus, quis proh ſuperum, atque hominum fidem non videt, ſatis probabile eſſe, imo fermè certum, ita accidiſſe? Nec enim veriſimile eſt, Canonicos cunctis ſuffragiis in proprium elegiſſe Paſtorem hominem meriti, doctrinæque expertem.

XXI. Leonardus.

Memoratur a Vitali, & Vico', quorum prior ait, hujus nomen legi in monumentis Eccleſiæ Calaritanæ (1). Uterque autem de Leonardo hæc tantum habet, nimirum fuiſſe Romanum, & hanc Cathedram conſcendiſſe anno MCCXXXIX.

Quod ad Leonardi Patriam attinet, nihil eſt, quamobrem præfatis Auctoribus obſtare arbitrer. Quod verò ſpectat ad ejuſdem electionis tempus, ipſos in ſummo errore verſari contendo. Exploratum enim mihi eſt, faltem ante biennium hujus Eccleſiæ regimen ſuſcepiſſe, ſiquidem anno MCCXXXVII. die 18. menſis Aprilis ille ſubſcribit Diplomati a cl. Muratorio publici juris facto (2), quo Petrus Judex Arborenſis faſſus eſt, *ſe habere, tenere, & poſſidere Regnum, ſive Judicatum Arboreæ ab Eccleſia Romana, & pro Eccleſia Romana.*

XXII. Dominicus I.

Patria Senenſis de Ordine Patrum Prædicatorum vir fuit ob morum candorem, Scriptnrarumque peritiam ſpectabilis, ac celebris verbi Dei Concionator. Monumenta, quæ aſſervantur in Tabulario Conventus Senarum ejuſdem Ordinis, tradunt (3), circiter annum MCCL. ab Innocentio IV. Calaritanum Præſulem electum fuiſſe.

Vicus, & Vitalis neque Dominicum, neque ſequentem inter hujus Eccleſiæ Antiſtites agnoſcunt.

XXIII. L.

Ad ſummam Pontificatus dignitatem aſſumpto Alexandro IV., ſtatim is ſuas curas, cogitationeſque contulit ad mores reformandos: cumque ſenſiſſet, in Sardinia quoque, & Corſica Fideles a Chriſtiana pietate deficere jam cœpiſſe, anno MCCLV. Legatum ſuum in eis Inſulis conſtituit Archiepiſcopum Calaritanum, qui omnes intenderet nervos, ut Eccleſiæ auctoritatem corroboraret, pravos mores deleret, priſtinumque pietatis florem reſtitueret. Iſtius Antiſtitis nomen nos latet. Tantum ſcimus, litteram, a qua initium capit ejus nomen, eſſe L, proindeque

(1) Hujuſmodi Calaritana monumenta; ex quibus Vitalis fatetur, ſe decerpſiſſe Epiſcopos uſque ad an. 1423., quammultis ſcatent erroribus, niſi eorum plures oſcitantiæ ipſius P. Vitalis adjudicare velimus. Principio enim non paucos omittunt Præſules, quorum aliunde certa habetur notitia. Errant etiam in annis conſecrationis Epiſcoporum, ut videbimus. Cum Tabularium Calaritanæ Eccleſiæ circa an. 1400. combuſtum ſit teſte Machino *l. 2. pag. 64.* ingens mihi ineſt dubitatio, ferè omnibus monumentis igne conſumptis, aliquem poſtmodum Epiſcoporum, qui ante præfatum annum vixerunt, ſeriem proprio arbitratu, & prout ſibi de iis occurrebat, confeciſſe.

(2) *Tom. VI. Antiquitatum Medii Ævi Diſſert. 71. col. 15.*

(3) Apud Fontanam *Theatro Domin. Par. 1. pag. 64.* Confer item Doctiſſimum Bremond. *Tom. I. Bull. O. P. pag. 156.*, & alios, quos ille laudat.

deque Epiſcopum hunc diverſum fuiſſe a Dominico, de quo modo diſſeruimus.

Occaſione ejuſmodi Legationis Alexander ſequentes Litteras dedit ad Sardiniæ, & Corſicæ Clerum (1). „ Ut
„ ipſæ partes eo magis in Dei, & Ec-
„ cleſiæ devotione proficiant, quo ſpe-
„ cialius per Sedem Apoſtolicam ve-
„ lut Matrem ſe viſitationis officio ſen-
„ ſerint çonſoveri; ecce Venerabilem
„ Fratrem noſtrum L. Archiepiſcopum
„ Calaritanum virum utique ſcientia
„ præditum, morum honeſtate deco-
„ rum, & conſilii maturitate præcla-
„ rum ad partes eaſdem, tamquam
„ pacis Angelum, commiſſo ſibi ple-
„ næ Legationis officio, ut evellat,
„ & deſtruat, diſſipet, & ædificet, &
„ plantet, ſicut viderit expedire; du-
„ ximus deſtinandum &c. Dat. Ana-
„ gniæ 2. Idus Aug. Anno I. „

Ex hac Epiſtola apparet, hallucinatum eſſe Cantelium ſcribentem (2), ne unum quidem Calaritanum Præſulem Pontificis Romani vices unquam geſſiſſe.

XXIV. Hugo II.

Hujus Pontificis nulla nobis occurrit notitia præterquam apud Ughellium (3), qui aſſerit anno MCCLXXVI. extremum diem morte confeciſſe.

Vincentius Maria Fontana (4) ſcribit, ex monumentis Conventus Piſani Fratrum Prædicatorum conſtare, *Raynerium Peccium* cognomento *Longum* ob vitæ ſanctitatem conſpicuum, cum in eodem Cœnobio Prioris munus gereret, circa annum MCCLXXVI. renuntiatum fuiſſe a Gregorio X. hujus Eccleſiæ Præſulem, at ejuſmodi dignitatem conſtantiſſimè recuſaſſe, quod ſatius duxerit humilem agendo vitam propriæ ſaluti conſulere, quam in Archiepiſcopali Sede conſtitutus de commiſſo ſibi grege æterno Judici rationem reddere. Hujus Hiſtoriæ fides ſit apud ſuum Auctorem.

XXV.

(1) Exſt. apud Raynal. *ad an. 1255. num. 17. Tom. II. pag. 526. edit. Manſ.* Omittere hic nolo Lectores commonefacere, ſatis probabile eſſe, quod Pontifex, ad quem ſcripſit Alexander IV. idem ſit, atque Leonardus, de quo nuper ſermonem inſtitui, quippe illius nomen a littera L initium ducit. Inquiet forſan aliquis, doctrinam hanc meam ne vero quidem ſimilem eſſe, quod inter unum, alterumque Archiepiſcopum medius ſit Dominicus Senenſis Ordinis Prædicatorum, quem Eccleſiam hanc regere cœpiſſe ſub ann. 1250. colligitur ex monumentis aſſervatis cum in Tabulario Conventus Sancti Dominici Senarum, ut paullo ante a nobis dictum eſt, tum ex monumentis, quæ Calari exſtant, teſte Iſidoro Ugurgerio *Pompe Saneſi Par. 1. pag. 105. edit. Piſtor. 1649.*, ita ſcribente „ Fiorì (*Dominicus*) cir-
„ ca gli anni del Signore 1250., come appariſce per relazione venuta da Cagliari a France-
„ ſco Pillotto nativo di quella Città, e data all' Autore (*nempe ipſimet Ugurgerio*), di cui
„ egli era Scolare nell' anno 1637. mentre leggeva Logica nell' Univerſità di Piſa. „ At quod ad monumenta Senenſia pertinet, vereor, ne ſint recentiora, quam extorquere a me hac in re queant aſſenſum. Equidem hujus Antiſtitis non meminere nec Opus Bernardi Guidonis, nec Chronicon Urbevetanum, quæ Mſs. in Conventu Sanctæ Mariæ *ſupra Minervam* aſſervata, ut legere poſſem, copiam mihi fecit P. Lector Badettus Dominicanus Juvenis ſumma humanitate, atque Eruditione præditus. Quod autem attinet ad monumenta Calaritana, timeo, ne ab aliquo impoſtore ea occaſione conficta fuerint. Si enim Eccleſiæ Calaritanæ Tabulæ de Dominico mentionem feciſſent, cur nec Vicus, nec Vitalis, qui iiſdem ſe uſum eſſe teſtificatur in ſuo conficiendo Catalogo, Dominici meminere?

(2) *Hiſt. Metropol. Urbium Diſſ. 6. Par. 3. cap. 7.*

(3) *Tom. III. Ital. Sac. in Archiep. Piſan. col. 443.*

(4) *Loc. indic.*

XXV. GALLUS.

Cum eſſet Canonicus Piſarum (nam ibi natus eſt loco nobili , & celebri Urbe , & copioſa , atque eruditiſſimis Hominibus , liberaliſſimiſque ſtudiis affluenti) electus eſt Archiepiſcopus opera Friderici Vicecomitis Antiſtitis Piſani. Cum enim poſt obitum Ugonis prudens Archiepiſcopus „ Capitulares „ Canonicos in eligendo Succeſſore „ diſcordes , & in ſingularia odia ſciſ„ ſos videret , ſua auctoritate , qua „ ſummopere apud omnes pollebat , „ ad unitatis , amoriſque ſtudium re„ vocavit ; effecitque ſua dexteritate , „ ut Gallus Civis , Piſanuſque Cano„ nicus unanimi conſenſu eligeretur in „ Præſulem , cujus eximiæ virtutis , ac „ ſapientiæ haud ignarus Joannes XXII· „ (leg. XX. , ſeu XXI.) ſuo Diploma„ te Canonicorum electionem robora„ vit , ſtatuitque Gallum Calaritanum „ Archiepiſcopum V. Cal. Decembr. „ Pontif. an. I. (ſcilicet MCCLXXVI.) „ ut in Regeſt. Vatic. ejuſdem Ponti„ ficis legimus Epiſt. 18. Fol. 7. (1).

Anno MCCLXXXI. ædificavit Eccleſiam Beatæ Barbaræ V. , & Martyri , ut ſit manifeſtum ex ſequenti Inſcriptione in montis Calaritani *Eremitorio* adinventa (2).

AD HONOREM DEI ET BEATE BARBARE
MARTIRIS. P̄SENS EC̄CIA EST CONSTRVCTA
SVB ANNO DN̄ICE INCARNATIONIS MCCLXXXI.
INDICCIONE VIII. DN̄O GALLO KLLAR. EC̄CLIE
PS̄VLI. RESIDENTE FG. FREGVANTINO. HMIGA.
PF̄ATVM LOCVM COHEREMITAS SVOS EODEM
TEMPORE GVBERNATORE

Gallus vitam cum morte commutavit anno MCCXC. judice Ughellio (3).

XXVI. PRINCIVALLIS.

Ex nobiliſſima Malatraverſorum Gente Patavii natus, an. MCCLXXXVII. Patriæ Antiſtes a Canonicis electus , conſecratus poſtea eſt a Patriarcha Aquilejenſi , ſed ſtatim collatæ ſibi dignitati in manibus Nicolai IV. nuncium remiſit , exacta tamen annua penſione. Elapſo triennio idem Pontifex eum conſtituit hujus Eccleſiæ Archiepiſcopum , cui anno MCCXCI. juſſit , ut celebrata Provinciali Synodo , per litteras ſignificaret , quid ipſe , & alii Epiſcopi ſibi Suffraganei ſentirent de Templariorum , & Hoſpitalariorum Ordinum conjunctione , quam facere mente complectebatur (4) . „ Cum fide di„ gnorum pandat aſſertio , quin po„ tius communis vox habeat , quod „ dilectos Filios Fratres Hoſpitalis „ S. Joannis , & militiæ Templi Jero„ ſolymitani ad unius Ordinis unita„ tem , ſeu religionis unionem auctori„ tate Apoſtolica reducamus , ut ſyn„ cerius , & uniformius in vinculo cha„ ritatis , & pacis tendentes ad unum, „ efficacius poſſint proſequi negotium.... „ ſuper quorum unione hactenus etiam „ tempore Lugdunenſis Concilii ſpe„ cialis

(1) Ugbellius *Opp.* , *& col. indic.*

(2) Hanc Inſcript. ex Bonfant. refert Papebroch. *in Act. S. Lucif. Tom. V. Maii pag.* 221.

(3) *Tom. V. in Epiſcop. Patavinis num.* 77. *pag.* 447.

(4) Exſt. apud Raynal. *ad an.* 1291. *num.* 30.

„ cialis mentio, & collatio facta fuit, „ volumus, & per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus cum Suffraganeis tuis in Provinciali Concilio, quod a te fieri volumus, prout „ tibi per alias noſtras litteras injungimus (1): habito ſuper hoc conſilio „ diligenti, & exacta cum illis deliberatione ſecuta, nobis quod per „ te, ac eoſdem ſuffraganeos deliberatum fuerit in hac parte, plene, „ fideliter, ſeriatim, & expreſsè per „ tuas litteras harum ſeriem continentes, tuoque ſigillo munitas procures quantocyus intimare. Dat. apud „ Urbem-Vet. XV. Cal. Septembris; „ an. IV. „ Hactenus Nicolaus.

Princivallum Concilium celebraſſe nullus dubito, quippè adeò cordi erat Pontifici, ut nihil ſit ultra, ante memoratam facere conjunctionem, quam ceu medium efficaciſſimum ei ſuaſerat B. Martyr Raymundus Lullus (2) ad reſiſtendum Saracenis, qui in Syria ab his ferme tota occupata in ſummas anguſtias Catholicos adduxerant (3). Verum de hujuſmodi celebratione nihil apud Eccleſiaſticos Hiſtoricos invenire licuit. Mortuus eſt Princivallis anno MCCXCV. (4).

Quod de tempore electionis Princivalli in Archiepiſcopum Calaritanum dixi, videntur rejicere Scriptores nonnulli Dominicani (5), quorum ſententia eſt, ad annum uſque MCCXCI., hanc Eccleſiam adminiſtraſſe *Blaſium* quendam, qui anno indicato dimiſſa Archiepiſcopali dignitate habitum Sancti Dominici induit. Ego verò Archiepiſcopum hunc commentitium exiſtimo; nam Ughellius (6) Vaticanis monumentis fretus eſſerit, ante Princivallum vixiſſe Gallum, cujus ſupra memini, de Blaſio ne verbum quidem habet: ſatiſque veriſimile eſſe credo, quod ſuſpicatur Cavalerius (7), nempe *Blaſium* memoratum Præſulem fuiſſe Calagurritanum in Hiſpania, non Calaritanum in Sardinia.

XXVII. JACOBUS II. DE ABBATE.

Jacobum, qui primum Canonicus erat, poſt obitum Princivallis renuntiatum eſſe Calaritanum Antiſtitem tradit Ughellius (8). Anno MCCC., quemadmodum opinatur Papebrochius (9), in Eccleſia Sancti Saturnini repoſuit Arca incluſa Corpora Sanctarum Virginum, ac Martyrum Dorotheæ, Theodoſiæ, & Eugeniæ.

Vitalis, atque Vicus cum nullum alium referant Epiſcopum uſque ad annum MCCCXXII., videntur indicare non niſi circa hoc tempus vita deceſſiſſe Jacobum. Quod ſi verum eſt, hic cenſendus eſt ille, cui Clemens V. annis MCCCVIII., & MCCCX. 2. Idus Auguſti, & 2. Nonas Aprilis litteras miſit, quibus ad Concilium Viennenſe una cum Epiſcopo Dolienſi eo tempore ſibi ſuffraganeo vocabatur (10).

XXVIII.

(1) Nullum Eccleſiaſticum ſcriptorem legere mihi licuit, qui has litteras exhibeat.
(2) Confer Bovillum *in ejus vita c. 4.*, quam ediderunt Bolland. *T. V. Junii ad diem 30.*
(3) V. Raynald. *ad an. 1290. et 1291. n. 1.*
(4) Adeſis Ughel. *loco paullo ante laud.*
(5) Fernandez, Taegius apud Fontanam *loco non ita pridem cit.* quibus ipſe adſtipulatur.
(6) *Ibidem.*
(7) *Galleria de' Sommi Pontefici &c. dell'Ordine de' Pred. T. II. pag. 163.*
(8) *Loco cit.*
(9) *In Actis Lucif. Calarit. aliàs cit.*
(10) Confer Acta *apud Hard. T. VII. col. 1331.*, *& alibi.*

XXVIII. GUNDISALUUS.

XXIX. PETRUS II.

De duobus his Pontificibus exſtat memoria apud Vitalem, & Vicum, ſed verbis pauciſſimis; nam præter nomen, & annum electionis, cætera deſiderantur. Primus itaque juxta utrumque auctorem electus eſt in Archiepiſcopum anno MCCCXXII.; Secundus, per Vitalem anno MCCCL., per Vicum biennio poſt.

XXX. JOANNES I.

Per hæc tempora Joannem hanc conſcendiſſe Cathedram, adeo certum eſt, ut nulla alia hiſtoria teſtatior eſſe queat. At verò ubinam gentium, & ex quo genere ortus ſit, me penitus latet. Tantum ſcio, anno MCCCLIV. diem clauſiſſe ſupremum (1).

Apud Andream Dandulum (2) eſt quædam Epiſtola Joanni Delphino Venetiarum Duci, aliiſque nobilibus viris data de adventu Alexandri III. illuc, deque victoria navali a Venetis adverſus Friderici Imperatoris Filium, parta. Hujus Epiſtolæ auctor dicitur „ Frater Jacobus de Urbe Dei gratia „ Epiſcopus Calaritanus locum tenens „ in Urbe, ejuſque Suburbiis, & di„ ſtrictu Reverendi in Chriſto Patris, „ & Domini Domini Pontii eadem gra„ tia Epiſcopi Urbevetani Domini Pa„ pæ in ſpiritualibus Vicarii Generalis. Verumtamen tantum abeſt, ut memoratum Jacobum in Antiſtitibus Calaritanis numerem, ut potius ab his rejiciendum eſſe contendam. Principio namque unum eſt, illudque graviſſimum, quod impedit, quominus genuinam judicem hanc Epiſtolam (3). Sed fac, eſſe genuinam, aſſero, in eam errorem irrepſiſſe ſaltem quod ad nomen attinet Epiſcopatus Jacobi. Nihil temere dico. Marinus enim Sanutus (4) memoratum Jacobum Antiſtitem non Calaritanum, ſed *Capeneum* appellat. Quamquam ne hujuſmodi quidem lectio vera eſt, cum dici debeat Epiſcopus *Capritanus*, ſeu *Caprenſis* in Provincia Principatus citerioris. Idque ex eo patet, quod quidam Jacobus Capritanus Pontifex erat Vicarius Urbis anno MCCCL., obiitque ſub Urbano V. anno circiter MCCCLXIII. (5).

XXXI. JOANNES II. ARAGONIUS.

Electus eſt in Archiepiſcopum Calaritanum ab Innocentio VI. Summo Pontifice anno MCCCLIV. 2. idus Februarii (6). Dum adhuc vitam agebat privatam inter Fratres Minores, in qui-

N bus

(1) *V. Conſt. Innoc. VI. mox citandam.*

(2) *Chroni. Veneto Par. 31. col.* 304. apud Murat. *T. XII. S. R. Ital.*

(3) Ne ſinceram eſſe credam hujuſmodi Epiſtolam, maximo mihi eſt argumento, quod referatur in Chron. Andreæ Danduli. Ex hoc enim, niſi multum me amo, prudenter colligitur, ab aliquo impoſtore ſub Jacobi nomine fuiſſe confictam, & citato Chronico intextam. Certe quidem Dandulus in ſuum opus hanc inferre nequibat; nam Epiſtola data eſt anno 1359. die decima ſeptima Junii, Dandulus vero quinque ante annos, nimirum anno 1354. die ſeptima Septembris extremum diem morte confecerat, uti liquet ex ſequentibus duobus carminibus illius Epitaphii: *Septima dumque dies Septembris, mille trecentis*
Quatuar, ac decies jam quinque dediſſet, abivit.
Referuntur a Marino Sanuto *in Dand. Vita col.* 628. apud Murat. *T. XXII. de Script. Rerum Ital.*

(4) Apud Murat. *in Vita Delphini Ducis Venet. col.* 644.

(5) Confer Ughell. *T. VII. in Ep. Caprit. n. 7. col.* 258.

(6) Confer Conſtit. 20. ejuſdem Pontif. apud Wading. *in Regeſ. Pontif. T. VIII. pag.* 445. *Ed. Rom.* Ex hoc liquet, errare Vitalem, qui *Joan.* biennio ante Antiſtitem creatum fuiſſe memoriæ prodidit.

bus ab ineunte ætate numeratus fuerat, de Principibus, præſertim de Beatrice Luſitaniæ Regina Alphonſi Conjuge, ac etiam de Eccleſia optimè meritus evaſit ob munera, quæ ille feliciter obivit. Antiquam amicitiæ neceſſitudinem renovavit Luſitanos inter, & Petrum Aragoniæ Regem, ad quem eam ob cauſſam Beatrix Regina eum legaverat. Miſſo a Gerardo Oddone Ordinis Fratrum Minorum iis temporibus Miniſtro Generali in Boſniam, aſſiduis colloquiis, & diſputationibus hæreticos profligavit, ac plures ad fidem convertit, ad quam probandam coram magno Eterodoxorum concurſu, rogum ingreſſus, in eo aliquandiu illæſus permanſit, quo miraculo adſtantium non pauci ſe in bonam frugem receperunt, atque ita brevi omnis Principatus multa pietate floruit.

Tempore, quo Joannes noſter Calaritanam moderabatur Eccleſiam, valde liberalem erga Monaſterium Franciſcanorum Barchinonenſe ſe oſtendit, nam, ut monumentis prodidit Franciſcus Gonzaga (1) ex illis unus is fuit, qui *hujuſmodi Monaſterium ampliandum, atque ſumptuoſis ædificiis locupletandum curarunt*.

Agunt de Joanne Wadingus (2), qui ejus Annales ad compendium contulit Haroldus (3), nec non Arturus eum inter Beatos recenſens (4), qui tamen duo peccat; unum, quod videtur ſentire in Boſnia obiiſſe; alterum quod reticet, Epiſcopali dignitate inſignitum fuiſſe.

XXXII. BERNARDUS I.

Ab Sede Turritana tranſiit ad Calaritanam 6. Idus Auguſti an. MCCCLXIX. Id conſtat ex Epiſtolis Urbani V., ſi qua Wadingo (5) fides. Iſtius meminere etiam Vitalis, ac Vicus, ſed variant multa de anno, quo hujus Eccleſiæ Præſul conſtitutus eſt; etenim Vitalis ſcribit, electum fuiſſe anno MCCCLXXXVI., Vicus autem anno MCCCCIX., quo nihil eſt a veritate magis alienum.

XXXIII. DIDACUS.

Vicus, apud quem tantum Didaci nomen legere mihi licuit, hunc vocat natione Aragonium, & electum dicit anno MCCCLXXXVI.

XXXIV. ANTONIUS I.

Anno MCCCCIX. Calaritanam regebat Eccleſiam, uti conſtat ex monumentis a Machino (6) relatis. In his ſeipſum appellat, neſcio quo jure, Sardiniæ, & Corſicæ Primatem, eſtque omnium primus, quorum habeatur notitia, qui, obſervante clariſ. Papebrochio (7), hanc dignitatem ſibi tribuerit. Vivebat Antonius anno quoque MCCCCXII., quo litteras ſcripſit pro Joſrido de Blanes Dominicano Sancti Vincentii Ferrerii Diſcipulo, quarum meminit Pater Diago (8).

XXXV. PETRUS III. SPINULA.

Ortus eſt Genuæ ſummo genere. Inter Monachos Sancti Benedicti copta-

(1) *Hiſtoria Seraf. Relig. Par. 3. Provin. Cathalonia Conv. 2.*
(2) *Tom. VII. Annal. Ord. Min. ad an. 1338. num. 20., & ad an. 1340. num. 10.*
(3) *Tom. I. ad an. 1340. num. 2., & alibi.*
(4) *In Martyrol. Franciſc. ad diem 5. Octobris.*
(5) *Tom. VIII. Annal. Min. ad an. 1369. num. 20.*
(6) *In Defenſ. Primat. A. C. c. 8. pag. 62.*
(7) *In Actis Lucif. A. Cal. cap. 11. num. 105.*
(8) *Hiſt. Prov. Arag. l. 2. cap. 30. Fol. 138. edit. 1599.*

optatus, primo Epiſcopus Savonenſis, tum Uſellenſis, deinde anno circiter MCCCCXVIII. electus eſt Præſul Calaritanus a Benedicto XIII. Antipapa. Ejus electionem ratam poſtea habuit Martinus V. legitimus Pontifex anno ſui Pontificatus primo 13. Cal. Maii (1).

XXXVI. JOANNES III. FABRI.

Antequam ad Epiſcopalem dignitatem aſſumptus eſſet, Religioſus erat Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, non vero Ordinis Camaldulenſium, ut per errorem ſcribit Vicus. *F. Joannes Fabri Ordinis Carmelitarum Baccalaureus in Theologia electus eſt Archiepiſcopus Calaritanus in Inſula Sardiniæ, 6. Idus Maii anno MCCCCXXIII.* Ita legitur in libro *Proviſionum* Eugenii IV. (2).

Hanc gubernavit Eccleſiam decem, & ſeptem annos, poſtea eam dimiſit, & Archiepiſcopus *titularis* Cæſareæ in Palæſtina inſtitutus eſt. In Aula Palatii Archiepiſcopalis Calaritani exſtat ejus imago cum hac Inſcriptione:

DOMINUS FRATER JOANNES FABRI CARMELITANUS SECUNDUS HUJUS NOMINIS CREATUS ARCHIEPISCOPUS CALARITANUS A MARTINO V., QUI ECCLESIÆ CALARITANÆ SUELLI SEDEM UNIVIT, SUPPLICANTE D. ELEONORA COMITISSA DE QUIRI (3).

XXXVII. JOANNES MATTHÆUS JOFRIDUS.

Ex Decano hujus Eccleſiæ creatus eſt ejuſdem Antiſtes poſt reſignationem Joannis Fabri, ſcilicet quarto Calendas Februarii anno MCCCCXLIV. ſicuti ex libro *Proviſionum* Epiſcoporum ſub Eugenio IV. paullo ante indicato ſit manifeſtum.

XXXVIII. FRANCISCUS I.

Eccleſiam Segovienſem in Hiſpania prius adminiſtraverat, quam accederet ad Calaritanam anno MCCCCLXI., Summo Pontifice Pio II. Ita Vicus, & Vitalis teſtantur.

XXXIX. LUDOVICUS.

Iidem ipſi Vicus, & Vitalis tradunt, hunc Archiepiſcopum inſtitutum fuiſſe a Paulo II. anno MCCCCLXVII. Antea inter Canonicos Eccleſiæ Jacenſis in Aragonia relatus fuerat. De Ludovico mentionem facit etiam Machinus, qui nonnullas laudat (4) Epiſtolas ab eodem anno MCCCCLXVIII. ſcriptas.

XL. ANTONIUS II. BARAGUES.

Fuit natione Hiſpanus, profeſſione Dominicanus. A Paulo II. anno circiter MCCCCLXXI. concreditum eſt Antonio regimen populi Calaritani. Hoc geſſit ſumma cum laude annos ſeptem, quibus tranſactis, animam efflavit, judicibus Bremondio (5), atque Fontana (6).

XLI. GABRIEL.

Anno MCCCCLXXXI. Sixtus IV.

(1) Confer Ughell. *T. IV. in Epiſcop. Savonenſ. col.* 740. Itemque Diploma Martini V, *Apoſtolatus Officium*: apud Wad. *in Reg. Pontif. pag.* 291. *T. X.*

(2) Apud P. Danielem a Virg. Maria *T. II. Speculi Carmel. pag* 935.

(3) V. Danielem *ibidem*. Perperam in cit. Inſcrip. *Joannes* dicitur *ſecundus*, cum ante ipſum alii duo Præſules ejuſdem nominis fuerint.

(4) *Opp. alias indic. pag.* 63.

(5) *T. III. Bullarii O. P. pag.* 477.

(6) *Theat. Dom. pag.* 63. Vicus, & Vitalis *Antonium* prætereunt, ejuſque loco referunt *Ludovicum*, qui a Sixto IV. R. P. anno 1481., ex Archiepiſcopo Nicoſienſi eorum ſententia electus

Calaritanæ Eccleſiæ præfecit Gabrielem, qui, uti tradit non ſemel laudatus Pater Salvator Vitalis, antea fuerat Abbas Monaſterii Beatiſſimæ Virginis Mariæ *de Verola*, quod poſitum dicitur in Diœceſi *Tiraſonenſi*, ſeu *Turiaſonenſi*, quæ Civitas eſt Regni Aragoniæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cæſarauguſtano.

XLII. PETRUS IV. PILARES.

Natione Hiſpanus ex Provincia Aragoniæ. Anno MCCCCLXXXIII. Cathedram Calaritanam conſcendit, cum antea aliquandiu Dolienſem moderatus eſſet Diœceſim. Memoria digna, quæ de Petro nobis innoteſcunt, ſunt, poſt annos quatuor a Paſtorali ſuſcepto munere Eccleſiam ſuburbanam Sancti Saturnini reſtauraſſe, dummodo nequaquam nos fallat P. Seraphinus Eſquirrus Capuccinus (1). Hujus Pontificis meminere Scriptores Dominicani (2), ſed fuiſſe Calaritanum penitus ſilent. Id tamen animadvertunt Vicus, & Vitalis, quorum uterque narrat, unum, eundemque eſſe, ac Petrum Pilares, qui antea præerat Eccleſiæ Dolienſi.

Hæc ſi vera ſunt, exſtat hoc loco quæſtio ſubdificilis, an ſcilicet Petrus noſter priuſquam Epiſcopus inaugураretur, Ordini Sancti Dominici nomen dederit, nec ne. Bremondius, & alii ejus ſodales, quos laudat (3), opinantur, ſolemnia vota in Prædicatorum Religione Deo nuncupaſſe. Contra Vitalis, ac Vicus utpote nihil hac de re habentes oppoſitum ſenſiſſe indicant. Ego in eam potius propendo opinionem, ut credam, Petrum in nullum Religioſorum cœtum lectum fuiſſe. Non ſentio hoc temere. Hic quoddam Inſtrumentum actum anno MDVII. die 21. Aprilis, & a Machino memoratum (4) his verbis inchoat: *Don Petrus Pilares Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Calaritanus*. Porrò ſi umquam Dominicanus fuiſſet, ſemet *Fratrem* quoque appellaſſet, quo titulo per ea tempora utebantur omnes *Regulares*, licet Epiſcopali dignitate inſigniti.

Anno MDXIII., annuente Leone X. Romano Pontifice, renuntiavit alteri officium annuæ penſionis onere.

XLIII. JOANNES IV. PILARES.

Conſanguinitate propinquus erat Petro laudato. Eccleſiam Sulcitanam ad-

eſt Præſul Calaritanus, poſteaque ad aliam tranſiit Sedem, quam Vitalis haud nominat, Vicus autem *Avenionenſem* fuiſſe ſcribit. Næ Pontificatus Sixti IV. initio Ludovicum Podochararium Nicoſienſem Antiſtitem electum oſtendit Michael Lequienius *Tom. III. Orientis Chriſt. in Archiep. Nicoſ. col.* 1214., ubi narrat etiam anno 1483. acceſſiſſe ad Eccleſiam Caputaquenſem, & anno 1500. in Sacrum Cardinalium Collegium relatum fuiſſe, ſed Calaritanam Eccleſiam aliquando gubernaſſe, nec idem ipſe Lequienus, nec Ughell. *Tom. VII. Ital. Sac. col.* 474., nec Oldoinus *Tom. III. Hiſt. Pontif. & Card. col.* 197. *edit.* 1677., qui plura de noſtro Ludovico loquuntur, memoriæ mandarunt. Itaque vereor, ne Vicus, atque Vitalis proprio arbitratu in Præſulibus Calaritanis *Ludovicum* numerarint, licet Vitalis ſcribat, hæc omnia ex *Cancellaria Apoſtolica* conſtare. Suo item ingenio Vicus litteris conſignavit, Ludovicum ad Eccleſiam Avenionenſem tranſlatum fuiſſe; enim verò ab ann. 1476. ad an. 1503. Avenionenſis Præſul fuit Julianus Roboreus ad Pontif. dignitatem poſtea aſſumptus nomine Julii II.. Confer *Galliam Chriſt. T. I. col.* 829., *& ſeq. edit. Nova*.

(1) *In Sanctuario Calarit.* apud Papebroch. *in Actis S. Lucif. cap.* 8.

(2) Apud Bremond *T. III. Bull. O. P. pag.* 645.

(4) *Ibidem*.

(4) *Opp. non ſemel cit. pag.* 64.

adminiſtrans (quæ iis temporibus *Ecclesienſis* vocabatur, quippe in Civitatem Villæ Eccleſiæ Sedes translata jam fuerat, ut alibi diſputabo) creatus eſt Calaritanus Præſul ob ceſſionem, quam ei fecerat Petrus. Is poſtremus fuit, teſte Vico, qui Diœceſim Sulcitanam gubernavit diviſim; nam anno MDXIII., quo Calaritanam Eccleſiam Joannes moderari cœpit, eidem unita quoque eſt Sedes Sulcienſis, ſeu Eccleſienſis.

XLIV. HIERONYMUS A VILLA-NOVA.

Per mortem Joannis electus eſt Præſul Hieronymus. Vicus, & Vitalis, quibus hujus Antiſtitis cognitionem acceptam refero, hoc unum narrant, creatum nempe fuiſſe anno MDXXI., præterea nihil.

XLV. DOMINICUS II. PASTORELLUS.

Lucas Wadingus agens de Franciſcanis, qui anno MDXXVIII. Epiſcopi inaugurati ſunt, poſt Petrum Rodulphium (1), ſcribit (2), quod creatus eſt Præſul Eccleſiæ *Algarienſis in Sardinia ſub Archiepiſcopo Turritano F. Dominicus Paſtorellus Sacræ Theologiæ Doctor . . . . . die 27. Januarii*. Deinde ne verbum quidem habet de illo. Verum poſtea quam nonnullis annis rexit Algarienſem Eccleſiam, Calaritanum Pontificem renuntiatum fuiſſe, tametſi Wadingum latuerit, adeo certum eſt, ut vix in quæſtionem venire queat (3). Hanc dignitatem obtinuit anno MDXXXV. (4).

De loco, in quo ortus eſt, variant auctores. Vicus eum dicit patria Majoricenſem; Bonaventura Theulius (5) Balneoregienſem. Illud compertum habeo, Balneoregii obiiſſe de menſe Octobri anno MDXLVII., & in Eccleſia Patrum Franciſcanorum Conventualium quieſcere. Hæc ad ejus ſepulcrum legitur Inſcriptio (6).

DOMINICI PAST. DEI, APOST. SEDIS, MAJESTATISQUE CÆSAR. GRAT. ARCH. CALLER. COMMISSI SIBI GREGIS PASTORIS VIGILANTISS. POPULI TUTELÆ, PAUPER. SALUTIS, VITÆ INTEGRITATE, CONSILIO, ELOQUENTIAQ. POLLENTIS, OMNI DENIQUE VIRTUTUM GENERE DOTATI CORPUS HIC NON SINE TOTIUS CIVIT. LUCTU, AC DOLORE OBIIT MENSE OCTOBRI MDXLVII.
OCTAVIANUS PASTORELLUS MÆSTISS. POSUIT.
O. M. C.

XLVI. BALTHASSAR DE EREDIA.

In Actis Concilii Tridentini (7) Sardus, a Bremondio (8) Hiſpanus dicitur. Vixit in Ordine S. Dominici, ac vir fuit *Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis* (9) præditus. Poſt adminiſtratas Eccleſias *Cirinenſem* in Inſula Cypri, & *Boſ-*

(1) *L. 2. Hiſt. Seraph. Religionis Fol. 234.*
(2) *T. XVI. Annal. Min. ad eum ann. num. 20. pag. 261. edit. Secundæ.*
(3) Id conſtat ex quadam illius ætatis Inſcriptione, quam refert Vicus *T. II. Hiſt. Sard. Par. 6. c. 61. Fol.* 100., & etiam ex monumento ejus ſepulcri.
(4) Confer Vicum, ac Vitalem.
(5) *Appar. Minor. della Provin. di Roma l. 3. c. 2.*
(6) Refertur a Theulio *ibidem*.
(7) Apud Hard. *T. X. col. 26., & 47.* In Actis ejuſdem Synodi; quæ exſtant *T. VIII. Vet. Monum. Martenii col. 1136.* dicitur Hiſpanus.
(8) *Tom. IV. Bull. pag. 676.*
(9) Verba ſunt Pauli III. apud Bremond. *ibidem*.

& *Boſanenſem* in Sardinia creatus eſt Archiepiſcopus Calaritanus. De anno electionis tot ferè ſunt ſententiæ, quot ſunt Scriptores, qui de eo egerunt. Bremondius (1) opinatur, renuntiatum fuiſſe circa annum MDLVI. Echardus (2) ſaltem ante annum MDLI. Vitalis anno MDXLVIII. Ego ex tribus allatis opinionibus poſtremam veriſimiliorem cenſeo; nam poſt Dominici obitum nullus alter occurrit Calaritanus Præſul, nec probabile eſt, Eccleſiam hanc tot annos fuiſſe ſine proprio Paſtore.

Tempore quo Boſanenſem Diœceſim moderabatur, interfuit Concilio Tridentino ab anno MDXLVI. ad annum MDXLVII.; poſtrema enim Seſſio, cui ſubſcripſit, fuit octava celebrata hoc anno die undecima Martii (3). Poſtea videtur a Concilio diſceſſiſſe, nec ex ejuſdem Actis colligitur remeaſſe unquam; unde miror, quid fuerit, quod cl. Echardus (4) memoriæ mandarit, Balthaſſarrem noſtrum Archiepiſcopum Calaritanum inter Patres Tridentinos ſediſſe anno MDLI.

Inter res ab ipſomet præclarè geſtas hanc memorat Fontana (5), nempe ob ſummam, qua flagrabat, religionem erga Sanctum Thomam Aquinatem, cujus Doctrinam ita ſectatus eſt, ut ne latum quidem unguem ab eadem unquam abſceſſerit, ex Eccleſiæ ſuæ redditibus coacervatis, ſolemnitatem ejuſdem Sancti Doctoris inſtituit a Capitulo Eccleſiæ Cathedralis quotannis celebrandam in Templo Fratrum Prædicatorum, facta publica Canonicorum, ac totius Capituli Proceſſione. Echardus (6) Fontanam ſecutus mortem Balthaſſaris, quæ ut ipſe ait, evenit Romæ, rejicit in annum MDLX., ſed in errore verſatur, nam reipſa naturæ ſatisfecit bienno ante, vel ſaltem hoc tempore Eccleſiam Calaritanam dimiſit.

XLVII. ANTONIUS III. PARRAGES.

Balthaſſarem excepit Antonius Parrages de Caſtillejo Hiſpanus. Ex actis Synodi Tridentini (7) liquet, aſſumptum fuiſſe ad Archiepiſcopatum anno MDLVIII. die quarta Novembris. Super aſſumptionis tempore eadem eſt Ferdinandi Ughellii opinio, qui poſteaquam dixit, Antonium factum fuiſſe Antiſtitem Tergeſtinum anno MDXLIX., ſubdit: *præfuit annos novem, translatuſque eſt ad Archiepiſcopatum Calaritanum in Sardinia anno MDLVIII.* (8).

Memini, me apud clariſ. Sacchinum (9) legiſſe cujuſdam Epiſtolæ ſpecimen ab eodem Antonio anno MDLXII. Romam ad Jacobum Lainium Societatis Jeſu Præpoſitum Generalem miſſæ de tot abuſibus, qui in ſua Diœceſi reperiebantur, eo conſilio, ut Lainius Romano Pontificio Pio hujus nominis IV. ſignificaret.

Cum in Concilio memorato, cui uſque ad finem Antonius interfuit, ſtatutum fuerit, ab Epiſcopis hortandos eſſe populos ad accedendum ad propriam Parœciam *ſaltem diebus Dominicis*,

(1) *Tom. V. Bullar. pag.* 54.
(2) *Tom. II. Script. O. P. pag.* 24. *in Ind. Epiſcop.*
(3) Confer *Acta Concilii col.* 26., & 62.
(4) *Loco paullo ante laud.*
(5) *Theat. Domin. pag.* 64.
(6) *Loco cit.*
(7) *Tom. X. col.* 490.
(8) *Tom. V. in Epiſcop. Tergeſt. col.* 582.
(9) *Lib. 6. Hiſtor. Societatis Jeſu pag.* 229. *edit.* 1620.

Digitized by Google

nicis, *& majoribus Feſtis* (1), is in Sardiniam reverſus populum ſuum ad id exequendum non tantum monuit, verum etiam ſub anathematis pœna coegit. Neſcio, utrum tam ſevere ſe geſſerit motus ab inconſulto zelo compellendi proprios ſubditos executioni eorum etiam, ad quæ Synodus Tridentina hortata tantummodo erat, aut quod exiſtimaverit non licere Chriſtianis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium in aliis, quam Parochialibus Eccleſiis audire, nec peccata aliis, quam Parocho ſuo confiteri, quemadmodum olim propugnarunt infenſiſſimus Religioſorum hoſtis Gulielmus a Sancto Amore, & Joannes Poliacius, circa finem verò ſæculi decimi ſexti nonnulli Parochi Oppidi Duacenſis in Diœceſi Atrebatenſi, ob id jure, atque merito a Clemente VIII. damnati (2). Hoc unum mihi compertum eſt, ſignificata re Pio IV. Romano Pontifici, illum, qui ei a Secretis erat, his verbis Epiſtolam ad Antonium miſiſſe an. MDLXV. die 22. Junii (3).

„ R̃me Dñe. Ad aures SSm̃i Domini Noſtri pervenit, populum iſtum ab Amplitudine tua Reverenda anathematis pœna propoſita cogi Dominicis, & majoris Feſtis diebus frequentare ſuas Parochias, quod ejus Sanctitati durius videtur, quam præſcriptum ſit a Sacro Concilio, quod præſcribit de ea re populum moneri tantum debere. Nec fugit Amplitudinem tuam, quam ſobriè, quantaque circumſpectione ex ejuſdem Concilii Tridentini præcepto excommunicationis gladium exerere oporteat. Itaque Suæ Sanctitatis juſſu Amplitudinem tuam hortor, anathematis pœnam tali in re amovere, & tollere curet, quæ cum iſtis hominibus omne cohortationis, & admonitionis genus, ut Parochias frequentent, vehementius adhibuerit, ejuſdem etiam prudentiæ, ac pietatis erit iſtud anathematis remedium, quod intempeſtivè adhibitum magis perniciem affert, quam ſalutem, quemadmodum etiam a Sacro Concilio ſapientiſſimè præſcriptum eſt, nonniſi ex gravi cauſſa adhibere: cui ſalutem, & incolumitatem precor „. Dubitari non poteſt, quin Antonius Romano Pontifici morem geſſerit. Probabile quoque exiſtimo, de illo, quod antea male ſentiebat, ſi tamen reipſa ſentiebat, ante mortem opinionem variaſſe ſuam: atque id ex eo colligo, quod ab anno circiter MDLXX. Theologo uſus ille ſit Patre Magiſtro Joanne Melis Calaritano Minorita celebri (4).

Idem ipſe Antonius cum ex Urbe Tri-

(1) *Seſſ.* 22. *cap.* 9. apud Hard. *Tom. X. col.* 130.

(2) Conſule Dom. Berninum *Tom. IV. Iſtoria di tutte l'Ereſie ſec.* 16. *c.* 13. *pag.* 573. *edit. Rom.* 1709. Idem ipſe Auctor *pag.* 575. ex Franciſco Bonaſpè Carmelita exhibet Clementis Decretum dat. anno 1592. die 22. Decembris: incipit *ſignificatum fuit nobis*.

(3) Extat in Chartaceo quodam Codice poſt medium ſæc. decimum ſextum exarato, quem penes ſe habet eruditiſſimus Sbaralea. Codex hic præter compendium totius fermè Doctrinæ a Sacroſancto Concilio Tridentino definitæ continet nonnullas declarationes, ut ajunt, Sacræ Congregationis præfati Concilii, ac Epiſtolas non paucas, cum nomine Pontificis, tum Cardinalium eamdem Congregationem conſtituentium, variis Epiſcopis datas. Ex his, quæ ad rem meam faciunt, edentur in hoc opere, cæteræ alia occaſione.

(4) In Regeſtis Reverendiſs. P. Magiſtri Petri Antonii Camilli Patria Nucerini Franciſcanorum Miniſtri Generalis Romæ in Ordinis Tabulario apud SS. Apoſtolos aſſervatis, hæc leguntur: *Roma die* 22. *Octobris.* 1570. *All' Arciveſcovo di Cagliari* (reſponſum fuit) *che finita la* Cam-

Tridentina in Sardiniæ Inſulam navigaſſet, moleſtiam quoque inferre cœpit nonnullis Canonicis, prout compertum habeo tum ex Epiſtola, quam in Eccleſiæ Galtellinenſis Hiſtoria recitabo, tum ex ſequenti ad eundem ann. MDLXV. die 18. Aprilis ſcripta (1).

„ Reverendiſſime Domine. Exhibitus eſt Illuſtriſſimis Cardinalibus „ Congregationis Sacri Concilii nomine Joannis Ferrerii Clerici Caleritani ſupplex libellus, velle Amplitudinem tuam Reverendam ei Canonicatum cum præbenda, quem iſtic obtinet adimere ob eam cauſſam, quod intra annum non ſit promotus ad Sacros Ordines: Ex Decreto Concilii Tridentini, qui tantummodo decem, & octo annis, quemadmodum de eo relatum eſt, natus ſit, neque per Decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 23. cap. 12. ante vigeſimum ſecundum annum Sacris initiari poſſit, non videtur eſſe cogendus, ut niſi Sacros Ordines ſuſceperit, Canonicatu privetur, de quo Pontificias Litteras expedivit. Itaque ſi res ita eſt, mandat tibi Sua Sanctitas, ut conſervata iſti Joanni poſſeſſione ſui Canonicatus eum prius non cogas ad Sacros Ordines promoveri, quam ad annos perveniat huic rei a Sacro Concilio præfinitos: cul incolumitatem, & ſalutem precor. „

Anno MDLXXII. die 24. Januarii Sanctiſſimus Pius V. litteras dedit (2) Archieniſcopo Calaritano, quibus ei præcipiebat, ut compelleret quaſcunque Perſonas, cujuſcunque ſtatus, & conditionis illæ eſſent, ad reſtituenda Capitulo Arborenſi ſingula ab ipſis ablata, quæ ad Hieronymum Archiepiſcopum Arboreæ Calari defunctum prius ſpectabant. An hæ litteræ reipſa Antonio ſcriptæ fuerint, mihi certò non conſtat, quippe non liquet, an per hæc tempora ſuperſtes amplius exſtiterit. Opinor tamen ſaltem probabiliter, non alteri, quam illi miſſas fuiſſe, qui his acceptis, eodem anno, & forſitan paullo poſt vitam cum morte commutaverit.

XLVIII. ANGELUS.

Italus Natione, Patria Patavinus, Inſtituto Auguſtinianus. Vir celebris ob ſummam doctrinam ſactus plures non modo apud ſuos ſodales, ſed etiam apud exteros, honores obtinuit: anno MDLXIII. ab Ordinis ſui Generali Seripando Viro clariſſimo miſſus eſt in Hiſpanias, ut *Regentis* officium in Conventu Valentino exerceret; poſtea Joannes III. Luſitaniæ Rex eum *Univerſitatis* Conimbricenſis Lectorem inſtituit; fuit quoque Provinciæ Aragoniæ Vicarius Generalis, aliaque geſſit munia, de quibus fuſe agunt Herrera (3), atque Torellus (4). Electum quoque fuiſſe in Archiepiſcopum Calaritanum narrant citati Auctores (5), quorum tamen poſterior ſcribit, ſibi compertum eſſe, anno MDLXXIII. e vita

Commiſſaria (ejuſmodi munus in tota Sardinia exercebat) *gli ſi concederà Maeſtro Giovanni Melis per Teologo.*

(1) Exſtat in illo Codice, cujus nuper meminimus.

(2) Has exhibet Joan. Dexart. *l. 2. Capitulorum Sardiniæ Tit. 1. c. 1. pag. 336.*

(3) *Tom. I. Alphabeti Auguſt. Fol. 46.*

(4) *Tom. VIII. ſæc. Auguſt. ad an. 1563. num. 22. pag. 448.*

(5) Herrera *pag. 62.* Torellus *ad eum ann. n. 5. pag. 576.* „ Se poi prendeſſe il poſſeſſo, *inquit*, „ oppure terminaſſe la vita prima di paſſare al medeſimo Regno (*in Sardiniam*), non è certo; ſolo è noto, che ceſsò di vivere in queſt'anno (*ſcilicet MDLXXIII.*)

vita migraſſe, in poſſeſſionem ſuæ Eccleſiæ veniſſe non item.

XLIX. Franciscus II. Perez.

In Catalaunia Regni Aragonis Principatu ortum habuit Franciſcus. Fuit, Vico judice, vitæ ſanctitate inſignis, celebris verbi Dei Concionator; unde non ſolum inter Canonicos Tarraconenſes numerari, verum etiam aſſumi ad regimen Eccleſiæ Calaritanæ meruit. Accidit id verò anno MDLXXIII., ut Vicus laudatus, nec non Vitalis memoriæ prodiderunt.

L. Gaspar Novella.

In prædefuncti Franciſci locum ſuffectus eſt anno MDLXXVIII. cum antea Ampurienſem adminiſtraſſet Eccleſiam (1). Compertum habeo, biennio poſt anno ſcilicet MDLXXX. Idibus Januarii facultatem conceſſiſſe Joanni Franciſco Faræ Saſſaritano publicæ luci donandi Hiſtoriam *de rebus Sardois*, deinde nulla iſtius Antiſtitis occurrit notitia.

LI. Franciscus III. de Valle.

Hujus Præſulis meminere Vitalis, ac Vicus, quibus auctoribus Calaritanis infulis decoratus eſt anno MDLXXXIX., mortuo Gaſpare. Dimas Serpi tradit (2), ſe ſuadente, Franciſcum in animo habuiſſe Eccleſiam S. Georgii Epiſcopi Suellenſis ſitam in ea Urbis parte, quæ *Stampax* vocatur, jam a pluribus annis dirutam iterum ædificare, atque ob id nonnullos ab eodem miſſos fuiſſe Canonicos, & alios viros, qui locum recognoſcerent, ubi præfata Eccleſia poſita erat, ſed morte præventus, quæ in votis ſibi erant, exequi minime potuit.

LII. Ildephonsus Lassus Sedenus.

E vivis ſublato Franciſco inauguratus eſt Archiepiſcopus Ildephonſus anno MDXCVII. Fuit natione Hiſpanus, Archipresbyter loci *de Macueda* Toletanæ Diœceſis, Magiſter in Sacra Theologia, verbi Dei Concionator, & antequam ad hanc accederet Eccleſiam, decem annos Sedem occupaverat Cajetanam (3).

Clemens hujus nominis Octavus Romanus Pontifex poſtremo ſæculi decimi ſexti anno miſit in Sardiniam Patres Clementem Neapolitanum Monachum Sancti Benedicti, atque Antonium Marzer Ordinis Minorum *de Obſervantia* ad viſitanda, & corrigenda ſingula illius Inſulæ Cœnobia. Impoſitum ſibi onus illi obeuntes nonnulla condiderunt decreta, ut res facilius ſibi ex voto cederent, quæ cum ad Clementem ſupra memoratum detuliſſent, hic anno MDC. ſcripſit ad Ildephonſum noſtrum ei præcipiens, ut præfatorum decretorum apud omnes omnino *Regulares* Sardiniæ executionem curaret. Epiſtolam Ildephonſo datam hic recitabo, ſiquidem ex ipſa quanti a Clemente habitus ille fuerit apertè liquet. Eſt verò hujuſmodi.

„ Clemens Papa VIII.

„ Venerabili Fratri Archiepiſcopo „ Calaritano ſalutem, & Apoſtolicam „ benedictionem. Ex injuncto nobis „ Apoſtolicæ ſervitutis debito cunctorum Eccleſiaſticorum, & præſertim „ Regularium reformationi ſolicitis ſtudiis intendentes ea, quæ propterea „ juſſu noſtro ordinata ſunt, debite, ut „ par eſt, executioni demandanda eſſe „ cenſemus, proinde cum C q. Clemens de Neapoli Ordinis Sancti Be- O „ ne-

(1) Confer Vicum, & Vitalem.
(2) *Chron. SS. Sardiniæ in Vita ejuſdem Sancti.*
(3) Adiſis Ughellium *Tom. I. in Epiſcop. Cajetan. num. 60. col. 545.*

„ nedicti, & Dilectus Filius Antonius
„ Marzer Ordinis Minorum de Obſer-
„ vantia Profeſſi Viſitatores Apoſtoli-
„ ci ad viſitanda, & reformanda Mo-
„ naſteria, & loca Regularia Regni
„ Sardiniæ a nobis nuper deſtinati
„ nonnulla decreta reformationi Mo-
„ naſteriorum, & Regularium loco-
„ rum hujuſmodi convenientia edide-
„ rint, & ad nos retulerint, Noſque
„ illa in Congregatione Viſitationis
„ noſtræ Apoſtolicæ examinari feceri-
„ mus, nunc volentes decreta, & or-
„ dinationes hujuſmodi debitæ execu-
„ tioni, ut par eſt, quam primum de-
„ mandari, de tuæ Fraternitatis fide,
„ prudentia, integritate, ac Religionis
„ zelo plurimum in Domino confiſi
„ eidem Fraternitati tuæ per præſen-
„ tes committimus, & mandamus, ut
„ decreta, & ordinationes hujuſmodi,
„ quæ ad te una cum præſentibus no-
„ ſtris litteris tranſmittimus, in ſin-
„ gulis Monaſteriis, & locis Regulari-
„ bus tam Virorum, quam Mulierum
„ cujuſcunque Ordinis in iſto Regno
„ Sardiniæ exiſtentibus, prout ad quod-
„ cunque illorum pertinet, debitæ exe-
„ cutioni demandari cures, & facias,
„ & ad hunc effectum Superiores Mo-
„ naſteriorum, & locorum Regula-
„ rium hujuſmodi ad te accerſiri fa-
„ cias, & ad cuicumque ipſorum ad
„ illius Conventum, & ſubditos reſ-
„ pectivè pertinentia, quorum exem-
„ plar authenticum illi conſignabis, in-
„ timare, eique ſub cenſuris, & pœ-
„ nis Eccleſiaſticis tibi viſis præcipe-
„ re, ut intra tempus in eiſdem de-
„ cretis præfixum illa exequatur, &
„ ubi terminus aliquis præfixus non
„ fuerit, terminum aliquem arbitrio
„ tuo etiam cum ſimilibus cenſuris, &
„ pœnis Eccleſiaſticis præfigere per
„ Acta alicujus publici Notarii eadem
„ auctoritate noſtra procures, ac ter-
„ minis hujuſmodi elapſis contra In-
„ obedientes, & Contumaces ad pro-
„ mulgationem, & declarationem in-
„ curſus pœnarum, & cenſurarum Ec-
„ cleſiaſticarum, illarumque executio-
„ nem procedas; Superioribus omni-
„ bus, & ſingulis etiam cum poteſta-
„ te citandi, & inhibendi quos, & qui-
„ bus opus fuerit, etiam per edictum
„ publicum, ac ſub cenſuris, & pœ-
„ nis Fccleſiaſticis, nec non una, vel
„ plures cum ſimili, vel limitata po-
„ teſtate ſubdelegandi, aliaque in
„ præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu
„ quomodolibet opportuna faciendi,
„ gerendi, & exequendi plenam, li-
„ beram, & amplam facultatem, &
„ auctoritatem concedimus, & impar-
„ timur: non obſtantibus quibuſvis
„ Conſtitutionibus, & Ordinationibus
„ Apoſtolicis etiam quorumcumque
„ Ordinum Monaſteriorum, & Regu-
„ larium locorum etiam juramento,
„ confirmatione Apoſtolica, vel qua-
„ vis firmitate alia roboratis, ſtatutis,
„ & conſuetudinibus, privilegiis quo-
„ que, indultis, & litteris Apoſtolicis, il-
„ lis, eorumque Superioribus, & Per-
„ ſonis in contrarium præmiſſorum
„ quomodolibet confirmatis, & appro-
„ batis: quibus omnibus, & ſingulis
„ eorum tenore præſentium pro ex-
„ preſſis habentes hac vice dumtaxat
„ ſpecialiter, & expreſsè derogamus,
„ cæteriſque contrariis quibuſcumque.
„ Volumus autem, ut præſentium tran-
„ ſumptis etiam impreſſis manu alicu-
„ jus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo tuo,
„ aut alterius Perſonæ in dignitate
„ Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis ea-
„ dem prorſus fides habeatur, quæ ip-
„ ſis præſentibus haberetur. Tu au-
„ tem de omnibus per te geſtis nos
„ certiores facere curabis. Dat. Ro-
„ mæ

„ mæ apud Sanctum Petrum ſub anno „ nulo Piſcatoris die octava Novem- „ bris MDC. Pontificatus noſtri Anno „ Nono (1) „.

Quæ pro Diœceſi Calaritana geſſit, ignota mihi ſunt. Quantum verò conjectura aſſequor, perfecit, quæ Franciſcus per obitum patrare nequiverat. Verum enim verò Dimas Serpi nuper citatus fatetur, Ildephonſum ſpopondiſſe Sancti Georgii Templum iterum conſtruere, & nunc reſtauratum Calari conſpicitur. Narrat Vicus, ab Archiepiſcopatu Calaritano translatum fuiſſe ad Eccleſiam Majoricenſem; atque id factum credimus anno circiter MDCIV.

LIII. Franciscus IV. Esquivel.

Hiſpanus, renuntiatus eſt Archiepiſcopus anno MDCV., ut præter duos Auctores non ſemel citatos Vicum nempe, & Vitalem ſcriptum reliquit Daniel Papebrochius (2). Plura is præſtitit, quæ nomen ſuum æternitati conſignarunt; atque ut mittam, quæ magnis ſumptibus patravit ad decorum Sanctorum ſua ætate Calari adinventorum, ornatum, de quibus fuſe differunt cum Machinus, tum maxime Eſquirrus (3); annum circiter MDCXXII. Seminarium pro Adoleſcentibus Clericis conſtruxit, quod ex parte redditibus etiam locupletavit, atque Doctiſſimæ, Sanctiſſimæque Societati Jeſu gubernandum commiſit (4).

Ob Epiſtolam de Sanctis Martyribus, quorum Corpora refoſſa ſunt Calari initio ſæculi decimi ſeptimi, ad Paulùm V. Romanum Pontificem miſſam, numeratus eſt a Nicolao Antonio (5) inter Scriptores Hiſpanos.

Poſt Franciſci obitum, qui anno circiter MDCXXVI. accidit, ſcribit Vicus, in hanc Sedem ſuffectum fuiſſe Laurentium Nictum eo tempore Archiepiſcopum Arborenſem, ſed accepto hujuſmodi nuntio, dum ſe præparabat ad aggrediendum iter Calarim verſus, mortem occubiſſe. Hac de re ſilet omnino P. Vitalis, qui patria erat Calaritanus, & eodem tempore, quo iſtud dicitur accidiſſe, vivebat; videat igitur Vicus, ne fucum faciat Lectoribus, utpote qui minus vere, ſed ex vulgi tantum rumore hoc factum retulerit.

LIV. Ambrosius Machinus.

Civitas *Algherienſis* in Sardinia poſita fuit illi patria. Ab ineunte ætate nomen dedit Ordini Redemptionis Captivorum, & domui Calaritanæ ſe aggregavit. In inclyto eo Ordine adeo profecit, ut ſumma apud ſuos ſibi comparata fama, omnes ejuſdem dignitates jure, arque meriro ſit conſequutus. Primum enim renuntiatus eſt Prior Barchinonenſis, deinde Magiſter Provincialis Aragoniæ, poſtremò totius ſui Ordinis Generalis Magiſter. Hujuſmodi munere paucos annos geſto, creatus eſt anno MDCXXI. Epiſcopus propriæ patriæ, & quinquennio poſt Archiepiſcopus Calaritanus (6). Anno MDCXXXIX. conſenſit, ſub quibuſdam tamen conditionibus, Antoniam Melim Turem Viduam, ac Nobilem fœminam Calaritanam conſtruere Mona-

(1) Hujus Epiſtolæ apographum exſtat in noſtro totius Ordinis Tabulario apud Sanctos Apoſtolos, ex quo eamdem exſcripſi.

(2) *Tom. VII. Maii in Append. ad diem 17. pag. 796.*

(3) *In Sanctuario Calaritano lib. 5. & ultimo.*

(4) Vid. Cordara *Hiſt. S. J. l. 7. par. 6. pag. 384.*

(5) *Tom. I. Biblioth. Hiſpan.* ad v. *Franciſcus Eſquivel.*

(6) Adi-ſis Antonium Bernal *Catal. Magiſt. General. ſui Ord. præfix. Bull. pag. 29.*

ſterium pro Monialibus Ordinis Prædicatorum ſub invocatione Sanctarum Thereſiæ, & Catharinæ Senenſis (1).

Magna Doctrina præditus fuit, cujus nonnulla poſteris reliquit monumenta laudata a Nicolao Antonio (2): ſunt verò *Comment. in* 1. *partem Divi Thomæ*; *de Divinis auxiliis*; *Defenſio Sanctitatis B. Luciferi Calaritani*; item *Defenſio* (hæc omittuntur a Nicolao) *Primatus Archiep. Calarit.*, *& ejuſdem Primitialis Eccleſiæ*; *Reſolucion en defenſa de la Juriſdicion de las tres Ordenes Militares de S. Jaga*, *Calatrava*, *y Alcantara*. Maraccius (3) addit: *Sermonem unum de Conceptione Immaculata B. Virginis pro voto*, *& Juramento Civitatis Calaritanæ in honorem ejuſdem Immaculatæ Conceptionis*. Mortuus eſt Ambroſius anno MDCXL., quemadmodum tradit Antonius Bernal (4).

LV. BERNARDINUS DE LA CAPRA.

In locum defuncti Ambroſii ſubrogatus eſt Bernardinus natione Hiſpanus. Accidit id verò, quemadmodum ex Actis Conſiſtorialibus apparet die 13. Januarii anno MDCXLII. Invictus extitit juris Eccleſiaſtici defenſor. Ad bonum regimen gregis ſibi concrediti plures in lucem emiſit Conſtitutiones.

LVI. PETRUS V. VICUS.

Creatus eſt Archiepiſcopus Calaritanus anno MDCLVII. die 27. Auguſti. Antea rexerat Eccleſiam Arborenſem, veluti in ejuſdem Hiſtoria narrabo.

LVII. DIDACUS II. FERNANDEZ.

Natione Hiſpanus ex Oppidulo, quod *Angulum* appellant. Inter Fratres Minores *de Obſervantia* cooptatus, an. MDCLXXVI. die 19. Octob. electus eſt in hujus Eccleſiæ Paſtorem. Vices quoque geſſit in tota Sardinia Caroli II. Hiſpaniarum Regis. Petrus Antonius Venetus Hiſtoricus alioquin ſemiſſis teſtatur (5), tranſiiſſe poſtmodum ad Sedem Abulenſem ſub Archiepiſcopo Compoſtellano.

LVIII. ANTONIUS IV. DE VERGARA.

Seu *de Bergara* in Hiſpania natus eſt. Ex Dominicana Familia anno MDCLXXX. die undecima Martii (6) aſſumptus fuit ad Archiepiſcopatum Turritanum: an. verò MDCLXXXIII. die 13. Novembris acceſſit ad hanc moderandam Eccleſiam.

Memoria teneo, eruditiſſimum Echardum (7) inter Ordinis Prædicatorum Scriptores referre Antonium quemdam *de Vergara*, ſive *de Bergara*, Hiſpanum natione, a quo anno MDCLXXVI. in lucem emiſſa fuit *Oratio funebris ab eo dicta in exequiis Reverendiſſimi P. F. Joannis Martinez O. P. Catholicorum Regum Philippi IV.*, *& Caroli II. Confeſſarii*, *in Æde SS. Roſarii Matritenſi*, *menſe Januario ineunte MDCLXXVI. celebratis*. Hunc non eſſe ab Antonio noſtro diverſum, cum vi-

(1) Lege *Conſtitut. Urbani VIII. Tom. VI. Bullar. O. P. pag.* 104., *& ſeq.*
(2) *Tom. II. Biblioth. Hiſpanicæ Par. 2. pag. 357.*
(3) *Par. 1. Biblioth. Mariana pag. 66.*
(4) *Loco nuper indic.*
(5) *Giardino Seraſico Storico Par. 3. pag.* 548.
(6) Apparet hoc ex Actis Conſiſtorialibus; unde emendandus eſt Bremondius, qui Antonium renuntiatum dicit Pontificem Turritanum triennio poſt *Tom. VI. Bull. O. P. pag.* 388.
(7) *Tom. II. pag. 664.*

Digitized by Google

videam, nomen, agnomen, ætatem, nationem, ac inſtitutum habere communia, opinor. Utinam rem ita ſe habere indicaſſent Echardus, ac Bremondius ipſi, qui utpote in Dominicana Hiſtoria verſatiſſimi ſua auctoritate mentem meam ab omni ſuſpicione liberaſſent. Translatus deinde eſt Antonius ad Sedem Zamorenſem ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, eodem Bremondio judice.

LIX. Ludovicus II. Diax.

Gallus ex Urbe Auxitana. Nobilitate clarus, morum ſuavitate amabilis, virtutis ſtudioſus, Conventus Cæſarauguſtani Ordinis B. M. V. *de Mercede* alumnus, ac Provincialis Aragoniæ, anno MDCLXXXI. die 1. Septembris renuntiatus eſt Epiſcopus Algarenſis. Nondum integro tranſacto luſtro die decima octava Martii Algarenſem Sedem cum Calaritana commutavit, in qua *bono virtutum odore relicto remeavit ad ſuperos, & in Cathedrali Eccleſia ſepelitur*, inquit Archiepiſcopus Tarraconenſis Joſephus Linas (1).

LX. Franciscus de Sobrecasas.

Cæſarauguſta Aragoniæ Civitas natale ſolum illi fuit. Sacrum Prædicatorum inſtitutum amplexatus vir evaſit doctus. pariter, atque pius; unde & in ſupremo Sancti Officii Tribunali Cenſor, ſeu, ut ajunt, Qualificator declaratus eſt, & Carolus II. Hiſpaniarum Rex eum ſibi delegit ad Sacramentales Confeſſiones audiendas, a quo etiam nominatus fuit Alexan. VIII. Summo Pontifici ad Calaritanam Eccleſiam. Quamobrem Archiepiſcopus creatus eſt anno MDCLXXXIX. die 12. Decembris quadraginta quatuor annos circiter natus. Agit de Franciſco clariſ. Echardus (2).

LXI. Bernardus II. de Carinena.

Natione Hiſpanus Beatæ Mariæ Virginis *de Mercede* Redemptionis Captivorum alumnus poſt præcipua ſuæ ſocietatis munera geſta regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit anno MDCXCIX. die 5. Octobris annum agens XLIV. circiter.

In votis habens cultum, fideliumque religionem erga Beatiſſimam Virginem in dies magis augeri per publicum Diploma datum die 15. Oct. MDCCXXI. Magiſtratui Civitatis, & Capitulo Eccleſiæ Cathedralis tradidit *duos cenſus unitim conſtituentes ſummam in ſorte ſcutorum* 4200. *ſub his oneribus*, ut e vita functa Laurentia Fratris ſui Filia quotannis in perpetuum die 24. Septembris Feſtum B. M. Virginis *de Mercede* in Eccleſia Cathedrali celebrarent, Virginique pauperi ſolverent dotem *in ſummam librarum* 25. Liquet hoc mihi ex *Reſolutionibus* Congregationis Sacroſancti Concilii Tridentini (3).

LXII. Joannes Josephus Paulus Constantinus Falletti.

Ortus eſt Taurini die 20. Maii anno MDCLXXV. ex nobiliſſima Stirpe Marchionum Baruli, & Caſtaneoli. Munus Vicarii Generalis Epiſcopi Albenſis, & in pluribus Diœceſibus Viſitatoris geſſit. Anno tandem MDCCXXVI. die 16. Decembris renuntiatus eſt Archiepiſcopus Calaritanus.

Ad Sardiniam appulſus, propriamque

(1) *Bull. O. Mercenariorum pag.* 411.
(2) *Tom. II. Script. O. P. pag.* 743. *edit.* 1721.
(3) *Tom. VIII. pag.* 130. *edit. Prima.*

que Diœceſim ſalutatus cum ingentem ibidem numerum Clericorum conjugatorum exſtare deprehendiſſet, *quorum plerique in Clericalis Ordinis dedecus artes viles exercebant, & quandoque enormia perpetrabant facinora, ex quo conſequebatur, fere ſemper ab Archiepiſcopo pro tuenda eorum exemptione, ſuique fori jure propugnando, contendendum eſſe cum poteſtate ſæculari*: cumque intellexiſſet, ad hæc non levia mala cohibenda optimum eſſe conferre eodem die, eidemque Perſonæ Minores Ordines, & Subdiaconatum, hanc ſibi fieri facultatem a Sacroſancti Concilii Tridentini Congregatione petiit; quæ tamen alia ratione abuſus eſſe extirpandos reſpondit, conſilium ſequens Sapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV., qui cum per ea tempora ejuſdem Congregationis a Secretis eſſet, opportuna elaborata Diſſertatione Epiſcopi precibus abnui debere concluſerat (1).

LXIII. JULIUS CÆSAR GANDOLFI.

In Caſtello *Ricaldone* vocato In Diœceſi Aquenſi Montis Ferrati ſito, cui nobiliſſima Gandolfa gens dominatur, venit in lucem an. MDCCXI. die 29. Septembris. Cum eſſet Taurini Gubernator Regii Collegii Provinciarum Calaritanis Inſulis ornatus eſt die prima Aprilis anno MDCCXLVIII. Gregem ſibi commiſſum vigilanter ad pietatem adhuc erudit.

ECCLESIA DOLIENSIS.

DOlienſis in Sardinia Oppidi nemo natus veterum Geographorum meminit, recentium verò, quod ſciam, unus tantum (ſi tamen recens dici poteſt Auctor, qui ſæculo æræ vulgaris decimo ſexto vitam explevit) nempe Volaterranus (2), ſed verbis pauciſſimis. Franciſcus Vicus narrat (3), quod olim vocatum fuit *Bona Dolia*, *Bona Volla*, aut *Mona Bolla*; quibus ex monumentis id hauſerit, ut eſt fere ſemper in more apud ipſum poſitum, reticet: nunc locus, in quo Civitas ſita erat, cujus vix ruinæ ſuperſtites exiſtunt, appellatur *Sanctus Pantaleo*, quod huic Martyri Sacra fuerit Eccleſia Cathedralis, eumque tota Diœceſis ceu principem Patronum venerata ſit, quemadmodum ex antiquo Diplomate fit manifeſtum (4). Si qua Vico laudato fides, illius Capitulum duodecim conſtabat Canonicis, in quibus unus erat, qui dignitate decorabatur, ſcilicet Decanus.

De Dolienſi Epiſcopatu mentionem faciunt Cencius, ſeu Cinthius Camerarius in Libro Cenſuum Eccleſiæ Romanæ, ex quo patet etiam, anno MCXCII., quo is confectus fuit, Epiſcopum hunc *Cameræ Apoſtolicæ* quotannis ſolviſſe 11. *libras argenti* (5): veteres *notitiæ* Eccleſiaſticæ, quas alibi exhibui (6), ac *Provinciale Romanum* (7). Unitum nunc eſſe Sedi Calari-

(1) Confer *Synodum Diœceſanam ejuſdem Pontif. lib. 12. cap. 3. pag. 440. edit. 1755.*
(2) *Lib. 6. Geograph. col. 189. edit. Lugd. 1552.*
(3) *Hiſt. Gener. Sard. Tom. II. par. 6. cap. 47.*
(4) Apud Mart. *Tom. I. Veter. Monum. col. 630.*
(5) Hunc edidit clariſ. Murat. *T. V. Antiq. Medii Ævi Di. 69.* De Sardis Eccleſiis agit *col. 895.*
(6) *In Diſſert. prævia cap. 4. pag. 55.*
(7) Apud Labbeum *Brev. Geographiæ Epiſcopalis cap. 2. col. 9.*

Digitized by Google

laritanæ ſcribunt eruditiſſimus Martene (1), ac Vitalis, quorum poſtremus tradit (2) præterea, hanc unitatem factam fuiſſe ſæculi decimi ſexti initio, permiſſione obtenta a Julio Secundo Pontifice Maximo.

EPISCOPI DOLIENSES.

I. VIGILIUS.

Is primus eſt Dolienſis Præſul, cujus ad noſtram memoriam certa monumenta manſerunt. Anno MLXXXIX. 2. Kalendas Julias ſubſcripſit *chartæ* fundationis Monaſterii Sanctorum Georgii, & Geneſii factæ in Sardinia ab Arzone Rege, & Conſtantino ejus Filio (3). Vigilii hujus mentio fit etiam in *Inſtrumento* Hugonis Archiepiſcopi Calaritani, acto anno MXC. die 22. Aprilis (4).

II. BENEDICTUS.

Ex Monacho Cœnobii Sancti Victoris Maſſilienſis Ordinis Sancti Benedicti Eccleſiæ Dolienſis factus Epiſcopus anno ab Incarnatione Domini MCXII. 6. Nonas Maii Indic. V. obtulit, donavit, atque conceſſit publico Diplomate (5) Cœnobio, quod ſupra memoravi, Ottoni Abbati, cunctiſque ejus Monachis, *Eccleſiam Sanctæ Genitricis, & Virginis Mariæ de Archo cum omnibus ſcilicet pertinentiis, tam in ſervis, quam in ancillis, vineis, hortis, paſcuis, cultis rebus, vel incultis &c.*

III. RODULPHUS.

Anno MCLXIII. una cum aliis Epiſcopis ſubſcripſit chartæ continentis concordiam, quæ facta eſt inter Bonitum Archiepiſcopum Calaritanum, & Monachos Caſſinenſes (6).

IV. GUANTINUS PITIOLO.

Auctor eſt Franciſcus Vicus (7), ex antiquis conſtare monumentis, Guantinum Pitiolo hanc gubernaſſe Eccleſiam anno MCCXXXIX.

V. N.

Dolienſis hic Præſul, cujus nomen me latet, inter cæteros Sardiniæ Antiſtites recenſetur, qui anno MCCLXIII. Concilium Nationale Bonarcadæ in eadem Inſula celebrarunt, dummodo commentitia non ſint illius Acta, de quibus alibi diſputabo (8).

VI. N.

Alter occurrit hujus Eccleſiæ Antiſtes Anonymus, qui an. MCCCVIII. ſimul cum Archiepiſcopo Calaritano vocatus eſt ad Concilium Generale Viennæ in Gallia anno MCCCXI. celebratum (9).

VII. ORLANDUS.

Ex Ordine Sancti Dominici Suanæ (10) in Tuſcia natus circa annum MCCCXVII. Epiſcopus renuntiatus eſt.

Opti-

(1) *Opp. cit. col. 629. in Not.* (2) *Appar. ad Ann. Sard. col. 30.*
(3) Exſt. apud Martene *opp. indic. col. 524., & T. VI. An. Bened. in Addend. & Corrig. pag. 616.*
(4) Apud Mart. *Opere cit. col. 630.* (5) Apud eundem *col. 629.*
(6) V. *quæ dixi in Archiep. Calarit. num. XVIII.*
(7) *Tom. II. Hiſtoria General. Sard. Par. 4. cap. 35.*
(8) Conſule *Hiſt. Archiepiſc. Turrit. num. 16. in Notis.*
(9) Confer *Epiſt. Pontif. Clem. V.* apud Hard. *H. Concil. T. VII. col. 1331.*
(10) Ita quidem ſcribit Fontana *Theat. Domin. pag. 187.*, ſed Bremondius *T. II. Bullar. O. P. pag. 208.* eum vocat Savonenſem.

Optimis moribus claruit, ac apprimè verſatus fuit in Theologia, nec non in Philoſophia, quam Senis docuiſſe narrat P. Iſidorus Ugurgerius (1). Mortuus eſt anno MCCCXX., ut Conventus Piſani Dominicanorum monumenta teſtantur (2).

VIII. SALADINUS.

Quo anno regimen hujus Eccleſiæ ſuſceperit, non liquet. Ex Innocentio IV. Summo Pontifice (3) hoc unum conſtat, morti occubuiſſe an. MCCCLV.

IX. JOANNES I. DE BARDAXINO.

Succeſſit Saladino anno indicato 7. Kal. Novembris aſſumptus ex Ordine Minorum. Electus hic fuit in Epiſcopum a Canonicis Cathedralis, cui electioni neſcius, Pontificem ſibi reſervaſſe facultatem deſignandi Dolienſes Præſules, prius obtenta a Miniſtro Generali Ordinis Minorum licentia, aſſenſum præbuit. At verò admonitus, *Capitulum* poteſtate ſibi proprium eligendi Paſtorem privatum fuiſſe, Romam confeſtim venit, curavitque, ut hujuſmodi factum in Conſiſtorio coram Pontifice proponeretur. Is primò electionem irritam, nullamque decrevit, ſed poſtea optans proprium Antiſtitem huic Eccleſiæ concedere, ratam eandem habuit (4).

Uſque ad an. MCCCXCI. in Epiſcopatu vitam duxiſſe puto, etenim ſequens Præſul, teſte Wadingo (5) Sedem Dolienſem occupavit per obitum cujuſdam Joannis, quem fuiſſe Joannem *de Bardaxino* ſatis probabile eſt.

X. SECUNDUS DE MORIS.

Inſtituti pariter Franciſcani inauguratus eſt Epiſcopus anno MCCCXCI. Nonis Novembris (6).

XI. JACOBUS.

Secundum excepit Jacobus, ſed quo anno me latet. Exploratæ fidei eſt, diem extremum morte confeciſſe anno MCCCXCVII. (7).

XIII. NICOLAUS DE BONIFATIO.

Nicolaus Sacræ Theologiæ Profeſſor, quem Fontana inter Epiſcopos Ordinis Prædicatorum non recenſet, ſuffectus fuit in locum *Secundi* defuncti, anno, quem ſupra indicavi, die 28. Novembris (8).

XIII. JOANNES II.

Erat Dolienſis Epiſcopus anno MCCCCIII. Per id enim temporis Benedictus XIII. Joanni, & Franciſco Ximenio Franciſcano, Doctrina, Dignitate, & Sanctitate conſpicuo commiſit, ut expeditionem in Turcas Regnum Valentinum infeſtantes promoverent (9).

XIV. GAUFREDUS SIGARLA.

Antequam Epiſcopalem dignitatem obtinuit nomen dederat Ordini Patrum Fran-

(1) *In Pompis Senenſ. Tit.* 7.
(2) Illorum meminit Fontana *ibidem*:
(3) V. illius Conſtitut. *inter cætera* apud Wad. in Reg. Pontif. *T. VIII. pag.* 465. *edit. Rom.*
(4) Confer Conſtitut. *cit.*
(5) *Tom. IX. Annal. Min. ad an.* 1391. *num.* 3. *edit. Rom.*
(6) V. *Wading. ibidem.*
(7) Ex Conſtitut. Bonif. IX. *Apoſtolatus Officium* T. II, Bull. O. P. pag. 367.
(8) Conſule *eandem Conſtitut.*
(9) Adeundi Wad. *Tom. IX. Annal. ad eum ann. num.* 3., & Antonius Meliſſanus *in Supplem. ad cit. Wad. ad an.* 1408. *T. eodem pag.* 322. *edit. cit.*

Franciſcanorum. Tradit Lucas Wadingus ex Regeſto Epiſtolarum Joannis XXIII., creatum fuiſſe anno MCCCCXI. die 27. Martii. Nomen Epiſcopi, cui Gaufredus ſucceſſit, indicat doctiſſimus Annaliſta, ſe legere non potuiſſe (1), at probabile ſatis eſt, ſuffectum fuiſſe Joanni paullo ante laudato.

XV. BERNARDUS MAJA.

Clara familia Panormi in Sicilia natus eſt. In Patria Inſtitutum Prædicatorum amplexatus, doctrina, morum integritate, aliiſque virtutibus evaſit laudatiſſimus. Sacras litteras diu apud ſuos docuit, Sacræque Theologiæ lauream obtinuit. Cum inter Siciliæ viros illuſtriores clareſceret, Alphonſus utriuſque Siciliæ Rex Sacerdotem a Sacris Confeſſionibus, & Concionibus eum ſibi elegit, tum anno MCCCCXXII. circiter Pontificio Diplomate Abbas *Commendatarius* Sanctæ Mariæ *Foſſæ Novæ* Ordinis Ciſterctenſis in Regno Neapolitano, & annexorum Monaſteriorum S. Stephani *de Nemore* in Calabria, S. Mariæ *Caſtri ad Mare*, & S. Chriſtophori *Palatii Adriani* in Inſula Siciliæ renuntiatus fuit.

Rocchus Pirrus (2), & Antonius Mongitorius (3), qui Majam vel ipſis Dominicanis ignotum e tenebris eruerunt, putant fuiſſe Epiſcopum Dolenſem in Britannia Minori ſub Archiepiſcopo Turonenſi. His obſtant Echardus (4), atque Bremondus (5) contendentes, Bernardum hanc adminiſtraſſe Eccleſiam: quantum capio, id ſentiunt jure meritoque; etenim Inſula Sardiniæ iis temporibus ſubjecta erat præfato Alphonſo Siciliæ, & Aragonum Regi (6), cui a Confeſſionibus, & Concionibus erat Maja, ut ſupra narravi, iccirco veriſimilius eſt, ope laudati Alphonſi ad Sedem Dolienſem in Sardinia, quam Dolenſem in Gallia promotum fuiſſe; maxime quia hæc ab alio Antiſtite occupata tunc erat (7). Epiſcopalem dignitatem obtinuit juxta Bremondium anno MCCCCXXII. Vitam cum morte commutavit anno MCCCCXXXVIII., ut opinatur Echardus, qui plura de eo diſſerit, & nonnulla etiam Opuſcula ab illo confecta recenſet.

XVI. NICOLAUS II.

De Nicolao hoc unum ſcio, obiiſſe nimirum anno MCCCCXLIII. (8), præterea nihil.

XVII. JOANNES III. ANNADES.

Poſt Nicolaum in Epiſcopis Dolienſibus numerandus eſt Joannes profeſſione Franciſcanus. Ad Cathedram evectus dicitur ab Eugenio IV. anno ſupra memorato 8. Idus Septemb. (9).

XVIII. PETRUS PILARES.

Hanc gubernaſſe Eccleſiam anno MCCCCLXXXII. certa res eſt. Verum

P enim

(1) *Tom. IX. Annal. Min. ad eum an. pag. 348. edit. laud.*
(2) *Tom. I. Sicilia Sacra in Notitia Eccl. Agrigent. pag. 759. edit. 1732.*
(3) *Tom. II. Biblioth. Sicula, & in Append. ad Tom. I.*
(4) *Tom. I. Scrip. O. P. pag. 791., & in Indic. Epiſcop. pag. 24.*
(5) *Tom. II. Bullar. O. P. pag. 704.*
(6) V. *Diſſert. noſtram cap. 2.*
(7) In Cathedra Dolenſi ab anno 1405. uſque ad diem 6. Menſis Decemb. anni 1429. ſedit Stephanus Coeuret. Confer Sammarthanos *T. II. Gallia Chriſtiana pag. 567. edit. Pariſ. 1656.*
(8) Vide Wading. *in Annal. Min. ad eum an. num. 12.*
(9) Conſule Wading. *ibidem.*

enim verò eodem anno die 20. Novembris Aram maximam Eccleſiæ Oſcenſis Patrum Dominicanorum conſecravit, quemadmodum poſt Diagum tradit Fontana (1).

Dolienſi dimiſſa Sede tranſiit ad Eccleſiam Calaritanam, & de eo multa in ejuſdem Antiſtitum Hiſtoria diſſerui (2).

ECCLESIA FORO-TRAJANENSIS.

DE Foro-Trajanenſi Urbe altiſsime ſilent Ptolemæus, Strabo, Plinius, uno verbo omnes Geographi, & Hiſtorici ante Antoninum. Hic enim omnium mortalium primus fuit, qui iſtius meminerit (3). Poſitam eſſe indicat verſus meridiem Sardiniæ inter oppidum Luguidonem, & aquas Neapolitanas, quæ per Ptolemæum prope latus meridionale ipſius Inſulæ ſitæ ſunt. Salvator Vitalis (4) opinatur, eandem eſſe, ac oppidum nunc *Tortoly* appellatum, quod inter Portus minus celebres Sardiniæ ſuperſtites extantes ille numerat. At verò huic refragatur vir Geographiæ Antiquæ, ut ſi quis alius, peritiſsimus Chriſtophorus Cellarius (5) aſſerens, certum locum huic Civitati aſsignare difficile eſſe. Ante Juſtiniani Imperatoris tempora ſine mœnibus erat, ideo ipſe eam munivit teſte Procopio (6). *Oppidum eſt in Inſula Sardinia Forum Trajani. Hoc mœnibus cinxit Juſtinianus, cum eſſet nudus antea*. Conſtructam a Trajano Imperatore fuiſſe ex ejus nomine colligi poſſe mihi videtur.

Quod ad res hujus Eccleſiaſticas attinet, aut veteres Annalium monumentis mandarunt nihil, aut ſi mandarunt, ad noſtram non pervenit memoriam; hinc ſæculo Eccleſiæ V. proprium habuiſſe Epiſcopum certò ſcimus, at quandonam primò obtinuerit, quandoque amiſerit peculiarem Antiſtitem, latet omnino. Veriſimile tamen eſt, hujuſmodi Epiſcopatum abolitum fuiſſe poſt Sancti Gregorii Magni ætatem, & ante finem ſæculi ſeptimi, vel circiter, quando & ipſam Civitatem deſtructam fuiſſe argumento eſt, quod Anonymus Ravennas, quem eodem ſæculo vixiſſe certior fert opinio (7), de Urbe Foro-Trajanenſi nihil penitus habet.

EPI-

(1) *Theat. Domin. pag.* 187.

(2) *Num. XLII.*

(3) *In Itinerario pag.* 82. Edit. Amſtelod. 1735. Ortelius *in Theſauro Geograph.* obſervat, in nonnullis Codicibus legi *Forum-Trojani*. Confer item Simlerum, & Weſſelingium *in Notis ad idem Itiner. ibidem*.

(4) *Tom. I. Annal. Sard. col.* 81., *&* 25. *in Theſau. Burmanniano*.

(5) *Tom.* 1. *Geograph. Antiquæ lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 774.

(6) *Lib.* 6. *Ædificiorum cap.* 7. Ab hac lectione parum differt verſio Claudii Maltreti, ſed pro *Foro-Trajani*, habet *Trajani Caſtrum* pag. 117. Edit. 1663.

(7) Anonymus Ravennas de Sardiniæ Civitatibus agit *lib.* 5. *Geographiæ* a numero 26. ad 27. De hujus Auctoris ætate tres ſunt doctiſſimorum Hominum ſententiæ. Nam Pater Placidus Porcheronius, qui Anonymi opus notis illuſtratum publica luce donavit Pariſiis anno 1688. *in Præfat.* exiſtimat, floruiſſe ſæculo VII., quam opinionem probant Pagius *Tom. II. Critica Bar. ad ann.* 534. *num.* 4., & alii plures. Caſimirus Oudinus *Tom. II. Comment. de ſcriptis*, *& Scri-*

EPISCOPI FORO-TRAJANENSES.

I. Martinianus.

Primus, & unicus Pontifex, quem Foro-Trajanenſem adminiſtraſſe Eccleſiam certa tradunt monumenta, eſt Martinianus. De anno, quo Epiſcopalem dignitatem eſt aſſequutus, nihil eſt exploratum. Nobis innoteſcit, quip-

& Script. Eccleſiaſt. ſæc. XII. col. 1136., & ſeq., ac ſæc. XI. col. 916. anno 1130., vel 1140. vixiſſe, & Guidonem Presbyterum vocatum eſſe dicit. Auctor verò Anonymus Tabulæ Chorographicæ Medii Ævi *ſect.* 2. apud Muratorium *T. X. de Script. Rerum Ital.* habet quidem id cum Oudino commune, quod Geographum noſtrum Guidonem Presbyterum appellat; id vero præcipuum, quod ſæculo IX. ſcripſiſſe contendit. Ut primum Auctorem Tabulæ Chorographicæ legi, non parum in ejuſdem propenderam ſententiam, ſed poſtea cum didiciſſem ex Joan. Gherardo Voſſio *lib. 2. de Hiſtoricis Latinis cap. 38. T. IV. Op. pag. 105. edit. Amſtelod. 1699.*, Guidonem Ravennatem non Orbem univerſum, ſed *Italiam* dumtaxat deſcribere; cumque Tabulam Chorographicam accuratius pervolvens deprehendiſſem, quo illius Auctor felix eſt in oppugnanda Oudini doctrina, hoc eſſe infelicem in ſua ſtatuenda opinione, animum variavi, & Porcheronii ſententiam veritati propenſiorem exiſtimare cœpi. Quoniam verò adhuc menti meæ levis ſcrupulus inſidebat, ut hunc prorſus depellerem, quid reipſa ſentiendum hac in re eſſet, a Viro eruditiſſimo ſum ſciſcitatus. Porrò is ſtatim mihi reſpondit, Porcheronium, quique eum ſequuntur, rem præ cæteris acu tetigiſſe, atque ad id probandum plures ſparſim ſe exhibere rationes in Critica, quam in Ughellium paravit, & aliquando in lucem emittet. Harum nonnullas per tranſennam, ut ita loquar, mihi indicavit, quas ſi hic expoſuero, Lectoribus meis gratum me eſſe facturum, non eſt cur ambigam; tametſi a propoſito pauliſper aberro. Anonymus Ravennas ne verbum quidem habet de Urbibus Ficoclenſi, quæ his temporibus *Cervia* vocatur, Comaclenſi, & Ferrarienſi. At ſi ſæculo IX. ſcripſiſſet, de iiſdem dubio procul mentionem feciſſet; debebat enim, ſiquidem methodus ab illo ſuſcepta hoc poſtulabat: poterat quoque, tum quia ejuſmodi Urbes non multum diſſitæ a Ravenna ſunt; tum etiam quia ante ſæculum nonum hæ celebres erant. Nam Ficoclenſem annis *649.*, & *769.*, Comaclenſem annis 708., & 787. (*Pacatium* enim, qui ſubſcribit Concilio Romano anno 502. celebrato, diciturque Ficodenſis Epiſcopus, quemadmodum etiam *Gerontium* Eccleſiæ Comaclenſis Antiſtitem vocatum, unum ex præfatæ Synodi Patribus, quemque huic ſedi adjudicant Ughellius *in Epiſcop. Comacl. num.* 1. & Papebrochius *Tom. II. Maii ad diem 9.* jure, meritoque a Pontificum iſtarum Eccleſiarum Catalogo expungit idem ipſe Vir eruditiſſimus *in Opere indicato*) propriis uſas eſſe Epiſcopis, explorata res eſt. Confer *Acta Concil. Roman.*, quorum alterum ſub Martino I., alterum ſub Stephano III, celebratum fuit: apud Harduin. *T. III. col. 929.*, & apud Manſium, qui poſt Cennium ea edidit *T. 1. Supplem. ad Concil. Veneto-Labbe. col. 614.* Ughel. *in Epiſcop. Comacl. n. 2.* Bacchinum *in Not. ad lib. Pontifical. Agnelli Ravennatis Par. 2. col. 166.* apud Murat. *Tom. II. Script. Rerum Ital.* atque *Diploma Caroli Magni* apud Murat. *T. II. Antiquit. Medii Ævi Diſſert. 19. col. 23.* Comacli meminit etiam Auctor Libri Pontificalis *T. II. in Vita Stephani II. aliis III. n. 45. 46. pag. 121. edit. Joan. Vignoli*, nec non *in Vita Hadriani I. n. 6. pag. 166.* Ferrarienſem item Civitatem non modo celebrem, ſed etiam in *Ducatum*, ut ajunt, erectam fuiſſe apparet ex Auctore *Lib. Pontif. in Vita Stephani ſupra memorati pag. 124. n. 61. edit. cit.* Confer etiam Epiſtol. ejuſdem Pontif., quæ eſt *ad Pipinum Regem* apud Labbe. *T. VIII. Concil. n. 6. col. 391. edit. Ven.*, in qua Ferraria *Civitas* vocatur. Accedit, Anonymum Ravennatem multarum meminiſſe Urbium, quæ longe ante ſæculum nonum everſæ jam fuerant. Tempus mihi deficeret, ſi vellem earum ſingulas recenſere. Itaque de duabus tantum mentionem faciam. *Lib. 4. n. 31. pag. 205.*, & *lib. 5. n. 1. pag. 251.* memorat Civitatem *Claſſem* non multum olim a Ravenna diſſitam.

Lib. 4.

quippe inter eos recenſetur Antiſtites, qui Carthaginem ab Hunnerico Vandalorum Rege an. æræ vulgaris CCCCLXXXIV. vocati in exilium poſtea miſſi ſunt, ut palam fit ex Victore Vitenſi (1).

II. Innocentius vel Libertinus.

Aut unum, aut alterum ex his Foro-Trajanenſem adminiſtraſſe Eccleſiam Sancti Gregorii Magni ætate probabiliter colligitur ex ejuſdem Epiſtola anno circiter DCIII. ad Januarium Archiepiſcopum Calaritanum miſſa (2), qua ei præcipit, ut examinet, judicetque cauſſam, quæ Deſideriam Abbatiſſam inter, & Joannem Abbatem verſabatur, adhibitis Innocentio, & Liberti-

Lib. 4. n. 36. pag. 281., lib. 5. n. 2. pag. 254. refert Urbem Tuſciæ *Saturniam* juxta Livium antiquitus Romanorum Coloniam in agro Caletrano poſitam; Verum ſæculo IX. neutra ſuperſtes erat; altera enim deleta fuit ineunte ſæculo octavo a Luitprando Langobardorum Rege teſte Paullo Diacono *de Geſtis Longobard. lib. 6. cap. 49. pag. 506.* apud Murat. *Tom. I. Script. Rer. Ital.*, altera exciſa eſt ſæculo ſeptimo a Rothare item Langobardorum Rege, quemadmodum ſcribit Orlandus Malavoltius *Hiſt. de' Fatti, e Guerre de' Saneſi l. 2. Par. 1. pag.* 17. Præſtat nunc audire quænam ſint rationes, quibus cl. Auctor Tabulæ Chorographicæ moveatur ad aſſerendum, Anonymum Ravennatem ſæculo ſeptimo vitam vivere nequiviſſe, ac proinde ad ſæculum nonum eſſe rejiciendum. Ejuſdem Auctoris verbis illas exponam: *Si nobis*, inquit, *otium nunc eſſet, plura loca indicaremus ab hoc Anonymo ſcripta, quæ certè nondum ſæculo ſeptimo exiſtebant, vel omninò jacebant, ut de Mutina dicemus ſub numero ſexageſimo quarto*. Ibi verò (*Seſſione 14.*) ne fidem falleret, narrat, præfatam Urbem ſub Conſtantino Magno primum deſtructam, & ab eodem poſtea reſtitutam *a Barbaris hoc eſt Gothis denuo vaſtatam fuiſſe*. Optaſſem ſanè, ut ia loca ab Anonymo indicata ſæculo VII. nondum exſtantia memoraſſet. At cum ſolius Urbis Mutinenſis meminerit, aſſeratque, per illud tempus *Gothorum* inſolentia ab imis fundamentis everſam fuiſſe, examinandum tantum mihi eſſe cenſeo, an hoc veritati conſonum ſit. Impoſito fine bellis, Regnoque Gothorum anno 554., vel ſequenti (Pagius *ad hunc ann. n. 6.* Muratorius *Annali d' Italia T. III. Par. 2. ad ann. 555. pag. 225. edit. Rom.*), licet hi non ſtatim ex Italia expulſi fuerint, nihilo ſecius anno 563. ſub tale jugum miſſi ſunt a Narſete, ut caput extollere non amplius potuerint. Conſulatur Muratorius *ad eundem ann. pag.* 244. Urbs autem Mutinenſis anno 590. adhuc ſuperſtes erat: *ante verò quam fines Italiæ veſtri Duces ingrederentur, Deus pro ſua pietate, veſtriſque orationibus, & Mutinenſem Civitatem nos pugnando ingredi fecit*, inquit Mauritius Imperator *Epiſt. ad Childebertum Francorum Regem*, exſt. apud Ducheſnium *Tom. I. Hiſt. Franc. Scriptorum n. 39. pag.* 871., & in Append. ad Opera Sancti Gregorii Turonen. *num. 7. col. 1350. edit. Ruinart.* Confer etiam *Epiſt. Romani Exarchi Ravenn. ad eundem Childebertum in laudata Append. n. 5. col.* 1348. Porro hujuſmodi Epiſtolas ſcriptas fuiſſe anno 590. indicat Murat. *ad eum ann. pag.* 345. Igitur Gothi Mutinenſem Civitatem non deſtruxerunt. Sed quandonam, & a quibus exciſa fuit? hoc opus, hic labor eſt. Paullus Diaconus de Rotare verba faciens ſcribit in hunc modum *de Geſtis Longobard. lib. 4. cap. 47. pag. 471.* apud Murat. *T. I. Script. R. Ital.* „ cum „ Ravennatibus, & Romanis bellum geſſit ad fluvium Æmiliæ, qui Scultenna dicitur, in quo „ bello a parte Romanorum, reliquis terga dantibus, octo millia occiderunt „. Hoc verò accidit anno 642., uti opinatur cl. Muratorius *Annali d' Italia Tom. IV. Par. 1. ad eum an. pag. 128. edit. Rom.* Fluvius *Scultenna* per hæc tempora *Panaro* vocatus non multum ab Urbe Mutinenſi diſtat. Quam ob rem, ſi in re incerta aliquid conjectare licet, dicerem, veriſimile eſſe a Langobardis, aut ante, aut poſt citatam pugnam, præfatam Urbem, quæ ad Imperatorem, prout ſupra narravimus, ſpectabat, & utriuſque Regni finis erat, everſam, exciſamque fuiſſe. Hoc ſi verum eſt, non repugnat, Anonymum Ravennatem ſæculi ſeptimi Scriptorem Mutinenſis Oppidi meminiſſe.

(1) Confer *quæ dixi in Archiep. Calarit. num.* 111.

(2) Eſt *Epiſt. 4. l. 13. col. 1217. Tom. II. Opp. edit. Maur.*

bertino Epiſcopis. Veriſimiliter ſatis eſt, Pontificem illos Epiſcopos dediſſe Januario Socios, qui erant ſuæ Eccleſiæ viciniores: Eccleſiæ Calaritanæ viciniores Epiſcopi erant eo tempore Sulcitanus, & Foro-Trajanenſis; igitur veriſimile eſt etiam, alterum illorum Epiſcoporum hanc gubernaſſe Eccleſiam.

ECCLESIA PHAUSANIENSIS.

ANtiqua Sardiniæ Civitas Phauſania, Phaſiana, & etiam Fauſina appellata, æquè ac Forum Trajani antiquis Geographis Ptolemæo, Straboni, Plinio, aliiſque ignota penitus fuit, dummodo alio nomine vocata ab iis non ſit, prout ego vehementer ſuſpicor. Sunt qui exiſtimant (1), eandem fuiſſe, atque *Olbiam* Urbem Sardiniæ vetuſtiſſimam, cujus, ut cæteros mittam Scriptores, meminit Tullius ſcribens ad Quintum Fratrem illius Inſulæ Præſidem: *Has ſcito litteras me ſolas accepiſſe poſt illas, quas tuus Nauta attulit, Olbia datas* (2). Geographi tamen, atque Hiſtorici Recentes (3) ſentiunt, quod eadem ſit, ac locus, qui nunc *Terra nova* vocatur, poſituſque eſt in Provincia Gallurienſi, in Diœceſi Caſtri Aragonenſis, ſeu Ampurienſis.

Sæpius ex Sardis audivi, totius Inſulæ traditionem ferre, Phauſaniam Civium præſertim numero olim celeberrimam fuiſſe. Ego etſi haudquaquam eandem nego & Urbis titulo decoratam, & antiquam, ægrè tamen concedo, tam numeroſam fuiſſe ſaltem ætate Sancti Gregorii Magni, quam Sardi jactant; idque colligo non quidem ex omnium vetuſtiſſimorum Hiſtoricorum, Geographorumque ſilentio, quod dubio procul non obſtat, ſi verum eſt, quod me ſuſpicari paullo ante faſſus ſum; at ex eodem Sanctiſſimo Pontifice, qui uti mox dicam, Phauſaniam non *Civitatem*, quemadmodum Calarim, ſed *locum* dumtaxat appellat.

Eccleſia Phauſanienſis antiquitate pari cum Calaritana dici poſſet, ſi vera eſſent, quæ de Epiſcopali dignitate Sancti Simplicii a pluribus modernis Hiſtoricis narrantur. Negari tamen non poteſt, etſi ea vel falſa, vel ut melius loquar, incerta, & dubia admittantur, longe ante Sancti Gregorii Magni tempora inſtitutam fuiſſe: his enim verbis Pontifex Sanctiſſimus ſcribit ad Januarium Præſulem Calaritanum anno circiter DXCIV. *Pervenit ad nos in loco, qui intra Provinciam Sardiniam Phauſania dicitur, conſuetudinem fuiſſe Epiſcopum ordinandi, ſed hunc pro rerum neceſſitate longis aboleviſſe temporibus* (4). Permanſit

ſaltem

(1) Apud Vitalem *Tom. I. Annal. Sard. col.* 34.

(2) *Epiſt.* 8. *l.* 2. *Tom. II. Opp. pag.* 528. *edit. Amſtelod.* 1724.

(3) Ita quidem opinantur ex iis, quos legere mihi licuit, Martinierus *in Magno Dict. G. C.* ad v. *Terra nova*, & ad v. *Caſtel Aragoneſe*. Ferrarius *in Lexico Geograph.* ad v. Phauſ. Laſor *T. II. Univerſ. Terra. Orbis ad v.* Phaſ. PP. Maurini *in Not. ad Epiſt. S. Greg.* 29. *lib.* 4. Florentinius *in not. ad Martyr. Hieronym. ad diem* 15. *Maii*; Franciſc. Maria de Aſte *in Diſceptat Liter. Topograph. &c. in Martyrol. Romanum ad eandem diem*, alios mitto, ne ſim longus.

(4) *Epiſt.* 29. *lib.* 4. *Indic.* 12.

Digitized by Google

ſaltem uſque ad finem ſæculi noni (1), ſed poſtea deſtructa Civitate, quod accidiſſe reor, antequam Sardinia per Piſanos, & Januenſes a Saracenis liberaretur, Sedes quoque Epiſcopalis abolita eſt (2).

Non ſum profecto neſcius, qui legerint aut notas Petri Guſsanvillei in Sancti Gregorii Magni Epiſtolas (3), aut Filippum Ferrarium (4), vitio mihi eſſe daturos, quod inter Epiſcopatus Archiepiſcopi Calaritani Suffraganeos de Eccleſia Phauſanienſi ſermonem inſtituerim. Præfati namque Auctores opinantur, hujus Sedis Epiſcopos Turritano, non verò Calaritano obtemperaſſe. Verum cum alio loco (5) demonſtratum a me ſit, ante ſæculum decimum Turritanum Præſulem Metropoliticam dignitatem non obtinuiſſe, ſed non ſecus, atque alios Sardiniæ Pontifices Calaritanum Epiſcopum eſſe veneratum, illud ſequitur, in magnis erratis eſſe tam Ferrarium, quam Guſſanvilleum; immo hunc pugnantia etiam ſcribere, ſiquidem poſtquam hæc litteris conſignarat, aſſerit (6), ſex illos Epiſcopos, (horum poſtremus eſt Victor Antiſtes Phauſanienſis), ad quos anno DXCIX. ſcripſit Sanctus Gregorius Magnus, fuiſſe Archiepiſcopi Calaritani ſuffraganeos.

EPISCOPI PHAUSANIENSES.

I. S. Simplicius.

„ Epiſcopus Phauſaniæ . . . . poſt „ Sanctorum Gavini, Prothi, & Januarii paſſionem, ob Fidem Chriſtianam juſſu Barbari Præſidis compreʹhenſus fruſtra ab ipſo minis deterretur. Cumque Deos Dœmones „ eſſe, & muta ſimulacra diceret, ab „ ipſo Præſide lancea transfixus ſemineci cadit, ac triduo, quo Fideles „ ad ſupplicia fortiter pro Chriſto perferenda hortabatur, animam Deo „ reddidit Idibus Maii, circa annum „ ſalutis CCCIV. cujus Corpus a Chriſtianis ibidem conditum fuit, ubi „ poſtea Templum ſuo nomini excitatum eſt, ibique Epiſcopi Civitatis „ Sedes conſtituta. Illum Civitatenſes „ Patronum ſuum maximè venerantur „ (7).

De Sancti Simplicii Epiſcopali dignitate eadem eſt opinio aliorum etiam, quos refert clariſſimus Florenti-

(1) Conſule veterem *Not. Epiſcopatuum* apud Bevereg. *Tom. II. in Annot. ad Pandectas Canonum pag.* 143. *edit.* 1672.

(2) Utrum Sedes hæc abolita, an aliò translata ſit, probabiliter vix ſciri poteſt, certo ne vix quidem. Baudrand, Ferrarius, PP. Maurini, Martinierus *locis laud. ante*, ac Miræus *in Not. Epiſcop. pag.* 190. Ampurias, vel ad Caſtrum Aragonenſe translatam eſſe volunt, ſed cum id aſſeratur ſine antiquis monumentis, erit forte aliquis, cui magis arrideat, fuiſſe antiquatam. Et re quidem vera, cum Phauſanienſis Epiſcopatus ab anno circiter 891. non memoretur amplius, cum Epiſcopatus Ampurienſis primum memoretur ſæc. circiter XII., quis Deus bone non videt, illum, everſa, Saracenorum ætate, Phauſania Urbe, abolitum fuiſſe, hunc denuò inſtitutum circa finem ſæculi undecimi, veriſimile perquam eſſe?

(3) *In Not. ad Epiſt.* 29. *lib.* 4. *S. Gregorii Magni pag.* 708. *Tom. II.*

(4) *Lex. Geograph. ad v.* Phauſania.

(5) *Diſſert. prævia cap.* 5.

(6) *In Not. ad Epiſt.* 8. *lib.* 9. *col.* 932.

(7) Ferrarius *in Catal. SS. Italiæ ad diem* 15. *Maii*.

tinius (1); immo etiam Martyrologii Romani (2), ex quo prudenter inferri poteſt, Epiſcopum item vocatum fuiſſe in illius Actis, quæ Magnus Baronius è Sardinia accepit, ut ſibi ipſe teſtis eſt (3): aliter in Martyrologio corrigendo ab adjudicanda Epiſcopali dignitate Simplicio ſeſe abſtinuiſſet, aut ſaltem ne veſtigium quidem hujus in eiſdem reperiri, indicaſſet.

Ejuſmodi porrò Acta, quantum ſcio, a nemine unquam illorum, qui poſt Baronii obitum animum appulerunt ad memorias colligendas, aut omnium Sanctorum, nt Bollandiani, aut Martyrum tantum, ut Theodoricus Ruinartus, publici juris facta ſunt. Optandum ſanè erat, in lucem emiſſa fuiſſe, ut ex iis, ſi fide digna a Criticis judicatâ eſſent, quod ſentiendum certò ſit de Epiſcopatu S. Simplicii, palam fieret. Cum enim veterum Martyrologiorum, quæ ſub nomine Hieronymi, & Bedæ circumferuntur, quædam *apographa* Simplicium Presbyterum tantum vocent, alia ne Presbyterum quidem (4), lis adhuc ſub Judice manet; nec iis, quæ narrant plures Hiſtorici novi, multum fidei habere videtur Tillemontius (5), cui prævivit Henſchenius (6), qui narrata Sancti Martyris inventione, quæ accidit circiter annum MDCXXX., ut refert Bonfantus, ita ſcribit: *Utinam adjunxiſſet* (Bonfantus) *Inſcriptionem, ex qua, ſi ea antiqua foret, potuiſſet certè ſciri, num Epiſcopus, an verò Presbyter, uti antiqui habent, ſit habendus.*

II. Victor.

Cum diu, multumque viduata extitiſſet proprio Paſtore hæc Eccleſia, anno DXCIV. Sanctus Gregorius Magnus Epiſtolam dedit Januario Archiepiſcopo Calaritano, verbis ſequentibus (7) „ Hortamur Fraternitatem „ tuam, ut illic (*Phauſaniæ*) ſecun„ dum priſtinum modum ordinare ſe„ ſtinet Antiſtitem, talem videlicet, „ qui ad hoc opus (*nempe ad Paga„ nos, qui ibidem ſuperſtites erant, „ Fidem Chriſtianam docendos*) mori„ bus, ac verbo exiſtat idoneus, & „ aberrantes ad gregem Dominicum „ paſtorali ſtudeat æmulatione dedu„ cere „.

Januarius citatus morem gerens Pontifici in Epiſcopum elegit Victorem. Iſtius meminit idem Gregorius non ſemel maximè in Epiſtola ad Innocentium Africæ Præfectum anno DCI. miſſa (8), qua ipſi perſuadet, ut compeſcat Judices Africanos, qui nunquam ceſſabant præfatum Victorem variis modis vexare.

(1) *In Not. ad Martyr. Hieron. ad diem* 15. *Maii*.
(2) *Ad eandem diem*.
(3) *In Not. ad Martyrol. Rom.*
(4) Conſule Henſchenium, qui ea recenſet *Tom. III. Maii ad diem* 15.
(5) *T. V. monum. Hiſtoriæ Eccl. de Perſeq. Dioclet. art.* 56. *pag.* 145. *edit. Venet.* 1732.
(6) *Loco nuper deſig.*
(7) *Epiſt.* 19. *lib.* 4. *Indic.* 12.
(8) *Eſt* 5. *lib.* 11. *Indic.* 4.

ECCLE-

ECCLESIA SUELLENSIS.

INter veteres Geographos nullus meminit oppidi Suellenſis Sardiniæ, niſi idem ſit ac *Suſalei* vicus a Ptolemæo memoratus, & ab ipſomet poſitus inter Sæprum amnem, & ſinum Calaritanum (1): inter recentiores autem de Suelli mentionem fecerunt Ferrarius (2), Martinierus (3), atque Laſor (4), ſed a quo conſtructum ſit, nemo unus aſſerit, unde illius primordia omnino ignorantnr.

Rebus Civilibus obſcuriores ſunt res Eccleſiaſticæ; hinc clar. Papebrochius (3) ingenuè faſſus eſt, ſe ob monumentorum defectum neſcire, quando hæc Eccleſia ſuos primò habuerit Epiſcopos, quandoque eoſdem amiſerit. Quæ poſt diligentem inquiſitionem collegi, in medium proferam, non quod ſingula ita veritati conſona judicem, ut nullus relinquatur mihi ambigendi locus, ſed quod iis certiora nota non ſint. Jam primum veriſimile eſt, nullum ante Sanctum Georgium, de quo mox dicam, fuiſſe Suellenſem Præſulem. Fertur enim, Torquitorem Judicem Calaritanum, quem S. Georgius laudatus a graviſſima liberaverat calamitate, ipſimet dono dediſſe oppidum Suellenſe, *Epiſcopalem Sedem . . . . . additis quibuſdam ſervis, atque ancillis, & omni domeſtica ſupellectili ad comodiorem uſum* (6); Benedictum vero *de Laccono* in præfati Sancti reſpectum Eccleſiam Cathedralem ædificaſſe (7). Ejus Capitulum, ſi qua Vico fides (8), conſtabat Decano, & quinque aliis Canonicis.

Suellenſem Epiſcopatum unitum fuiſſe Sedi Calaritanæ omnes ad unum ſentiunt Auctores, ſed de anno, quo hæc conjunctio facta eſt, multa variant. Vicus enim (9), nec non Martinierus (10) ſcribunt, hanc accidiſſe ſub Alexandro VI. Pater Vitalis (11) ſub Julio II. Ex Epigraphe autem, quæ infra Imaginem Joannis Fabri Calaritani Antiſtitis in Aula Palatii Archiepiſcopalis ſervatam (12) legitur, palam fit, eveniſſe tempore hujus Archiepiſcopi, anno ſcilicet MCCCCXX. quemadmodum eſt *in libro taxarum Cameræ Apoſtolicæ*.

Legitur in Codice chartaceo, quem apud ſe clariſſimum Joannem Hyacinthum Sbaraleam noſtrum ſervare alibi narravi (13), Epiſtola a *Secretario* Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis ad Epiſcopum Suellenſem data, quam licet, ad rem meam quod attinet, ſat eſſet indicaſſe, tamen

cum

(1) Vid. Cluverius *Sard. Antiqua col.* 23.
(2) *In Lexico Geograph. ad v.* Svellis.
(3) *In Magno Dict. Geograph. Crit. Tom. IX. ad v.* Suelli.
(4) *Tom. II. Univerſi Terrarum Orbis ad v,* Suellis.
(5) *Tom. III. Aprilis ad diem 23. in Actis S. Georgii E. Suellenſ.*
(6) Confer ejus Acta cit.
(7) Conſule Vicum *Tom. I. Hiſt. Sard. Par. 3. cap.* 14.
(8) *Tom. II. ejuſdem Hiſt. Par. 6. cap.* 47.
(9) *Tom. I. Hiſt. Sard. Par. 3. cap. 14. Fol. 60.*
(10) Loco, quem nuper *deſignavi*.
(11) *Appar. in Annal. Sard. col.* 30.
(12) Hanc retuli *in Archiep. Calar. num. XXXVI.*
(13) *In Arebiep. Calar. num.* 47.

cum nondum lucem viderit, integram hic inſerere placet. „ Reverendiſſime „ Domine. Declaratum eſt in Congre- „ gatione Reverendiſſimorum Cardi- „ nalium, quos ad Sacri Concilii Tri- „ dentini interpretationem Sanctiſſi- „ mus Dominus Noſter in conſilium ad- „ hibuit, Presbyterum Marcum Guiſu- „ co nomine, quia Presbyteri Filius ſit „ illegitimus, ab Amplitudine tua pro- „ hiberi celebrare Miſſam in Eccleſia, „ in qua nec ipſe, nec Pater ejus be- „ neficium obtineat, ſed tantum Miſ- „ ſam celebret ob devotionem, ipſe „ autem Presbyter Marcus ob quod- „ dam Legatum, quod relictum eſt „ Miſſam celebrantibus: quod ſi tan- „ tum ob eam cauſſam iſta cautio a- „ te adhibeatur, & ſervetur decretum „ Concilii Tridentini, decreto mini- „ mè prohiberi. Itaque exemplum „ ſupplicis libelli hujus Presbyteri ad „ te mitto, & ſi res ita ſe habet, „ quemadmodum ille expoſuit, man- „ dat tibi Sua Sanctitas, ab ipſo Preſ- „ bytero Marco Miſſam, & reliqua „ Divina Officia in eadem Eccleſia ce- „ lebrari patiaris: ſi quod autem aliud „ eſt, quod ei legitimè putes obſi- „ ſtere, facias nos de eo certiores. „ Amplitudini tuæ Deum benignum, „ & propitium precor. „

Hujuſmodi Epiſtola ſcripta fuit, ut indicat Codex, anno MDLXV. die 18. Julii, itaque aut Sedes Suellenſis unita Calaritanæ non erat eo tempore, quo dictum a me eſt, ſed longe poſt, aut poſt conjunctionem iterum disjuncta evaſit.

Martinum V. Romanum Pontificem anno MCCCCXX. præfatam Sedem cum ſua Metropoli copulaſſe in controverſiam vocari nequit. Poſt conjunctionem ſeparatam denuo fuiſſe probari non poteſt. Si quis verò eſt, qui a me quærat, quemadmodum factum ſit, ut Pii IV. ætate ſcriptum fuerit Pontifici Suellenſi, is ſic habeat: memoratam Epiſtolam non Suellis Epiſcopo, ſed Uſellis datam revera fuiſſe, & culpa duntaxat aut Amanuenſis Pontificii, aut illius, qui noſtrum *apographum* exaravit, ſcriptum eſſe *Suellenſi* pro *Uſellenſi*: atque id ex eo maximè ſuadetur, quod non modica ſit inter utrumque nomen ſimilitudo, eædemque litteræ neceſſariæ ſint ad utriuſque compoſitionem.

EPISCOPI SUELLENSES.

I. Sanctus Georgius.

In Suburbio Civitatis Calaritanæ ab indigenis *Eſtampaches* vocato originem traxit medio ſæculo Eccleſiæ undecimo circiter. Parentes ejus fuere Lucifer, & Viventia obſcuræ perſonæ ſanguine, ſed pietate conſpicuæ. Cum primum natus baptizatus eſt, eique nomen illud impoſuere, quod ab Angelo prænuntiatum fuerat. Quanta ſanctitate futurus eſſet, a teneris quoque, ut Græci ajunt, unguiculis indicavit; nam quarta, & ſexta feria ſemel tantum, & veſperaſcente die ubera ſugebat. Exacta infantia litteris erudiri cœpit, inque iis adeo profecit, ut non tantum latinas, ſed etiam græcas didicerit. Creſcens in ætatem, crevit pariter in virtutes, quæ cum longe, lateque divulgatæ eſſent, XXII. annos natus Epiſcopus renuntiatus eſt Suellenſis. Diu Eccleſiam adminiſtravit, circiterque initium ſæculi duodecimi

obiit, ac in Eccleſia Cathedrali ſepultus eſt (1).

Nullum Martyrologium extra Sardiniam hujus Sancti Epiſcopi meminit. Hujus rei in cauſſa eſſe ait Dimas Serpi (2), quod mortuus ſit die 23. Aprilis, quo colitur ab univerſa Eccleſia Sanctus Georgius Martyr; ex hoc enim factum eſſe putat, quod cum iſto confundatur, & in omnibus Eccleſiis ille non veſte Epiſcopali, ſed Equeſtri pingatur. Plura ante, & poſt mortem patravit miracula, quæ referuntur a Dima Serpi modo laudato, Eſquirro, Bonfant, aliiſque ſexcentis, qui præclariſſima Sanctorum Sardiniæ facinora litteris conſignarunt.

II. JOANNES.

III. PETRUS.

Alter ſubſcripſit anno MCXII. diplomatibus Mariani Judicis Calaritani, & Benedicti Epiſcopi Dolienſis a clar. Martene, & Durand in lucem emiſſis (3): alter verò ſubſcripſit concordiæ, quo anno MCLXIII. inter Bonitum Archiepiſcopum Calaritanum, & Monachos S. Saturnini facta eſt (4). Uterque in præfatis monumentis Epiſcopus *Barbarienſis*, ſeu Eccleſiæ *Barbariæ* appellatur; nihilo tamen ſecius inter Suellenſes Antiſtites duxi ambos eſſe recenſendos, quoniam plures ſunt rationes, quæ me ad opinandum movent, Eccleſiam in illis *Barbariam* appellatam eandem eſſe, ac Suellenſem, quæ per ea tempora utroque nomine vocata fuerit.

Principio enim Sanctus Georgius, qui omnium conceſſu Suellenſem rexit Epiſcopatum, a Franciſco Vico Antiſtites de *Barbagia* appellatur (5). Deinde Urbs Suellenſis erat (nunc ad oppidulum redacta eſt) in ea Inſulæ regione (6), quæ propter Barbaricinorum incolatum *Barbaria*, uti alibi (7) obſervavi, nuncupatur. Tandem Pontifices, qui memoratis diplomatibus ſubſcribunt, ſunt Archiepiſcopus Calaritanus, Epiſcopi Dolienſis, & Sulcitanus ejus ſuffraganei: igitur veriſimillimum eſt, Joannem quoque, ac Petrum fuiſſe Calaritano Metropolitæ ſubjectos; at præter citatos duos Epiſcopos nullus alter, ſi excipiatur Suellenſis, illi parebat, quemadmodum ex *Notitiis*, quas vocant, Eccleſiaſticis a nobis alibi exhibitis fit manifeſtum.

Verum quidem eſt *apographum* Libri Cenſuum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, quod in lucem emiſit celeberrimus Muratorius inter alia antiqua Italiæ monimenta, præter Dolienſem, Suellenſem, ac Sulcitanum in Epiſcopatibus Eccleſiæ Calaritanæ ſuffraganeis referre etiam *Barbarienſem*; at

qua

(1) Legenda *ejus Acta* apud Papebroch. *loco indic.*

(2) Apud eundem Papebroch. *ibidem in Notis ad Acta.*

(3) *T. I. Veterum Monument. col. 629., & ſeq.* Si Joannes hanc gubernavit Eccleſiam, uti reipſa gubernaſſe negari poſſe non video, exploratum eſt veritati conſonum nequaquam eſſe, Sanctum Georgium ad annum uſque 1117. ſpiritum in Epiſcopatu duxiſſe, prout *In ejus Actis modo citatis* legitur. Joannes enim anno 1112. in Georgii locum ſuffectus erat, proinde is ante illud tempus e vita migraverat.

(4) Confer Martene, & Durand *Opere indic. col. 658. in Notis.*

(5) *Tom. II. Op. cit. Par. 4. cap. 35. Fol. 87.*

(6) Martinierus, & Raphael Savonarola Cl. Regul. Theatinus, quem ego hactenus vocavi, & poſthac etiam Alphonſum Laſor vocabo, quippe ſub hoc nomine latere voluit, *locis paullo ante laudatis* ſcribunt, *Suellis* Urbem diſtaſſe a Calari Oriſtanum verſus 15. millia paſſuum. At quantum e Sardis intellexi, in parte Inſulæ Orientali ſita erat, oppidum Gaſtellinenſe verſus.

(7) *Diſſert. prævia cap. 2. num. 4. in Notis.*

qua de cauſſa id factum ſit alio loco (1) narravi.

IV. N.

Epiſcopus Suellenſis anno MCCXX. a Canonicis Calaritanis in eorum Archiepiſcopum electus eſt. De hoc plura diſſerui alibi (2).

V. Sergius.

Sergius Epiſcopus Suellenſis anno MCCXXXVII. die 18. menſis Aprilis ſubſcripſit una cum aliis Sardiniæ Pontificibus Diplomati Petri Judicis Arborenſis, quod in lucem emiſit eruditiſſimus Muratorius (3).

VI. N.

Inter Patres, qui anno circiter MCCLXIII. Concilium Nationale Bonarcadæ in Sardinia celebrarunt, refertur Epiſcopus Suellenſis, ſed ejus nomen reticetur (4).

VII. Jacobus de Maltio.

Memoratur a Wadingo (5), & ab ejus pediſſequo Haroldo (6), ſed ab utroque verbis pauciſſimis, quippe nihil aliud de eo habent, niſi quod ex *Cuſtode* in Provincia Mediolanenſi creatus eſt Epiſcopus hujus Eccleſiæ anno MCCCLXXX.. Veriſimile tamen eſt, nunquam ad Suellenſem Sedem acceſſiſſe a Petro Aragoniæ Rege, qui per ea tempora, ut alias narravimus (7), Sardiniæ dominabatur, præpeditum; hic enim exorto anno MCCCLXXVIII. ſchiſmate, nulli adhærebat Pontifici, & anno duntaxat MCCCLXXXIII. Urbani VI. legitimi Papæ, a quo Jacobus noſter renuntiatus fuerat Præſul Suellenſis, partes fovere cœpit (8).

Anno MCCCXC. die 4. Novembris Indulgentias conceſſit Eccleſiæ Sanctæ Catharinæ de Triaria Diœceſis Albingaunenſis, ſicuti conſtat ex Tabula marmorea in præfata Eccleſia erecta, in qua ſequentes verſus leguntur:

„ Millibus trecentis annis nona-
„ ginta redemptis
„ Hæc fuit inita Domini domus
„ inde finita
„ Sumptibus Antonii quondam O-
„ berti Caponi
„ Trinitas, Unitas, Sancta Catha-
rinaque dicta.
„ Hic autem primus fertur fun-
„ daſſe lapillum.
„ Tunc in feria ſena, Novembris
„ quarta ſerena
„ Jacobus Epiſcopus Sualenſis (9)
„ nomine dictus
„ Hanc viſitantes, atque juvan-
„ tes crimina ſolvens
„ Monſtrant ut hæc ita manu ſua
„ littera ſcripta.

Q 2 „ Poſt

(1) *Diſſertat. Iudic. cap. 4. num. 13. pag. 55. nota 14.*
(2) *In Archiepiſc. Calarit. num. XX.*
(3) *Tom. VI. Antiq. Ital. Medii Ævi Diſſertat.* 71. *col.* 15.
(4) V. dicenda *in Archiepiſc. Turritan.*
(5) *Tom. IX. Annal. ad eum an. num.* 28. *pag.* 41.
(6) *Tom. I. Epit. Annal. Wad. ad eum an. num.* 13.
(7) *In Diſſertat. prævia cap.* 2.
(8) Vid. Raynal. *ad ann.* 1383. *num.* 5.
(9) Ughellius, cui, ut ſibi ipſe teſtis eſt *Tom. IV. Ital. Sac. in Ep. Albingav. num.* 34., ignotum erat, ubinam gentium ſita eſſet Suellenſis Eccleſia, exiſtimavit, in verbo *Sualenſis* mendum reperiri; unde pronus fuit ad opinandum, pro *Sualenſis* legi debere aut *Scalenſis*, aut *Savonenſis*. Verum ipſius conjecturas falſas eſſe nemo eſt, qui ex iis, quæ a me dicta ſunt perſpectum non habeat.

„ Poſt hæc Serenus Cardinalis Bar-
„ tholomæus (1)
„ Papæ vice Noni Bonifacii An-
„ tiſtitis Romæ
„ Hanc donis multis ſua dotata
„ litera ſculptis
„ Hæc Notarius notavi Manuel
„ Sardus.

Ex his apparet, Jacobum ab administratione propriæ Eccleſiæ prohibitum ſelectum fuiſſe ad juvandum in ferendo Epiſcopali onere Joannem Epiſcopum Albingaunenſem, cui etiam defuncto probabile ſatis eſt, licet modicum tempus, ſucceſſiſſe. Næ Catalogus Mſ. illius Eccleſiæ Epiſcoporum, quem penes ſe habuiſſe teſtatur Ughellius (2) poſt Joannem Fliſcum refert Jacobum, tametſi Vir eruditiſſimus in eam inclinetur ſententiam, quæ hunc a Pontificum Albingaunenſium ſerie expungit.

VIII. BENEDICTUS.

Nomen dederat familiæ Auguſtinianæ, priuſquam ab Urbano VI. anno MCCCLXXXVII. ad hujus Eccleſiæ regimen aſſumeretur. Torellus (3) ſuſpicatur, hunc eundem eſſe, ac Jacobum illum Neapolitanum, qui anno MCCCLXXXV. electus fuerat Senenſis Epiſcopus, ſed renuentibus Senarum Civibus in poſſeſſionem ſuæ Eccleſiæ venire nequivit.

IX. ELIAS.

Ex Ordine Fratrum Minorum Suellenſis Antiſtes anno MCCCCXXVII. auxilium præſtabat in Eccleſiæ Veronenſis regimine tractando, Guido Memmi illius Pontifici, ac munere Rectoris Eccleſiæ SS. Tuſcæ, & Teuteriæ fungebatur. Cum earum Sacra oſſa a pluribus annis in proprio Templo recondita eſſent, Elias alio eminentiori loco eadem in ipſo collocavit, quemadmodum doctiſſimus noſter Petrus Paduanus narrat (4). Hic forſitan eſt ille Frater Elias Senenſis Franciſcanus, qui, judice Wadingo (5) renuntiatus eſt ab Alexandro V. anno MCCCCX. Epiſcopus Cluſinus. Poſſeſſionem tamen haud obtinuit, quod Wadingus non obſervavit; nam anno paullo ante indicato Cluſinæ Diœceſis adminiſtrationem ſuſcepit Blaſius Hermannus illius Epiſcopus (6).

Utrum id factum ſit, quod ſua ſponte Cluſino Epiſcopatui nuntium remiſerit, vel quod vetitum ei fuerit ad propriam accedere Sedem, non conſtat. At ſi conjecturas ſequi licet, poſtremum magis veritati conſonum dicerem. Nam Elias ſucceſſit Antonio, quem Alexander V. officio privaverat, eo quia partes defendebat Gregorii XII. a Synodo Piſana de gradu dejecti. Quare veriſimile eſt, paullo poſt e vi-

ta

(1) Cardinalis hic memoratus eſt Bartholomæus Mezzavacca *al.* Manzavachi patria Bononienſis, qui tempore Bonifacii IX. Legationibus Genuenſi, & Viterbienſi functus eſt. Cur *Serenus* vocetur neſcio, niſi id factum ſit, ut rudis Poeta *Leoninum* verſum facilius accomodaret. De Bartholomæo agunt Oldoinus *T. II. Acceſſion. ad Ciaconium col.* 641., *& ſeq.* Ughellius *T. I. in Epiſt. Reatinis n.* 46. Ex hac Inſcriptione apparet certus annus, quo Legati munere ad Genuenſes fungi cœpit, quem a præfatis Auctoribus non videram animadverſum.

(2) *Loco deſignato.*

(3) *T. VI. Sac. Aug. ad cum an. n.* 21. Nec Ughellius, nec Benevolentius Jacobum in Ep. Senenſ. referunt.

(4) Apud Ughel. *T. V. in Epiſcop. Veronenſ. num.* 9. *col.* 692. Confer item Perettum in *Antiq. monum. Eccl. Veronen. apud Bolland. T. II. Maii ad diem* 5.

(5) *Tom. IX. Annal. Min. ad an.* 1410. *num.* 14.

(6) Conſulendus Ughel. *Tom. III. in Epiſcop. Cluſin. num.* 32. *col.* 642.

Digitized by Google

ta functo Alexandro, Joannem XXIII. ei ſuffectum ratam non habuiſſe Eliæ electionem ad Sedem Cluſinam, ſed illum ad hanc tranſtuliſſe Eccleſiam, quam an. MCCCCXX. utpote Calaritanæ Sedi unitam, quemadmodum narratum a me eſt, dimiſit, ſolo retento titulo. Decurſa a me hæc ſunt breviter, quippe ad Hiſtorias Suellenſem, & Franciſcanam illuſtrandas opem ferre poſſe mihi videntur.

ECCLESIA SULCITANA.

Ægidius Schudius, cui Petrus Weſſelingius (1) non repugnat, duo in Sardinia fuiſſe oppida *Sulcis* nuncupata opinatur, quod viderit Antonini Auguſti Itinerarium bis *Sulcis* meminiſſe: primò Inſulæ iter deſcribens *a Portu Tibulis Calaris*, ſecundò iter inſtituens *a Tibulis Sulcis*, nec non *a Sulcis Nura*. An ita ſe res habeat, ad examen vocent, qui ſunt animo vacuo, ego interea aliò propero. Horum poſtremum, quod eodem Weſſelingio teſte Sedes olim fuit Epiſcopalis inter Sardiniæ oppida vetuſtate, aliiſque prærogativis celebria (2) optimo jure eſt recenſendum. Ab omnibus antiquis memoratur, ſed a Strabone (3) *Sulchi*, a Ptolemæo, juxta editionem, qua ego utor, *Solci* (4) vocatur. Non ſecus atque Civitas Calaritana a Carthaginenſibus conſtructum eſt (5), ab eaque diſtabat ultra triginta paſſuum millia in meridiem. Situm erat ad Mare eo in loco, ubi nunc eſt Portus, qui *Palma di Solo* nuncupatur (6). Per hæc tempora proſtratum, & dirutum ante oculos jacet, ejuſque nomen in proxima Inſula ſervatur (7), quæ a Plinio *Enoſis*, a nobis Inſula *Sancti Antiochi* dicitur, quod in ea pro Chriſto Martyr is occubuerit, prout ex Martyrologio Romano (8) colligitur.

Primordia Eccleſiæ Sulcienſis perinde, ac aliarum obſcuriſſima ſunt. Quidam Scriptores exiſtimant, huic Epiſcopum datum fuiſſe ante ſæculi Eccleſiæ primi medietatem, ſed ex iis, quæ alibi diſſerui (9), & paullo poſt diſſeram, manifeſtum fiet, ejuſmodi doctrinam aut falſam, aut ſaltem nulla certa ratione ſuffultam eſſe. Quod igitur certò affirmare poſſumus, eſt, jam uſque a quinto ſæculo proprios habuiſſe Epiſcopos, ſed quando eos primo conſequta ſit, latet omnino.

Sedes Epiſcopalis Sulci plura permanſit ſæcula, donec circiter annum

(1) *In Notis ad Itinerarium Antonini Auguſti pag.* 80. *edit. Amſtelod.* 1735.

(2) Adeundi Pomponius Mela *l.* 2. *cap.* 7. ac Strabo *lib.* 5. *Geograp. pag.* 224. *edit. Caſaub.* 1620.

(3) *Lib. indic.*

(4) *Lib.* 3. *Geographiæ cap.* 3. *pag.* 51. *edit. Lugdun.* 1541.

(5) Claudianus *de Bello Gildonico* ita canit „ Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulchos „ Confer item Cluverium *Sard. Antiq. col.* 17. *T. XV. Theſ. Burmanniani*, nec non Weſſelingium *loco laud.*

(6) Cluverius *ibidem* „ Eſt hodie Inſula propè meridiolane Inſulæ vulgari adpellatione *l'Iſola di* „ *Sant' Antioco* objecta Portui, qui vulgò dicitur *Palma di Solo*, qui ex ſitu, & vocabuli „ quadam ſimilitudine colligitur, eſſe antiquæ Urbis *Sulcorum* locus. „

(7) Adi-ſis Cellar. *T. I. Geograph. Antiq. l.* 2. *cap.* 11. *pag.* 773. *edit. Lipſ.* 1731.

(8) *Ad diem* 13. *Menſis Decembris.*

(9) *Diſſert. prævia cap.* 3. *num.* 2. *& ſeq.*

Digitized by Google

num MDIV. (1) tranſlata eſt ad Civitatem Eccleſienſem, in qua brevi fuit; nam anno MDXIII. ſuæ Metropolitanæ unitam eſſe Martene (2), & Vicus (3) ſcribunt.

Poſtulat ratio, ut nunc aliqua de Urbe *Eccleſienſi* diſſeram. Quod ad hominum multitudinem ſpectat inter principes Sardiniæ Civitates numeratur. Sita creditur a Cluverio (4) eo loci, quo exſtabat oppidum ab Antonino *Metalla* appellatum. Iſtud vero ponitur inter Neapolim, & Sulcos, in ea ſcilicet Inſulæ parte, quæ ad meridiem vergit.

Cathedralis Eccleſia Deo ſub invocatione S.Claræ Virginis Aſſiſienſis dicata eſt. *Capitulum* coaleſcit ex Archipresbytero, Archidiacono, novem Canonicis, aliiſque *Beneficiatis*, & Clericis. Reſidet ibidem Vicarius Generalis, qui perſonam ſuſtinet Archiepiſcopi Calaritani, a quo is declaratur. Sunt in Urbe, quod ſciam, quinque Conventus, nimirum PP. Dominicanorum, Franciſcanorum Conventualium, Capuccinorum, Societatis Jeſu, necnon Monialium Sanctæ Claræ.

EPISCOPI SULCITANI.

S. Melito. Si ex Teſtium duntaxat multitudine, nullo habito reſpectu ad eorum ætatem, factum hiſtoricum decidere liceret, nullus profectò relictus eſſet ambigendi locus, S. Melitonem hanc gubernaſſe Eccleſiam, quippe plures ſunt, qui hoc aſſerunt. Ut enim nihil dicam de Bonfanto, qui patria Calaritanum, inauguratum Epiſcopum a Bonifacio Chriſti Diſcipulo fuiſſe, ac truncato capite mortuum eſſe, cum ad ſummam perveniſſet ſenectutem, contendit (5), aliiſque Scriptoribus Sardis; Melitonem Præſulem Sardum aſſerunt Martyrologia Uſuardi, Adonis, Germanicum Caniſii, & alia plura (6); item Grevenus, Maurolycus (7), ac Ferrarius, qui præterea ſcribit, id conſtare ex monumentis Eccleſiæ Sulcitanæ (8).

Quoniam autem communis eſt Criticorum opinio, non ſolum Teſtium multitudini, ſed præſertim eorum ætati rationem habendam eſſe, ita ut factum quodcunque hiſtoricum falſum, vel ſaltem quammaximè dubium credi debeat, niſi Auctores, qui iſtius meminere, ſint ſynchroni, aut ſuppares, hinc ingens mihi ineſt dubitatio, quin Melito unquam Sulcienſis Epiſcopus fuerit. Verum enim vero Auctores, quos paullo ante laudavi, non tantum non ſunt coævi, aut fere coævi, verum etiam plura poſt ſæcula a Meli-

(1) Confer clariſ. Martenium *T. I. Veter. Monument. col. 629. in Notis.*
(2) *Ibidem.* (3) *Par. 6. Hiſt. Sard. cap. 47.*
(4) *Col. 15. Sard. Antiqua.*
(5) *Triumpho SS. Sard. l. 3. cap. 37.* Cl. Henſchenius *T. I. Aprilis ad diem 1. pag. 11.* optat, ut hæc certioribus monumentis confirmarent Sardi. Caſtellanus *en Supplement des Aemeres*, quod exſtat ad calcem du *Martyrolog Univerſel pag. 924. ed. Pariſ.* 1709. hanc Bonfantii doctrinam omnino rejicit.
(6) Apud Henſchenium *ibidem.* (7) Apud eundem *ibidem.*
(8) *In novo Catal. SS. qui in Martyr. Rom. non ſunt, ad diem 1. Aprilis.* Non dubito, quin hæc monimenta multò poſt ſæculum decimum perſcripta ſint, proinde recentiora, quam extorquere a me aſſenſum poſſint.

Melitone vixerunt, ut quiſque haud ignorat, dummodo in Hiſtoria Litteraria hoſpes non ſit, ac peregrinus.

Fac tamen, Uſuardum, & Adonem, tametſi ſæculo nono, vel circiter ſcripſerint, teſtes eſſe locupletes ad factum, quod menti noſtræ in præſentia obverſatur, definiendum, pugnaciſſimè nego, præfatos Auctores litteris conſignaſſe, aliquando Sanctum Melitonem Epiſcopum fuiſſe in Sardiniæ Inſula. In Martyrologio enim Uſuardi, quod ad veram lectionem reſtituit Bollandianus Sollerius, ne verbum quidem habetur de S. Melitone Epiſcopo Sardo; *apographum* verò Uſuardianum, quod exſtat Camberii apud PP. Franciſcanos Conventuales, & alia, in quibus mentio fit hujus Sancti Epiſcopi, inter acceſſiones, quæ variis temporibus præfato Martyrologio factæ fuere, recenſet clarif. Auctor (1). In Codice Lobienſi Martyrologii Adonis memorari Melitonem in Sardinia Epiſcopum, judex eſt Henſchenius (2), ideo ire inficias non auſim. Deſideratur tamen cum in Martyrologio ejuſdem Adonis, quod ope trium veterum Codicum correxit, ac edidit Roſuveydus (3), tum in eo, cum quo Roſuveydianam editionem contulit Zacharia Bibliothecæ Eſtenſi Præfectus (5), Vir ſumma eruditione, doctrinaque præditus. Quamobrem celebris Dominicus Georgius Adonianum Martyrologium ope codicum Bibliothecæ Vaticanæ emendans, notiſque illuſtrans, quæ in illo de Sancto Melitone Epiſcopo Sardo narrantur inter alia adjecta ab aliqua interpolatrice manu rejecit (5).

Ex hactenus dictis palam fit, Melitonem Præſulem in Sardinia ſerò admodum in Martyrologia relatum fuiſſe; idque ex eo etiam magis confirmatur, quod nulla fiat hujus mentio nec in Martyrologio Hieronymiano ad fidem multorum codicum emendato a cl. Florentinio, nec in Martyrologio illo antiquiſſimo, quod pervolvere ſummopere optabat Magnus Baronius (6), nec tandem in Martyrologio Bedæ cum auctario Flori, & aliorum (7). Itaque mihi perquam arridet, quod de Melitone dubitanter tamen tradit Henſchenius (8). Is enim ſuſpicatur, Melitonem noſtrum eundem eſſe, ac illum, cujus nomen propter præclara facinora geſta, maximè propter Apologiam pro Chriſtianis Marco Aurelio Antonino Imperatori oblatam (9), in Hiſtoria Eccleſiaſtica pèrcelebre eſt; qui cum Sardenſem in Lydia

(1) *In Martyrol. Uſuardi ab ſe emendato ad diem* 1. *Aprilis pag.* 186. *edit. Antuerp.* 1714.

(2) *Loco paulo laud.*

(3) Exſt. *T. XVI. Biblioth. Veter. PP. pag.* 830., *& ſeq. edit. Lugd.* 1677.

(4) V. *Biblioth. Piſtorienſem pag.* 98., *& ſeq. edit. Taurin.*

(5) *Ad diem* 1. *Aprilis pag.* 142. *edit. Romæ* 1745.

(6) Editum primò fuit a cl. Heriberto Roſuveydo. Exſt. *eodem Tom. Biblioth. Veter. PP. pag.* 812., *& ſeq.*

(7) Ediderunt Bolland. *initio Tom. I. Martii Act. SS.* Exſt. item *Tom. I. Collect. monum. a Bolland. editorum, curatæ Ven.* 1749.

(8) *Loco modo laud.* Caſtellanus *loco nuper deſignato* probat eandem veriſimillimam conjecturam: Dominicus Georgius *in not. ad Martyrol. Adonis pag.* 143. Melitonem vocatum fuiſſe Epiſcopum in Sardinia *Librariorum vitio* opinatur.

(9) Hujus Apologiæ Fragmentum recitat Euſebius *Hiſt. Eccleſiaſt. lib.* 4. *cap.* 26. *pag.* 162., *& ſeq. edit. Taurin.* 1746. Oblata fuit anno 169. Conſulito noſtrum Pagium *Diſſert. Hypatica, ſeu de Conſul. Cæſareis Par.* 2. *cap.* 3. *num.* 10. *pag.* 42. *cap.* 12. *num.* 3. *pag.* 79. *edit. Lucenſ. Tom. II. Criti. Baron. ad an.* 170. *n.* 3. *pag.* 257.

Digitized by Google

Lydia Eccleſiam adminiſtraſſet, ab aliquo, cui ignota erat Urbs Sardenſis, & perſpecta Sardinia, habitus poſtea fuerit hujus Præſul, atque ſub eodem titulo in Martyrologium intruſus.

Equidem ſi vacaret, plura poſſem in medium proferre exempla ad oſtendendum, Epiſcopos Urbium *Sardes* in Lydia, & *Sardicæ* in Bulgaria a quibuſdam Scriptoribus Sardiniæ adjudicatos fuiſſe. Sed cum per tempus non liceat, uno tantum contentus ero a doctiſſimo Thoma Stapletono ſuppeditato, qui Felicem Epiſcopum Sardicenſem in Bulgaria, ad quem ſcripſit S. Gregorius Magnus (1), ut obtemperaret Joanni primæ Juſtinianæ Antiſtiti Primati ſuo, Præſulem Inſulæ Sardiniæ exiſtimavit (2).

SANCTUS ANTIOCHUS. Melitoni ſucceſſiſſe poſt plures annos Antiochum ſentiunt nonnulli. Fara (3) innixus monumentis Eccleſiæ Sulcitanæ tradit, quod fuit profeſſione Medicus, natione Maurus, & captus ab Hadriano Imperatore in Africa morante, miſſus eſt in Sardiniam, & in Inſula Sulcitana Martyr occubuit. Antequam funderet pro Chriſto ſanguinem hanc Eccleſiam adminiſtraſſe, in ſcriptis reliquere Carolus a S.Paulo (4), ac poſt eum Henſchenius (5), quod conſtat item ex inſcriptione ſæculi duodecimi adinventa in Eccleſia ejuſdem Sancti Martyris, in qua is *Pontifex* Chriſti appellatur (6).

An ita ſe res habeat, incertum eſt, ſiquidem ad noſtram memoriam nullum manſit firmum monimentum ad id, non dicam, demonſtrativè, ſed ne probabiliter quidem perſuadendum. Emus Cæſar Baronius ſcribit (7), ſe accepiſſe illius Acta è Sardinia, ſed cum in Martyrologio Romano ab ipſomet emendato appellatur Martyr duntaxat (8), colligi prudenter poteſt aut ex iis non apparuiſſe, S. Antiochum Epiſcopum extitiſſe, aut Virum doctiſſimum id non probaſſe.

AYMO, ET ALBERTUS. Horum Corpora refoſſa ſunt poſt initium ſæculi proximè exacti in Eccleſia *Tartallienſi* cum hac Inſcriptione: *Hic jacent hujus Eccleſiæ Præſides duo bonæ memoriæ, Aymus videlicet, & Albertus Sancti Sanctiſſimi*. Sulcitanæ Eccleſiæ Epiſcopos fuiſſe opinatur Bonfantus (9). Verum cl. Papebrochius (10) eidem obſtat, exiſtimatque non Sulcienſes Antiſtites, ſed potius Eccleſiæ Tartallienſis Præpoſitos fuiſſe tempore, quo Sardinia a Piſanis adminiſtrabatur. Porrò Papebrochius optimo jure ita ſentit; nam Eccleſia *Tartallienſis* nunquam fuit Epiſcopi Sulcitani Cathedralis. Itaque, ſi Aymo, & Albertus fuere illius Eccleſiæ Præſides, neſcio quonam pacto inferri queat, Sulcienſes extitiſſe Pontifices.

Hæc diſputata a me ſunt, non quod velim, ante an. CCCCLXXXIV.

quo

(1) *Epiſt. 10. l. 5. indic. 13. Tom. II. Opp. edit. Maurin.*
(2) *De Primatu Rom. Pontif. art. 4. ſect. 1. pag. 131. Tom. XX. Biblioth. Pontif. Rocaberti.*
(3) *Hiſt. de Rebus Sardois col. 24.*
(4) *Geograph. Sacra pag. 66. edit. 1704.*
(5) *Loco cit.*
(6) Hanc Inſcriptionem dedimus *in Hiſt. Archiep. Calarit. num. XVI.*
(7) *In Notis ad Martyrol. Romanum ad diem 13. Decemb.*
(8) *Ad eandem diem.*
(9) *In Opp. aliàs cit. pag. 410.*
(10) *Tom. V. Maii in Append. ad Acta Lucif. Calarit. num. 139.*

quo certò conſtat, Vitalem hanc rexiſſe Eccleſiam, uti paullò poſt dicam, nullum alium fuiſſe Sulcitanum Præſulem, ſed ut pateat, Sulcitani Epiſcopatus primordia non eſſe tam antiqua, quam nonnulli opinantur, ac plura de illius Antiſtitibus tradi aut omnino falſa, aut maximè dubia. Cæterum, ut quod ſentio in medium proferam, ſatis veriſimile mihi ſit, ſæculo etiam quarto Oppidum *Sulcis* ſuos habuiſſe Pontifices; cum enim videam, eo ſæculo Epiſcopos in Sardinia fuiſſe (1), nec certò innoteſcat, ſi excipiatur Calaritana, quas Diœceſes ſint moderati, nulla, meo quidem judicio, cauſſa eſt, cur exiſtimari ſaltem probabiliter nequeat, ex iis aliquem Sulcienſem Eccleſiam gubernaſſe.

Neque huic doctrinæ opponi poſſunt aut Oppidi Sulcienſis Calaritanæ Civitati, in qua jam tum Epiſcopus exſtabat, propinquitas, aut Synodi Sardicenſis Canon VI. (2), quo ab ea vetitum fuit, ne concederetur licentia *ordinandi Epiſcopum in vico aliquo, aut in modica Civitate*; enim verò quod ad primam attinet rationem, Calaris, & Sulcis Urbes non ita erant inter ſe vicinæ, ut una ab altera non abeſſet circiter millia paſſuum triginta, quemadmodum alibi narravi: eo vel maximè, quod non deſunt exempla, quibus probari poteſt, duarum Civitatum inter ſeſe propinquitatem impedimento minimè fuiſſe, quin ambæ olim peculiarem Epiſcopum habuerint (3). Quod verò ad ſecundam ſpectat, etſi Canon citatus omni tempore, ac ubique gentium obſervatus fuiſſet, quod tamen falſum eſt (4), quis neſcit, Sulcienſem Urbem ex celebrioribus Oppidis Inſulæ Sardiniæ fuiſſe (5)? Sed tempus jam eſt, ut incertis, atque obſcuris relictis ad ea, quæ explorata, vel ſaltem tot tenebris non involuta ſunt, deſcendamus.

I. VITALIS.

Primus Sulcitanus Epiſcopus, qui certò innoteſcat, eſt Vitalis. Inter eos numeratur Præſules, qui poſteaquam acceſſerunt Carthaginem, eo vocati ab Hunnerico Vandalorum Rege, an-

R no

(1) Adi-ſis, quæ diſſerui *in Hiſt. Archiepiſc. Calarit. num. 1.*

(2) Juxta Dionyſii Exigui verſionem apud Harduinum *Tom. I. Concil. col. 639.* Sunt qui putant, idipſum prohibitum fuiſſe a Synodo Laodicena *can. 57.* apud Hard. *col. 791.*, ſed hujuſmodi Canon de Chorepiſcopis, non de abſolutis Epiſcopis exponendus eſt. Conſulito Joſephum Bingamum *T. I. Orig., ſive Antiquit. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 12. §. 1. pag. 172. ed. Jenæ 1724.*

(3) Plura exempla ad hoc perſuadendum in promptu mihi eſſent. Duo tantum proferam. Eccleſiæ Piſana, & Lucenſis vix inter ſeſe diſſitæ ſunt decem milliariis. Utraſque vero quarto Eccleſiæ ſæculo proprios obtinuiſſe Epiſcopos certa, explorataque res eſt. Conſulito Ughell. *Tom. III. Ital. Sac. col. 351. T. I. col. 793.* Sanctus Zenobius Florentiæ Epiſcopus erat ſæculo quarto ſub idem tempus, quo Eccleſia Feſulana, quæ tria circiter millia paſſuum a Florentia abeſt, regebatur a S. Romulo, quem perperam nonnulli Apoſtoli Petri Diſcipulum fuiſſe putant. Confer *Exercit. 14. de Roma. D. Petri Itin., & Epiſcop. pag. 352.* doctiſſimi, atque eruditiſſimi Petri Franciſ. Fogginii, in qua Vir eximius hæc de S. Romulo tradit, ac præterea ſcribit, utramque Urbem peculiarem Epiſcopum ab initio habuiſſe.

(4) Hujuſmodi Canon maximè in Africa obſervatus non fuit; hinc Petilianus Donatiſta *Collatione 1. Carthag. cap. 182.* apud Hard. *T. I. Concil. col. 1098.* ita reſpondit Alypio Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo „ Sic etiam tu multos habes (*Epiſcopos*) per omnes agros diſperſos: „ imò crebros ubi habes, ſane & ſine populis habes „. Plures parvas Urbes in aliis Provinciis exſtantes, quæ Sedes erant Epiſcopales memorat Bingamus *opere indic. T. I. l. 2. cap. 12. §. 2. pag. 172. & ſeq.*

(5) Patet hoc ex iis, quæ dicta a me ſunt *pag. 125.*

no CCCCLXXXIV. exules, extorreſque a propriis Eccleſiis facti ſunt, uti narrat Victor Vitenſis (1).

II. Euthalius.

Unius Eccleſiæ Ægypti, & forſitan Alexandrinæ Diaconus erat tempore Concilii Chalcedonenſis. Rogatus ab Amico, cujus nomen manifeſtare noluit, animum ab ſcribendum appulit, ac Epiſtolas Sancti Pauli commentatus eſt anno CCCCLVIII., ut Zacagnius (2), & Pagius (3) opinantur, non verò anno circiter CCCXCVI., ut exiſtimant Wharthonus, & Cave (4). *Ob egregiè præſtitam in Pauli Epiſtolas operam videtur Euthalius Epiſcopalem dignitatem fuiſſe conſecutus*, inquit idem ipſe Zacagnius (5).

De Cathedra, quam conſcendit, maxima eſt difficultas. Vir clariſſimus poſtremò laudatus, tametſi fatetur, ſingulos codices, quos ipſemet, ac Turrianus pervolverunt, Euthalium Præſulem Sulcienſem appellare, tamen pugnaciter defendit non in Sardinia, ſed in *Patriarchatu Alexandrino* Eccleſiam, quam ille adminiſtravit, ſitam fuiſſe: cumque in *notitiis* Eccleſiaſticis nulla Sedes Epiſcopalis *Sulca* vocata ſub Patriarcha Alexandrino reperiatur, exiſtimat aut hanc ad noſtram non manſiſſe memoriam, aut eandem eſſe, ac *Pſelcha* ſeu *Pſelcim* (6). Zacagnio hac in re adſtipulatur Caſimirus Oudinus (7).

Contra ego veriſimillimum eſſe reor, Euthalium Sulcienſem in Sardinia fuiſſe Pontificem. Enim verò cum ſinguli Codices, eodem Viro doctiſſimo teſte, Euthalium Epiſcopum Sulcienſem appellent, quæ ratio amabo eſt, cur huic Eccleſiæ abjudicetur, dicaturque potius Urbis *Sulcæ* ſub Patriarcha Alexandrino Antiſtes, de qua nullam mentionem faciunt Auctor *Itinerarii*, quod vulgò Antonini Auguſti appellatur (8), nullam Auctor *Tabulæ Peutingerianæ* (9), nullam Hierocles

(1) V. quæ diſſerui in *Archiep. Calarit. num.* 111.

(2) *Præfat. in Collect. Veter. Monument. Eccleſ. Græcæ, & Latinæ pag.* 61. *n.* 50., *& in Admonit. ad Opera Euthalii pag.* 402.

(3) *Crit. Baron. ad ann.* 458. *num.* 12.

(4) *Hiſtoria Litteraria ſæc. Ariano pag.* 157. *edit. Genevæ* 1693.

(5) Zacagnius *in Præfat. pag.* 64

(6) Urbem hanc ſitam fuiſſe in Æthiopia ſcribunt Cellarius *Tom. II. Geograph. Antiquæ lib.* 4. *cap.* 1. *pag.* 829., & Martinierus *in Mag. Diction. G. C. ad v.* Pſelcha. Contra Zacagnius *loco modò laud.* in Thebaide poſitam aſſerit. In eadem ſententia eſt Lequienius *Tom. II. Orient. Chriſt. pag.* 615., ubi hujus Eccleſiæ Epiſcopos refert. Porrò Euthalium præterit, quod argumento eſt, duxiſſe revera hanc Eccleſiam illum non gubernaſſe; nam quæ diſputat Zacagnius ei innotuiſſe non dubito.

(7) Caſim. Oudinus *Tom. II. Comment. de ſcript.*, *& Script. Eccleſiaſt. ſæc. V. col.* 1266. *& ſeq.*

(8) De hujus Itinerarii Auctore, atque tempore Eruditi tanta ſunt in varietate, ac diſſenſione conſtituti, ut eorum moleſtum mihi ſit annumerare ſententias. Singulas refert Petrus Weſſelingius *Præfat. ad Itinerarium edit. Amſtelod.* 1735. Is verò licet fatetur, longe ante Conſtantini Magni ætatem illud inceptum eſſe, tamen defendit, quod *hodierna Itinerarii diſpoſitio, & ſtructura* eſt ſæculi quarti.

(9) Tabulæ Peutingerianæ Auctorem, etſi adhuc incognitum vixiſſe circiter Theodoſii Imperatoris ætatem poſt Beatum Rhenanum, Velſerum, alioſque aſſerunt ex iis, quos ego legi, Petrus Bertius *in Judicio de Tabula Peutinger. pag.* 10. Joannes Georgius Lotterius *Diſſert. de Tab. Peuting. pag.* 44., *& ſeq. Tom. VI. Symbol. Gorianarum edit. Ram. Palcar.*, quibus accedit Domin. Vandellius *Memorie intorno alle antiche Carte Geografiche, e particolarmente intorno*

cles Grammaticus (1) licet his omnibus aut ſynchronus, aut ſaltem ſuppar fuit Euthalius : nullam demum alii Scriptores ſive ſacri, ſive profani, ſive veteres, ſive recentes? Nulla item eſt ratio, quamobrem dicatur *Sulca* illa ipſa eſſe, quæ *Pſelcha*, ſeu *Pſelcis* a Scriptoribus vocatur, ſiquidem nec ex Hiſtoricis, nec ex Geographis antiquis exploratum id eſt.

Verum inquiet eximius Zacagnius grecè ſcripſit, & Opus ſuum *in Acta Apoſtolorum* nuncupavit Patriarchæ Alexandrino. Fateor, ſed neutra ratio impedit, quominus ſaltem probabilis dicatur opinio mea : etenim unum præſtare potuit, quia natione Græcus erat, non ſecus ac Irenæus, qui utpote in Græcia natus, græcè ſcripſit, etſi Epiſcopus fuerit Lugdunenſis in Gallia : alterum ob initam cum eo amicitiam, quo tempore Eccleſiæ Alexandrinæ inſerviebat.

Quamquam verò præfatæ rationes nullum negotium faceſſunt, negari tamen non poteſt, haudquaquam deeſſe argumenta, quæ ſententiam meam expugnare prima facie videntur. Graviſſimum, quantum intelligo, eſt ſequens. Euthalius Epiſcopus creatus fuit ob egregiam præſtitam operam in exponendis Epiſtolis Paullinis : eas explanavit anno CCCCLVIII : igitur ejus electio ultra annum CCCCLX., vel circiter protrahenda non eſſe videtur, alioquin ſerò nimis laborum ſuorum præmium obtinuiſſet. Atqui Euthalius hujus Eccleſiæ Præſul non niſi poſt an. CCCCLXXXIV. inaugurari poterat; ſiquidem anno indicato Sulcienſem Thronum tenebat Vitalis, ut nuper narratum eſt, quem fortaſſis multò ante conſcenderat. Neque reſpondendum, primò electum fuiſſe Euthalium in Pontificem alicujus Eccleſiæ Patriarchæ Alexandrino ſubjectæ, deinde mortuo Vitali ad hanc regendam tranſiiſſe; enim verò tranſitus de una ad alteram Sedem anno CCCXXV. a Concilio Nicæno (2), prohibitus fuit, cujus decretum tanta integritate maxime in omni Occidentali Eccleſia, cui etiam Sardinia parebat, obſervatum eſt, ut nono tantum ſæculo ad finem properante, tempore ſcilicet Formoſi, qui cum eſſet Portuenſis Epiſcopus Romanus Pontifex declaratus eſt, primò, faltem in Eccleſia Romana violatum fuerit (3).

no alla Carta detta volgarmente del Pentingero : Exſt. *Tom. XLII. Collect. Opuſcul. Angeli Calogerà pag.* 296. A quibuſdam hæc Tabula dicta eſt *Auguſta*, ac *Theodoſiana*. Adeundi Cellar. *Præfat. ad Tom. I. Geograph. Antiqua*. Joan. Albert. Fabritius *Biblioth. Græca l.4. Tom. 3. Par. 1. pag. 39. in Notis edit. Hamburg.* 1717.

(1) Hieroclem Grammat. *Synecdemum* collegiſſe ſæculo nono ſcriptum a me eſt *Diſſertat. prævia cap. 2. num. 9. pag. 6.* Tametſi intelligo eſſe quoſdam, qui Hieroclem hoc circiter ſæculo vixiſſe opinantur, tamen cum poſteaquam præfata Diſſertatio typis commiſſa jam fuerat, deprehenderim a Petro Weſſelingio *in Prolegomen. in Hierocl. Grammat. Synecdemum pag.* 621., *& ſeq. ed. Amſtel.* 1735. demonſtratum eſſe, citatum Auctorem non ad ſæculum nonum, ſed vel ad finem circiter ſæculi quinti, vel initium ſexti ſpectare. ea, quæ ibidem de Hieroclis ætate ſcripſi retracto, & expungo, Virique eruditiſſimi ſententiam amplector.

(2) *Canone* 15. apud Hard. *Tom. I. Concil. col.* 329. Confer item *can.* 1. *Concil. Sardicenſis* apud eundem *col.* 638. Lupus *Tom. I. Op. in not. ad Can.* 15. *Concil. Nicæni* ſentit, *translationes ab ipſis Apoſtolis vetitas* fuiſſe.

(3) Conſule Mabillonium *Præfat. in V. ſæc. Benedict.* §. 1. *n.6. pag.5. edit. Coletianæ*. Schelſtratius *in Can.* 21. *Concil. Antiocheni cap.* 19. ſcribit, quod Eccleſia Occidentalis ſumma diligentia ad uſque ſæculum nonum Diſciplinam de non transferendis Epiſcopis ſervavit. Vide etiam Chriſtianum Lupum *loco laud.*

Cauſſam, ob quam Euthalius Epiſcopalem dignitatem obtinuit, fuiſſe Commentarios, quos in Apoſtoli Pauli Epiſtolas is perſcripſit, ſola eſt Zacagni conjectura, quæ ceu vera admittenda eſt, ſi cætera cum hac conveniant, rejicienda, ſi eidem repugnent; liquet ex omnibus Operum Euthalii codicibus, hunc Epiſcopatum Sulcienſem geſſiſſe: ergo ſi hoc cum electione ejuſdem in Antiſtitem iſtius Eccleſiæ ſub anno CCCCLX. facta conciliari nequeat, in annum CCCCLXXXV., quo forſitan e vita migrarat Vitalis rejicienda probabiliter eſt. Sed de tempore aſſumptionis Euthalii ad Epiſcopatum nolo cum Viro eruditiſſimo rixam movere. Concedo, circiter annum CCCCLX. Præſulem renuntiatum fuiſſe, at quis prohibet, quin veriſimile eſſe dicamus, primò alicujus Eccleſiæ Patriarchæ Alexandrino ſubjectæ Cathedram conſcendiſſe, poſtmodumque ad hanc Sedem acceſſiſſe? Hoc certè non repugnabat Concilio Nicæno, quod interdixit ſolummodo tranſitus de uno ad alium Epiſcopatum nulla accedente legitima cauſſa: cæterum ſi juſta eſſet ratio, cur hi fierent, eoſdem utique permiſit; hinc in præfato Concilio mortuo Philogonio Epiſcopo Antiocheno ſtatim *communi conſenſu Epiſcoporum, Clericorum, Deique amantiſſimæ plebis* in ejus locum ſuffectus fuit Euſtathius Antiſtes Berrhæenſis, quemadmodum a Theodoreto (1) memoriæ proditum eſt.

Cardinalis Joſephus de Aguirre (2) Vir clariſſimus pluribus demonſtrat, longe ante ſæculum nonum Hiſpaniæ Epiſcopos unam Eccleſiam cum altera commutare conſueſſe. Porrò ſi hoc factum eſt in Occidente ea ætate, qua Eccleſia ſumma fruebatur pace, etſi patiar idipſum non in ſingulis Provinciis, & communiter eveniſſe, negandum tamen eſſe haud videtur, hujuſmodi tranſitus accidiſſe aliquandò, maximè in iis regionibus, quas inter erat Sardinia, a Vandalis vexatis; tunc enim difficiliter Dogmata, Diſciplina autem Eccleſiaſtica vix, aut ne vix quidem ſervabatur.

Ultra annum CCCCXC. vitam protraxit Euthalius. Is enim Commentarios, quos *in Acta Apoſtolorum* confecit obtulit Athanaſio Patriarchæ Alexandrino, non quidem Primo, uti Franciſcus Turrianus duxit (3), ſed Juniori cognomento *Celete*, ſeu *Hermioſo*, qui judicibus Pagio (4), & Sollerio (5), anno, quem ſupra indicavi, ad Cathedram Alexandrinam evectus eſt. Præter *Acta Apoſtolorum*, ac *Epiſtolas Paullinas* expoſuit etiam *Epiſtolas Canonicas*. Ex his de vera Fide male ſenſiſſe non apparet, ſed cum poſtremum ſuum Opus Athanaſio hæretico nuncuparit, & ipſum hæreſi adhæſiſse ſuſpicari fas eſt (6).

III. Libertinus, vel Innocentius.

Horum Epiſcoporum alterum ætate S. Gregorii Magni Sulcitanam rexiſſe

(1) Theodor. *Hiſtor. Eccleſ. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 23. *edit. Taurin.* 1748.
(2) *Tom. I. Collect. Concil. Hiſpan. Diſſert.* 11. *Excurſ.* 5. *&* 6. *pag.* 180., *& ſeq.*
(3) Apud Zacagnium *in Præfat. pag.* 66.
(4) *In C. B. ad an.* 490. *num.* 24.
(5) *Hiſt. Chronol. Patriarch. Alexandrin. num.* 28. exſt. *Tom. V. Junii Bolland.*
(6) Pagius *ad ann.* 458. *n.* 12. „ Licet Euthalium hæreticum fuiſſe ejus Opera non oſtendant, „ cum tamen Patriarchæ hæretico, hunc ultimum ſuum Librum (*Commentarios in Acta Apoſtolorum*) dicarit, eum Catholicum extitiſſe certum non eſt, præſertim cum tunc Concilii „ Chalcedonenſis occaſione Catholici ab Hæreticis in ea Diœceſi tantopere abhorrerent. „

xiſſe Eccleſiam conjicitur ex ejuſdem Pontificis Epiſtolis (1).

IV. RAYMUNDUS I.

Simul cum Virgilio Epiſcopo Dolienſi anno MLXXXIX. 2. Kalen. Junii Indic. 12. ſubſcripſit diplomati fundationis Monaſterii SS. Georgii, & Geneſii factæ in Sardinia ab Arzone Rege, & Conſtantino ejus Filio (2). In præfato diplomate nomen iſtius Antiſtitis, fugientibus characteribus non legitur, ſed eruditiſſimus Martene (3) exiſtimat, eſſe Raymundum, eum ſcilicet, qui poſt Virgilium paullo ante citatum ſubſcripſit litteris Hugonis Archiepiſcopi Calaritani anno MXC.

V. ARNALDUS.

Ex Monacho Monaſterii Maſſilienſis Sancti Victoris Ordinis Benedictini inauguratus eſt Epiſcopus Sulcitanus, ſed quo anno mihi non conſtat. Hic nobis innoteſcit ex duobus diplomatibus ab ipſomet ſubſcriptis, & confirmatis anno ab Incarnatione Domini MCXII. Indic. V. 6. Nonas Maii. Unum eſt Mariani Judicis, ſeu Regis Calaritani pro Monaſterio modo indicato; alterum Epiſcopi Dolienſis, quo eidem Monaſterio confirmavit Eccleſiam Sanctæ Mariæ *de Arco* (4).

VI. AYMO.

Eugenius III. Romanus Pontifex, qui ab anno MCXLV. ad uſque MCLIII. in Cathedra Petri ſpiritum duxit, ſcripſit Epiſtolam ad Villanum Archiepiſcopum Piſanum, qua ei in mandatis dedit, ut Sulcitanum Epiſcopum, qui, ut Eugenio ſignificatum fuerat, ſex Eccleſias Raymundi Abbatis Caſſinenſis injuſtè retinebat, in jus vocaret, ac liti, quæ inter eundem, & Monachos verſabatur, finem imponeret (5). Præfata verò Epiſtola eſt hujuſmodi.

Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Villano Piſano Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Adverſum Venerabilem Fratrem noſtrum A. Sulcenſem Epiſcopum dilecti Filii noſtri Raynaldi Caſſinenſis Abbatis querelam frequenter accepimus, quod ei de ſex Eccleſiis videlicet Sancti Vincentii de Taverna, S. Mariæ de Flumine Tepido, S. Marthæ, & S. Pantaleonis de Olivano, & S. Georgii de Tulvi, & S. Mariæ de Palma, quas ad jus Monaſterii ſui aſſerit pertinere, injuriam faciat, & eas per violentiam, & injuſtè detineat. Quia ergo idem Monaſterium ad juriſdictionem B. Petri ſpeciali prærogativa pertinere dignoſcitur, & in ſua ei juſtitia deeſſe non poſſumus, nec debemus, per præſentia ſcripta Fraternitati tuæ mandamus, quatenus prædictum Fratrem noſtrum proximis Kalendis Maii pro eadem controverſia terminanda ante tuam præſentiam evoces, & allegationibus, ac rationibus utriuſque partis diligenter auditis, recognitis, per judicium, vel concordiam eidem cauſſæ finem debitum Domino autore imponas. Prædicto ſiquidem termino memoratus Abbas pro eadem cauſſa ſufficientes perſonas ad tuam præſentiam deſtinare curabit: Quædam alia hac eadem Epiſtola Eugenius commiſit Villano, ſed cum ad rem præſentem non faciant, ſilentio prætereo.

Sul-

(1) Confer, *quæ diximus in Epiſ. Foro-Trajanenſ. num.* 11.

(2) Vid. *Annal. O. S. Bened. Tom. VI. in Addend. & Corrig. pag.* 616.

(3) *Præfat. in Tom. I. Veter. Monum. pag.* 58.

(4) Exſt. apud Mart. *eodem Opere col.* 629. *& ſeq.*

(5) Exſt. apud Gattolam *Par.* 1. *Hiſt. Abbat. Caſſ. ſæc.* 6. *pag.* 155.

Sulcienſem Antiſtitem in Pontificia Epiſtola ſola littera A. deſignatum, reor eſſe *Aymonem* illum, qui, ut auctor eſt Martene (1), interfuit concordiæ initæ anno MCLXIII. inter Bonitum Calaritanum Præſulem, & Monachos Caſſinenſes.

VII. Bandinus.

Eccleſiam Sulcitanam regebat anno MCCVI. die 22. menſis Maii. Patet hoc, ut auctor eſt Vicus (2), ex *Inſtrumento*, quo per idem tempus Benedicta *de Lacceno*, ejuſque Filius Gulielmus dono dederunt Eccleſiæ Sancti Antiochi Inſulam Sulcienſem. Hujuſmodi tamen *Inſtrumentum* vereor, ne eruditis ſuſpectum admodum ſit.

VIII. N.

Concilio totius Sardiniæ Bonarcadæ anno MCCLXIII. celebrato, de quo in Hiſtoria Archiepiſcoporum Turritanorum diſſeram, interfuit Epiſcopus Sulcitanus, ſed ejus nomen compertum non habeo.

IX. Comes.

X. Bonifacius.

Spiritum ſatori Deo tradidit circiter annum MCCCXXV. Apparet hoc ex Luca Wadingo, qui unus ex Hiſtoricis, quos legimus, de Comite mentionem facit. Ejus patria, inſtitutum, ac tempus, quo ad Epiſcopalem dignitatem evectus fuit, penitus ignorantur.

In Comitis locum ſuffectus eſt *Frater Bonifacius* noſtri Ordinis alumnus, Filius nobiliſſimi Comitis Raynerii *de Donoratico*, *al. della Gherardeſca* patria Piſani, a Capitulo Sulcitano, quem Archiepiſcopus Calaritanus inſcius, Joannem XXII. ſibi electionem reſervaſſe, confirmavit, conſecravitque, ſed Pontifex electionem & confirmationem ratas non habuit, aliumque Antiſtitem Sulcitanæ Eccleſiæ paullò poſt præfecit. „ Nos (*verba ſunt Pontificis*) „ electionem, & confirmationem eaſ„ dem, utpote poſt, & contra reſer„ vationem, & decretum præfata at„ tentata irrita, & inania decernen„ tes, aliam perſonam ipſi Sulcitanæ „ Eccleſiæ præfecimus in Epiſcopum, „ & Paſtorem, ſicque tu Epiſcopus „ nullius Eccleſiæ remanſiſti „ (3).

Bonifacius a Sulcitanæ Eccleſiæ adminiſtratione prohibitus, non recordor, me unquam apud Wadingum, alterumve noſtri Ordinis Hiſtoricum legiſſe, quo ſe tandem receperit: attamen quantum conjectura ſatis probabili aſſequor, Avenionem petiit, & in Præſulibus Domeſticis Joannis XXII. numeratus eſt; etenim inter Epiſcopos, qui in Aula Pontificia Avenione reſidentes *Indulgentias* conceſſerunt anno MCCCXXVIII. nono Cal. Julias, Eccleſiæ Collegiatæ B. Martini Heiligenſtadienſis Moguntinæ Diœceſis, & Sacello Sancti Laurentii eidem annexo, Bonifacius quoque *Salatanenſis* (leg. *Sulcitanenſis*) recenſerur (4).

Vitam pariter Avenione agebat biennio poſt, prout apparet ex litteris anno MCCCXXX. tertio Idus Martii ea in Urbe datis, quibus is una cum pluribus aliis Antiſtitibus elargitus *Indulgentias* eſt noſtræ Eccleſiæ Sancti Fran-

(1) *Tom. I. Veter. Monument. col. 658. in Notis.*

(2) *Tom. II. Hiſtor. General. Sard. Par. 4. cap. 35. Fol. 87.*

(3) Confer *Conſtitut. 264. Joann. XXII. apud Wad. T. VII. Ann. Min. in Reg. Pontif. pag. 441. ed. Rom.*, item Wad. ipſum *T. V. ad an. 1396. n. 13.* Lege etiam P. a Terrinca *Theat. G. M. Prov. Tuſciæ Par. 2. tit. 1. pag. 92.*

(4) Exſt. eorum Epiſt. apud Bolland. *T. III. ad diem 16. Junii pag. 83.*

Franciſci Urbis Recineti (1). Veriſimile eſt Bonifacium, moram ibidem traxiſſe uſque ad an. MCCCXXXII., quo tertio Nonas Junii Epiſcopus Corbanienſis Eccleſiæ olim in Croatia ſub Archiepiſcopo Spalatenſi electus eſt ab eodem Joanne, *ne in obbrobrium Epiſcopalis dignitatis* langueret *præ tædio egeſtatis* (2).

XI. Angelus Portasole.

Patria Peruſinus tredecim annos natus Dominicanorum inclytæ Familiæ nomen dedit. Emenſo ſtudiorum curriculo celebris evaſit Theologus, unde in pluribus ſui Ordinis Romanæ Provinciæ Cœnobiis Philoſophiam, & Sacram Theologiam docuit. Sacris etiam Concionibus navavit operam, ac plures vitiis impliciti illius ſuaſione eiſdem vale dixerunt. Joannes XXII. R. P., qui eum probe noverat, ſanctitatis, doctrinæque fama permotus ſuum Pœnitentiarium elegit. Anno verò MCCCXXV. eum Eccleſiæ Sulcitanæ in Sardinia ob privationem Bonifacii præfecit, quam rexit uſque ad annum MCCCXXX., quo Groſſetanus in Tuſcia Epiſcopus creatus eſt pridie Idus Februarii.

Sardiniam deferens ad novam Diœceſim, cui Romanus Pontifex eum præfecerat, moderandam petiturus Avenionem acceſſit, ubi Joannes XXII. morabatur, annoque paullo ante indicato tertio Idus Martii ſimul cum Bonifacio noſtro, & quammultis aliis Præſulibus *Indulgentias* a Fidelibus variis anni diebus acquirendas contulit, de quibus ſupra diſſerui, noſtræ S. Franciſci Eccleſiæ oppidi Recineti.

Cum Ambroſius de Altamura (3), tum quædam Inſcriptio Angelo noſtro dicata, quam mox referam, aſſerunt Epiſcopum fuiſſe Groſſetanum, Sulcitanum non item. Nihilo tamen minus in controverſiam vocari non poteſt: præterquam enim quod, Sulcitanum extitiſſe Epiſcopum, in ſcriptis reliquerunt Ughellius (4), Echardus (5), & alii, rem extra omnem dubitationis aleam ponunt verba hæc Pontificis (6) „ Nuper ſiquidem vacante Sulcitana Eccleſia pro eo, quod nos „ Venerab. Fratrem noſtrum Angelum „ Groſſetanum, tunc Sulcitanum Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam „ conſtitutum, a vinculo, quo tenebatur eidem Sulcitanæ Eccleſiæ, cui „ tunc præerat, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum „ ad Groſſetanam Eccleſiam tunc vacantem duximus transferendum. „

Extremum diem morte confecit anno MCCCXXXIV. in Pago *Hiſchia* non longe ab Urbe Groſsetana, & circa fluvium, quem Itali *Ombrone* appellant, poſito, non ſine magna ſanctitatis fama; hinc hujus meminere Bollandiani (7) in Actis Sanctorum, innixi teſtimonio Jacobilli ſequentem re-

(1) Hujuſmodi litteras recitabimus ad calcem Operis in Appendice, in qua nonnulla monumenta nondum in lucem emiſſa exhibebimus.
(2) Lege-ſis *Conſtitut. nuper citatam*.
(3) Biblioth. Dominic. *Cent.* 2. *pag.* 513.
(4) *Tom. III. J. S. in E. Groſſ. col.* 666.
(5) *Tom. I. Script. O. P. pag.* 589.
(6) Conſule ejus Conſtitut. incipien: *Regimini Univerſalis Eccleſ.* apud P. Monſignanum *Tom. I. Bull. Carmelitarum pag.* 555. *edit. Rom.* 1715.
(7) *Tom. III. Februar. ad diem* 22. *inter prætermiſſos &c.*

Digitized by Google

referentis Inſcriptionem (1), quæ legitur Peruſii in Eccleſia Dominicanorum, infra ejus Imaginem. B. F. Angelus Perusinus ob eximiam virtutem, ac vitæ Sanctitatem a Joanne XXII. Romæ Poenitentiarius electus, et ab eodem Episcopus Grossatenus creatus, obiit MCCCXXXIV. hischiæ. Scripſit nonnulla Opuſcula, quæ laudant Altamura, & Echardus.

XII. Bartholomæus.

Per translationem Angeli ad Epiſcopatum Groſſetanum, Eccleſiæ Sulcitanæ regimen ſuſcepit Bartholomæus Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, qui antea Pœnitentiarii Pontificii munere functus erat (2). Biennium duntaxat Eccleſiam hanc adminiſtravit; nam anno MCCCXXXII. iter carpſit ſupremum (3).

XIII. Gulielmus Jornetti.

In locum demortui Bartholomæi lectus eſt Gulielmus Ordinis Minorum, anno, quem ſupra indicavi, die 24. Aprilis (4).

XIV. Franciscus.

E vita migravit anno MCCCLXV. Hac de re teſtis eſt Wadingus (5).

XV. Leonardus.

Mortuo Franciſco Canonici Sulcitani in Paſtorem elegerunt Leonardum de Ordine Fratrum Minorum. Electionem hanc utpote factam a *Capitulo*, cui facultatem Joannes XXII. abſtulerat, ut ſupra narravi, irritam primò habuit Urbanus V., qui Joanni ſucceſſerat. At vero paullo poſt, anno ſcilicet modo laudato, quinto Calen. Novembris eam confirmavit (6).

XVI. Conradus a Cloaco.

Patria Januenſis poſt Leonardum hanc adminiſtravit Eccleſiam uſque ad annum MCCCXC., quo decimo Calen. Maii tranſiit ad Sedem Amerinam in Umbria, quam biennio poſt commutavit cum Arborenſi item in Sardinia, & illam quatuor poſt annos cum Naulenſi in Liguria (7).

XVII. Blasius.

Sulcitanus Epiſcopus inſtitutus eſt anno MCCCXCVI. die 21. Novembris. Apparet id vero ex Actis Concilii Piſani (8), cui an. MCCCCIX. is interfuit.

XVIII. Joannes I. Cassanus.

Ex Ordine Eremitarum Sancti Auguſtini Epiſcopatum obtinuit a Benedicto XIII. Pſeudopontifice an. MCCCCXVII. die 4. Maii, quemadmodum ex Herrera ſcribit Torellus (9). Confirmatus poſtea fuit a Martino V. legitimo Papa; nam, ut idem Torellus narrat (10), anno MCCCCXXIV. *Collectoris* Apoſtolici munere juſſu Pontificis fungebatur in Corſicæ, & Sardiniæ Regnis.

XIX.

(1) *Tom. I. SS. Umbriæ ad diem 22. Februar.*
(2) Conſulenda *Conſtitut. citata.*
(3) V. Conſtitut. *Joan. XXII.* incipientem: *Paſtoralis Officii* apud Wad. *T. VII. in R. P. pag.* 440.
(4) Lege *Conſtitut. laud.*
(5) *Tom. VIII. Annal. O. M. ad eum ann. num. 6. pag.* 183.
(6) Lege-ſis Wading. *loco modo laud.*
(7) Conſulendus Ughell. *Tom. I. in Epiſ. Amer. col.* 301., & *T. IV. in Epiſ. Naul. col.* 1007.
(8) Apud Manſium *T. III. Supplem. ad Concil. Veneto-Labbe. col.* 1063.
(9) *Tom. VI. ſæc. Auguſtin. ad ann.* 1417. *num.* 7.
(10) *Ibidem ad eum an. num.* 8.

XIX. RAYMUNDUS II.

Ad Epiſcopalem dignitatem evectum fuiſſe Raymundum nec Wadingus, nec eorum alter, qui res Franciſcanas tractarunt, memoriæ prodidit. Exploratum eſt tamen, Sulcitanam Diœceſim adminiſtraſſe, ex monumento aſſervato Niciæ in noſtra Eccleſia, quod cùm non tantum ad rem meam, verùm etiam ad Hiſtoriam Ordinis illuſtrandam, conferat, hic exſcribo (1).

„ Anno Domini MCCCCXLII., & „ die 28. menſis Decembris. Noverint „ univerſi præſentes pariter, & futu„ ri, quod nos Raymundus Divina gra„ tia Epiſcopus Sulcitanus in Sardinia, „ Ordinis Fratrum Minorum, benedi„ ximus, & conſecravimus Altare San„ cti Antonii de Padua infra Eccle„ ſiam dictorum Fratrum Civitatis præ„ ſentis Niciæ, demum ſubſequenter „ die craſtina Altare S. Laurentii, & „ alio die Altare undecim millium „ Virginum, & decem millium Mar„ tyrum, & alia Altaria videlicet „ S. Franciſci, Annunciationis Virginis „ glorioſæ, Apoſtolorum Petri, & Pau„ li, Beatæ Mariæ retrò portam dictæ „ Eccleſiæ, B. Mariæ Capellæ Sardi„ norum retrò chorum, S. Joannis, & „ Ludovici: cum conſecraſſemus, ſi„ cut in omnibus ſigna, quod conſe„ crata fuerant, faciendo reſpici, re„ perimus, ſcilicet reliquias SS. in „ columnis conditas, & in teſtimo„ nium veritatis hanc cedulam ſcribi „ juſſimus, & propria manu nos ſub„ ſcripſimus, & ſigillum Epiſcopale „ cum noſtris armis, quo utimur, ap„ poni fecimus „.

Wadingus paullo ante citatus (2) meminit cujuſdam Raymundi *de Turribus* Provinciæ Aragoniæ alumni, qui annò MCCCCXXXVIII. Vicarius Ordinis in Sardinia erat. Verum utrum hic idem ſit, atque Raymundus noſter, certò aſſerere non auſim.

XX. SISSINUS.

Succeſſit Raymundo, qui niſi ante obitum Eccleſiam ſuam dimiſerit, neceſſe eſt aſſeramus, paucos menſes hanc Sedem occupaſſe Siſſinum; nam hic ante diem 24. Julii anni MCCCCXLIII. factus erat Epiſcopus Ampurienſis (3).

XXI. ANTONIUS PRESTO.

Ex inſtituto Sancti Dominici, Sacræ Theologiæ Magiſter, Sulcitanis infulis ornatus eſt anno, & die modo a me indicatis (4).

XXII. GARZIAS.

Quod de Garzia compertum habeo, eſt, hunc in Filiorum S. Franciſci cœtum lectum fuiſſe, antequam Epiſcopus Sulcitanus inauguraretur an. MCCCCXLVII. X. Cal. Octobris.

Lucas Wadingus (5) ſcribit, Nicolaum V. Pontificem Maximum Eccleſiæ Sulcitanæ Garziam præficiendo conjunctioni factæ hujus Sedis cum *Dolienſi* derogaſſe, quibus verbis indicat, hos duos Epiſcopatus a nonnullis annis fuiſſe inter ſe unitos. An ita res acciderit, an verò eruditus Auctor id memoria lapſus dixerit, ſicuti eodem laborans vitio aſſeruit, Epiſcopum *Sul*-

S cien-

(1) Refertur a Petro Joſrido *in Nicia Civit. Illuſt. T. IX. Par. 2. Theſau. Burmanniani col.* 188.

(2) *Tom. XI. Annal. Min. ad eum an. num. 28, pag.* 49.

(3) Confer Conſtitut. incipien. *Romani Pontificis* eo an. dat. 9. Calend. Auguſt. apud Bremond. *Tom. III. Bullar. O. P. pag.* 231.

(4) Id liquet *ex Conſtitut. indicata.*

(5) *Ad an.* 1447. *num.* 65. *Tom. XI. pag.* 311.

cienſem ſubjectum fuiſſe Archiepiſcopo Turritano, alii quærant; (mihi enim non vacat.

XXIII. JULIANUS MATOVI.

P. Vincentius Maria Fontana (1) de Epiſcopis, qui ex Ordine Prædicatorum Eccleſiam Sulcitanam rexerunt, verba faciens tradit *ex libro Proviſianum Prælatorum*, Pium II. ad hujus regimen aſſumpſiſſe Julianum 8. Idus Novembris an. MCCCCLXI. Vixit plures annos in Epiſcopali conſtitutus dignitate, ac mortuus eſt anno circiter MCCCCLXXXVII. (2).

XXIV. SIMON VARGIUS.

Per obitum Juliani Innocentius VIII. Pontifex Maximus renuntiavit Epiſcopum Simonem profeſſione Franciſcanum, anno, quem paullo ante indicavi, pridie Nonas Aprilis (3).

XXV. JOANNES II. PILARES.

Is hanc rexit Diœceſim tempore, quo Sedes Epiſcopalis erat in *Villa Eccleſiæ*; quæ cum poſtea Metropoli Calaritanæ annexa eſſet; Joannes item ad eam aſſumptus fuit (4).

Wadingus (5) poſt Illmum Rodulphium (6) aſſerit, Petrum Fugetium, ſeu Fugetum Franciſcanum in Epiſcopum Cherſonenſem in Thracia electum anno MDXXVII. die 18. Februarii, factum fuiſſe *Coadjutorem*, ut loquuntur, Epiſcopi Sulcitani. Hæc ſanè obſtant iis, quæ de translatione hujuſce Sedis ad Oppidum Eccleſienſe, & conjunctionis cum ſua Metropolitana ætate aſſerta a me ſunt eruditiſſimi Martenii (7), & Vici (8) veſtigia prementes. Quemadmodum conciliari queant non video, niſi dicamus aut præfatos Auctores unum Epiſcopatum pro altero ſcripſiſſe, aut narraſſe factum eſſe ſuffraganeum Sulcitanum an. MDXXVII; cum revera narrare debuerint, tale munus longe ante geſſiſſe, & fortaſſis eo tempore, quo Antiſtes erat Simon Vargius Frater Minorita non ſecus, ac Petrus.

ECCLESIA TURRITANA.

Celeberrima Sardiniæ Civitas, quæ a Ptolemæo (9) *Turris Byſſonis*, a Plinio (10) *Turris Lybiſſonis*, ab Anonymo Ravennate (11) *Turris Libriſonis*, ab Antonino vero (12), nec non ab Auctore Tabulæ vulgò Pœutingerianæ (13) *Turris* tantum dicitur, ſita erat in ora maritima, & habita Inſulæ ratione ad Septemtriones vergebat. Colonia appellatur a Plinio (14), a Mela autem, ac Strabone ne memoratur quidem.

Olim

(1) *Theat. Dominic. pag.* 301.
(2) Adi-ſis Wading. *Tom. XIV. Annal. Min. ad eum an. num.* 31.
(3) Conſulatur Wading. *loco cit.*
(4) V. *Seriem Archiep. Calarit. num.* 43.
(6) *Ad eum ann. num.* 16. *Tom. XVI. pag.* 247.
(7) *Hiſt. Seraph. lib.* 2. *Fol.* 234.
(7) *Tom. I. Veter. Monum. col.* 629. *in Not.*
(8) *Tom. II. Hiſtor. Sard. Par.* 6. *cap.* 47.
(9) *Lib.* 3. *Geographiæ cap.* 3. *pag.* 51. *edit.* 1541.
(10) *Lib.* 3. *c.* 7. *n.* 13. *pag.* 161. *edit. Pariſ. Harduini.*
(11) *Lib.* 5. *Geograph. n.* 26.
(12) *In Itinerario pag.* 83. *edit. Weſſelingiana.*
(13) Exſt. inter Op. Marci Velſeri *pag.* 734. *edit. Norimb.* 1682.
(14) *Loco modo laud.*

Olim fuit ſatis copioſa, unde inter decem & ſeptem celebriora Sardiniæ oppida numeratur ab eodem Plinio (1): nunc autem diruta eſt, nihilque aliud ſuperſtes exiſtit, quam Eccleſia, Portus, & nomen.

De iis, qui primum hanc incoluerunt, legibus fundarunt, nomenque indiderunt, plura diſputant Sardi, ſed mea ſententia nulla ſuffulti ratione. Antiqui, & Recentes etiam, ut Baudrand, Martinierus, & ſi qui alii ſunt, qui Eruditorum plauſu in Geographia conſcribenda ſe verſarunt, de Turritanæ Urbis primordiis ſilent omnino.

Quæ comperta ſunt tam de tempore, quo Civitas Turritana Epiſcopos habere cœpit, quam de tempore, quo illius Eccleſia in Metropolim erecta eſt, cum alibi expoſuerim (2), actum agerem, ſi denuò eadem narrarem. Itaque breviter decurram nonnulla de magnifici Templi Turritani Sanctis Gavino, & Criſpolo dicati origine, dicturus poſtea de translatione Sedis ad Urbem Saſſaritanam. Cathedralis Turritana ædificari cœpit, ſi qua Vico fides (3), poſt annum CCCCLXXIII. a Comita Judice *Logodorenſi* in quiete admonito ad id patrandum a S. Gavino, perfecta autem eſt a Dorgodorio, qui Comitæ ſucceſſit.

Ad umbilicum ducta, conſecrata fuit die quarta Maii anni DXVII., uti ex epigraphe ſuper portam Eccleſiæ poſita apparet. Ejuſmodi Solemnitati adfuiſſe omnes Epiſcopos Inſulæ ſcribit idem ipſe Vicus (4), qui præterea addit, Romanum illius temporis Pontificem ad illam peragendam Roma Cardinalem miſiſſe, atque hunc poſtmodum plures elargitum eſſe *Indulgentias* Eccleſiam viſitantibus integro menſe Maii, ſingulis Quadrageſimæ Sabatis, hebdomada ſancta, & die vigeſima quinta Octobris, qui feſtus eſt Sancti Gavini (5).

Quamplura alia ſunt, quæ occaſione

(1) *Ibidem* (2) *In Diſſertat. prævia cap. 4., & 5.*

(3) *Tom. II. Hiſt. Gener. Sard. Par. 6. c. 4. Fol. 18. edit. Barchin. 1639.* (4) *Loco laud.*

(5) Hæc falſa eſſe quiſque videt, dummodo illiteratus omnino non ſit. Præter quam enim quod nullo fulciuntur antiquo teſtimonio; quorſum tandem, Deus bone, Cardinalis miſſus eſt ad Turritanam Eccleſiam conſecrandam? Nunquid Solemnitatem illam æque ſplendidam reddere nequibat aut Calaritanus Archiepiſcopus, aut alter Sardiniæ Præſul? Neminem natum id inficias iturum eſſe reor, quippe exploratæ fidei eſt, per ea tempora Cardinales longe inferiores Epiſcopis fuiſſe gradu, & dignitate. Confer Cohelium *in Notit. Card. cap. 8. pag. 17. edit. 1653.* Barboſam *lib. 1. Juris Eccl. univerſi cap. 3. num 7. pag. 46. edit. 1706.*, & quos ille *ibidem* laudat, qui tamen in eo peccant, quod velint, id obſervatum fuiſſe uſque ad finem ſæc. XIII. & initium XIV. Eruditiſ. namque Pagius noſter *Præfat. in Breviarium Pontif. num. 11., & ſeq.* demonſtrat, ſæc. VIII. Cardinalium dignitatem magnam fuiſſe, & medio ſæc. nono etiam ſuperiorem Epiſcopali. *Indulgentias* verò, quas vir bonus ait, conceſſas fuiſſe occaſione conſecrationis Eccleſiæ, cæcus eſt, qui commentitias minimè ſentit. Tametſi enim doctiſſimi Card. Baronius *Tom. XIII. Annal. edit. Antverſ. ad ann. 804. num. 2. & ſeq. Tom. XIV. ad an. 847. num. 4., & aliis in locis*, ac Bellarm. *Tom. II. controverſ. lib. 1. de Indulg. cap. 3. pag. 528. edit. Colon. Agrip. 1628.*, qui plures alios Theologos, & præeuntes, & ſectatores habuere, in ea fuerint ſententia, ut judicarent, *Indulgentias* eo pacto, quo nunc conceduntur, Eccleſias præſertim viſitantibus largitas fuiſſe ante ſæculum Eccleſ. X. tamen opinionem hanc improbant quotquot diligentius, & majori cum laude in antiquitatibus Eccleſiaſticis perſcrutandis verſati ſunt. Adeundi Mabillon. *Præfat. in ſæc. 5. Benedict. n 107. & ſeq.* exſt. initio *Tom. VII. Act. SS. Bened.* Papebroch. *in Conatu Chron. Hiſt. Diſſert. 29.*, al. 17., *Diſſertat. 25.* al. 20. *num. 9.*, ac uterque noſter Pagius, alter *in C. B. ad an. 847. num. 4. & ſeq.* alter *in Vita Sergii II. R. P. num. 11. & ſeq.* Conſulito etiam Euſebium Amort

ſione Dedicationis Eccleſiæ Turritanæ peracta a Cardinali, aliiſque Præſulibus Sardis eſſe litteris conſignavit nimis credulus Vicus, ita ut ſi vellem ſingula perſequi, tempus me deficeret. Ea ergo miſſa faciam, quippe pauca modò delibata plus ſatis ſunt ad oſtendendum, quo in numero habendus ſit is, qui antiqua narrat non ſolum ſine veterum Scriptorum, aliorumve monumentorum auctoritate, ſed ne conſentanea quidem eorum temporum diſciplinæ.

Verum ne mea longius aberret oratio, ad propoſitum nunc revertor. Epiſcopus Turritana in Urbe reſedit uſque ad ætatem Eugenii IV. Is, poſtulantibus Archiepiſcopo, & Canonicis Turritanis, annuit, ut Saſſarim Sedes Turritana transferretur anno MCCCCXLI, atque ita in Cathedralem erecta eſt Eccleſia Sancti Nicolai, quæ antea fuerat *Plebania* magnis ditata proventibus (1).

Quamdiù Sedes fuit Turribus, *Capitulum* conſtabat duodecim Canonicis, & una tantum Dignitate, nempe Archipresbytero. At poſt translationem Saſſarim, & ante annum MDCXL. auctum illud fuit duobus Canonicis, aliaque Dignitate, ſcilicet Decano: per hæc verò tempora numerantur etiam Archidiaconus, & tres alii Canonici cum Præbenda Pœnitentiarii, item duodecim *Beneficiati*, ut ajunt. Archiepiſcopus Turritanus non ſecus, ac Calaritanus gaudet titulo *Vexillarii S. R. E.* ſibi a Paulo III. conceſſo, & in publicis ſupplicationibus Vexillum defert (2), tametſi anno MDXLIII. die ſexta Maii D. Antonius de Cardona Sardiniæ Prorex id prohibuerit, neſcio quo jure, Salvatori Alepuſio Turritano Præſuli, ejuſque ſucceſſoribus (3). Plures olim habuit Epiſcopatus ſuffraganeos, nunc tres tantum ex iis ſuperſtites ſunt (4), de quibus ſuo loco agemus. Menſa Archiepiſcopalis in *Camera* Apoſtolica taxatur ad Florenos 583 $\frac{1}{3}$; ejus annuus redditus aſcendit ad ſcuta Rom. 4000.

Cum a pluribus annis Præſul Turritanus Saſſari reſideat, uti dictum eſt, Lectores crimini optimo jure mihi vertere poſſent, niſi de hac Urbe breviter nonnulla differerem. Saſſaris ergo Civitas ſita minime eſt, ubi olim poſitum erat Turritanum oppidum, quemadmodum memoriæ prodidit eruditiſſimus Harduinus (5), ſed ab eodem diſtat in meridiem duodecim circiter millia paſſuum.

Amort *Hiſtoria Indulgentiarum Par. 1. Sect. 1. num. 42. pag. 36. & ſeq. edit. Venet.* 1738., ubi Franciſci Pagi, Papebrochii, & aliorum, qui in hoc argumento cum laude verſati ſunt, in unum vir clariſſimus collegit. Hæc cum ita ſe habeant, vehementer ſuſpicor, falſum eſſe Sancti Gavini Eccleſiam conſtructam ſæculo æræ vulgaris quinto, & anno DXVII. conſecratam fuiſſe, tametſi referente Vico *Tom. II. Hiſt. Generalis Sard. cap. 4. n. 37.* ſequens ſuper ipſius portam legatur Inſcriptio: *Conſecrata fuit Eccleſia Sancti Gavini de Turribus die IV. Maii Anno Domini DXVII.* Eruditiſſimus Papebrochius *in Actis Sancti Georgii Epiſcop. Suellen. Tom. III. Aprilis ad diem 23. num. 4.* ſcribit, eſſe quoſdam, qui dicunt, præfatam Eccleſiam *annis octingentis poſt obitum Sancti Martyris* (Gavini) *primum eſſe extructam, ſæculo ſcilicet XII.*

(1) Conſule Vitalem *Appar. ad Annal. Sard. col.* 33., ubi refert etiam fragm. Conſtitutionis Eugenii IV. incip. *Super Univerſas* &c. (2) Confer P. Vitalem *ibidem*.

(3) Epiſtola, qua Prorex id vetuit Archiepiſcopis Turritanis refertur ab Ambroſio Machino *lib. 2. operis alibi cit. pag.* 184.

(4) Eruditus Cantelius *Hiſt. Metropol. Urbium Par. 3. Diſſert. 6. cap. 7.* ſcribit, Archiepiſcopum Turritanum duos tantum habere Epiſcopos Suffraganeos, Boſanenſem nimirum, & Ampurienſem, ſed errat, nam etiam Algarienſis Præſul ei obtemperat.

(5) *In notis ad locum citatum C. Plinii.*

ſuum. Veteres Geographi hujus non meminere, Recentiores verò omnes. Quando gentium Civitas declarata fuerit, mihi non conſtat. Antiquius monumentum a me lectum, in quo Saſſaris vocetur Civitas, non ſuperat annum MCCXCIII. (1). Quantum Inſula patitur, ſatis amæna eſt, ſed parum munita. Sunt in ea, & circa illius mœnia Convent. duo PP. Dominicanorum, Franciſcanor. Conventual., Auguſtinianorum, duo Carmelitarum, Servorum B. M. V., Mercenariorum, Trinitariorum, Minor. Obſervantium, Capuccinorum, Domus *Profeſſa*, & Collegium PP. Jeſuitarum, nec non S. Joannis de Deo; tria Monaſteria Monialium, nempe S. Claræ, S. Eliſabeth, & Capuccinarum; exſtat item Seminarium Clericorum, quod erectum fuit circa annum MDCXIV. ad Antonio Canopolio (2), & ei præſunt Patres Societatis Jeſu.

Ne quid omittere videar, quod ad hanc Urbem magis decorandam facere queat, ſilentio prætereundum mihi non eſſe reor, Saſſaritanum fuiſſe Civem Patrem Franciſcum Ziranum ſæculi proximè exacti initio in Africa pro Chriſti Fide trucidatum. Cum jam uſque ab anno circiter MDXC. ſub immani Algarienſis Regis jugo gemeret P. Franciſcus Serra patria, Ordinis ſodalitate, ſummaque ſanguinis propinquitate Zirano conjunctus, huic in mentem venit in Africam petere ad eum redimendum. Itaque a ſui Ordinis Superioribus obtenta facultate Saſſari diſcedit, ac velis vento datis appellit Genuam, inde Hiſpaniam navigat. Madritum profectus invenit, per idem tempus Philippum III. Regem mittere P. Matthæum Aquirrum Ordinis Minorum *de Obſervantia* Legatum ſuum ad Regem *Couci* regionis in Africa ſitæ (3), proinde ambo eamdem conſcendunt navim Algherium verſus.

Dum ibidem Ziranus moram trahit, nonnullis per quemdam Chriſtianum acceptis litteris ab itineris Socio, jam tum Couci manente, in emiſſarii ſuſpicionem Barbaris venit, quare etiam infecta re ſatius ducit ſimul cum quatuor ex noſtris, quos a dira ſervitute liberaverat, Coucum proficiſci. Benigno vultu a Rege Chriſtianorum amante exceptus, paullò poſt anno ſcilicet MDCIII. Calendis Januarii ab eodem legatus eſt ad memoratum Philippum Hiſpaniarum Monarcham, ut quædam negotia tum Regno, tum Fidei Catholicæ perquam utilia cum eo ſuo nomine ageret. Accidit, ut navis, in qua vehebatur, in Algarienſes pyratas inciderit. Mauri, qui eum proſequebantur probe ſentientes, quod collatis ſignis ab hoſtibus vincerentur, pacti ſunt Ziranum ipſis concedere, dummodo navem, & ipſos incolumes ſervarent. Mauris conſentiunt pyratæ, iccircò ſtatim in ſervitutem illum redigunt manibus ad terga ligatis, gravique catena collo appenſa. Quarto Idus Januarii eum Regi ſiſtunt, qui de repente jubet, ut in teterrimum carcerem conjiciatur, ſtatuta præterea mortis lege, ſi quis ipſum alloqui auderet, quam tamen contempſit P. Franciſcus Serra, qui clanculum eumdem viſitavit. Pluribus blandimentis niſus eſt Rex in Muhamedanam ſectam Ziranum adducere, ſed fruſtra:

(1) Hujuſmodi monumentum exhibetur ab Eraſmo Gattola *Par. 1. Hiſt. Abbat. Caſſinen. pag.* 430.

(2) Conſule Conderum *lib. 7. Par. 6. Hiſt. S. J. pag.* 348.

(3) *Coucum*, inquit Baudrandius *in novo Lexico Geograph. ad v.* Coucum, *eſt regnum parvum Africæ in Barbaria regione, cum Urbe cognomine, intra Montes, & in mediterraneis, 60. circiter milliaribus ab ora maris Africi, & inter Regna Algerii, & Bugiæ.* Plura de hujuſmodi Regno tradit Martinierus *Tom. III. Mag. Dict. G.*, *& C.* ad verb. *Couco*.

ſtra: hinc ubi intellexit, ſe oleum, operamque perdere, ad XIV. Calendas Februarias in eum ſententiam dixit præcipiens, ut illi vivo pellis detraheretur, quemadmodum revera factum eſt.

Summa animi fortitudine immane ſupplicium, quod hilarè ſuſceperat, pertulit, *Pſalmos* aſſiduè recitans, maximè verò *Litanias*, quas vocant Beatæ Mariæ Virginis, erga quam magna religione omni tempore flagravit. Eo in tormento vita functo Franciſco decreverat Carnifex illius corpus comburere, ſed ob nimbum inopinatò factum, qui maximum timorem ei, aliiſque ſpectatoribus incuſſit, omnes fugerunt; unde P. Franciſcus Serra, & alii duo Chriſtiani Corpus acceperunt, illudque inter cæterorum Chriſtianorum oſſa humi tradidere, ac in lamina plumbea circa idem Corpus poſita, quæcunque ad ejus Martyrium ſpectant, compendiaria methodo deſcripſerunt. Pellis repleta paleis ſuper portam, quam indigenæ vocant *Babaſon*, conſtituta eſt, ibique manſit uſque donec a vento dejecta in fruſtula jam redacta a Chriſtianis collecta fuit, ac religioſè ſervata.

Hujus *conſummati*, ſeu *coronati* Martyris Hiſtoriam pluribus narrat Barezzius (1), qui eum Fratribus *de Obſervantia* nuncupatis adjudicat. Verum hac in re Auctor noſter & fallitur, & fallit; etenim ad Franciſcanos, qui vulgò *Conventuales* appellantur, ſpectare adeò certum eſt, ut nulla alia hiſtoria teſtatior eſſe queat (2).

EPISCOPI TURRITANI.

S. CLEMENS. Quemadmodum Calaritani, ita quoque Turritani gloriantur, S. Clementem Romanum ſe habuiſſe Epiſcopum; hinc Vicus (3) Præſulum Turritanorum ſeriem a Clemente auſpicatur, tametſi contendat, Sanctos quoque Petrum, Paulum, & Jacobum aliquo pacto Turritanos Antiſtites vocari poſſe, quod per eos veram fidem Civitas amplexata ſit. Tererem fruſtra tempus, ſi immorarer in hac oppugnanda Doctrina; nemo enim non videt fabuloſam eſſe, & Franciſco Vico dignam.

S. GAVINUS. Viduata proprio Paſtore Eccleſia Turritana electum fuiſſe Gavinum circa annum CXVIII. ſentit idem ipſe Vicus, cui præivit Redeolives

(1) *Par. 4. lib. 10. delle Croniche dell' Ordine de' Frati Minori pag. 1277. & ſeq. edit. Ven. 1608.* Franciſci Zirani meminit etiam Lucas Wadingus ad calcem Biblioth. Script. Ord. Minorum *in Syllabo Fratrum Minorum, qui pro Fide Catholica a Chriſtiana Religionis Hoſtibus interempti ſunt*, ſed eum *Fratrem Minoritam* tantummodò dicit.

(2) Franciſcum Ziranum Deo inter PP. Minores Conventuales ſe devoviſſe, inque illis longam traduxiſſe vitam liquet ex monumentis in noſtro Saſſaritano Cœnobio aſſervatis „ Barezzo Barezzi (*P. M. Sanna Sardus anno 1745. his verbis Epiſtolam miſit ad Seraphinum Paginum Sac. Theol. Magiſtrum, & apud Rom. Sedem cauſſarum Beatiſic., & Canoniz. Ven. Dei Serv., ac Beat. noſtri Ord. Poſtulatorem Generalem*) ſcrive lungamente il Martirio, e la Morte del Ven. P. Franceſco Zirano, e dice ſiniſtramente informato, che detto P. Franceſco è dell' Ordine de' Min. „ Oſſervanti, quando doveva chiamarlo Franceſcano Conventuale, mentre nacque nella Città di Saſſari, fu Religioſo noſtro Sacerdote nel Convento di S. Maria *di Bethlem* di detta „ Città, ebbe per molti anni l'impiego di Procuratore, e noi abbiamo alcune ricevute, ed „ appuntazioni fatte di ſua mano col ſuo nome, ed io eſſendo Provinciale le ho vedute viſitando quel Convento, e le ho fatte cuſtodire in depoſito. „

(3) *Tom. II. H. C. S. Par. 6. cap. 5.*

Digitized by Google

lives (1), qui primum omnium hanc Sedem occupaſſe contendit. Verum cum ſinguli Martyrologiorum libri, qui iſtius meminere ſileant penitus, quod Epiſcopus fuerit (2), falſum videtur hanc gubernaſſe Eccleſiam; unde Sac. *Rota* Romana adverſus Archiepiſcopum Turritanum definivit (3), Sanctum Gavinum Martyrem duntaxat extitiſse.

S. PROTUS. Præfati Auctores Gavino ſufficiunt Protum circiter annum CCXC. In Martyrologio Hieronymiano, quod hujus meminit (4), & in ipſius Actis, quæ e Sardinia ad Magnum Baronium miſſa fuerunt (5), nullum reperitur veſtigium hac de re.

PROTOGENES. Non ſolum Vicus, & Redeolives, verum etiam Fara (6) Protogenem inter Turritanos Præſules reddit. Cujus Eccleſiæ fuerit Epiſcopus alibi (7) pluribus oſtendi.

GAUDENTIUS. Interfuit Concilio Carthaginenſi celebrato anno CCCXLVIII., cui præfuit Gratus vir SS., & Urbis Carthaginenſis Præſul, ut indicant ejus Acta (8). Neſcio cur Vicus, & Redeolives aſserant, Turritanam in Sardinia gubernaſse Eccleſiam; ad illud enim Concilium ſoli Epiſcopi Africani convenerunt, ac præterea in illius Actis vocatur Epiſcopus non Turris duntaxat, ſed *Turretamallienſis*: Urbs autem Epiſcopalis hujuſmodi in Provincia Africæ Proconſulari ſita erat (9).

SAMSUCIUS. Ex ignorantia Geographiæ Sacræ factum eſse judico, Saſſaritanos ſuis Epiſcopis Samſucium inſerere. Cum enim plures fuerint Epiſcopatus, qui (10) *Turrenſes* tantum vocabantur; hinc ii Samſucium a Sancto Auguſtino (11) Epiſcopum *Turrenſem* dictum propriæ Eccleſiæ adjudicarunt. Ruinartus tamen in Geographia Sacra verſatiſſimus, & qui partium ſtudio minimè tenebatur, in ſcriptis reliquit (12), Samſucium Epiſcopum fuiſse *Turris* in Numidia, aut Proconſulari Africæ

(1) *In Catalogo Epiſcop. Turrit.* Ejuſmodi Catalogus, quem, ut maximi eſſet apud omnes ponderis, Redeolives Notarius Curiæ Saſſaritanæ ſe tranſcripſiſſe ex Tabulario Vaticano memoriæ prodidit, editus eſt una cum Conſtitutionibus Synod. illius Diœceſis anno MDCXXV. Nondum eum legere potui, ſed ex illius ſpecimine, quod exhibet Machinus *pag.* 86. pluribus fabulis ſcatere deprehendi.

(2) Confer Bolland. *Tom. VII. Maii ad diem* 30., qui eos numerant.

(3) *Parte VIII. Deciſ.* 60.

(4) *Ad diem* 27. *Octobris*.

(5) Id ipſe teſtatur *in Notis ad Martyrol. Rom. ad diem* 25. *Octob.*

(6) *Hiſt. de rebus Sardois col.* 26. *Tom. XV. Theſau. Burmanniani*.

(7) In Archiep. Calarit. *n.* 1.

(8) Apud Hard. *T. I. col.* 685.

(9) Confer Hard. *in Ind. Geograph. Epiſt. T. XI. Hiſt. Concil. col.* 892. Vide etiam Itinerarium Anton. Aug. *pag.* 74. *edit.* 1735., ex quo plane liquet, præfatam Urbem in Africa fuiſse.

(10) Tres exſtabant in Africa: primus in Provincia Bizacena: ſecundus in regione incerta, etſi Baluzius ducit, exſtaſse in Mauritania Sitifenſi: tertius in Numidia, ſeu Provincia Proconſulari. Conſulito Ruinartium *in Notis ad lib.* 4. *Vict. Vitenſis pag.* 308., *& ſeq.* Unus in Calabria. Vide, quæ mox diſputabo.

(11) *T. II. Operum Epiſt.* 34., quæ eſt ad Euſebium *col.* 50. Confer etiam *Epiſtolam* ad Severum *n.* 62. *col.* 113., nec non *Epiſtolam* ad Alypium *num.* 83. *col.* 154. *edit. Maur. Antuerp.* 1700.

(12) *Loco paullo ante laud.* Ego in ea ſum ſententia, ut arbitrer, Samſucium anno circiter 407. vita functum (*Noriſius T. IV. Operum Par.* 2. *Hiſt. Donatiſt. cap.* 11. *col.* 517. *edit. FF. Ballerin.*) proximum deceſſorem fuiſſe Donati Donatiſtæ Epiſcopi Turrenſis, qui memoratur in Collatione I. Carthag. habita an. 411. apud Harduin. *T. I. Hiſt. Concil. col.* 1080. Porrò Donatus Pontifex erat in Provincia Africæ Proconſulari, quemadmodum idem Noriſius *Cenſura in notas Joannis Garnerii T. III. Op. col.* 1161. *& ſeq.*, more ſuo, hoc eſt eruditiſsimè, demonſtrat.

fricæ Provincia, quod liquet etiam ex S. Auguſtino, licet eum pro ſe citet Fara (1). En Sancti Doctoris verba: *poſtremo eſt hic Frater, & Collega meus Samſuclus Epiſcopus Turrenſis Eccleſiæ*. Ergo in Africa, ubi tunc agebat vitam Auguſtinus, non in Sardinia Pontifex ille erat.

I. Felix.

Primus Turritanus Antiſtes, de quo jure dubitari nequit eſt Felix. Hic inter eos recenſetur Epiſcopos, qui anno CDLXXXIV. a Vandalorum Rege Carthaginem vocati, poſtea in exilium pulſi ſunt (2). Etſi Præſules, quos hanc Eccleſiam rexiſse ante Felicem, Fara, Redeolives, ac Vicus contendunt, rejecerim, minimè tamen nego, ſæculo quarto, & forſitan etiam ante Turritanam Urbem ſuos Pontifices habuiſse; rationes enim, quæ in hac eadem cauſsa Sulcitano oppido ſuffragari alibi (3) dictum a me eſt, multò magis favent Turritano. Porrò eorum memoriam vetuſtas delevit.

Cantelius Vir certè eruditus ambigere (4) videtur, utrum Felix Eccleſiam Turritanam iu Sardinia, vel potius in Africa gubernarit: ſcribit namque, quod Felicem Afrum aſsereret, niſi Jacobus Sirmondus contra ſentiret: *quem tamen, niſi obſtaret Sirmondi auctoritas, Africanum dicerem*. Ego quanti faciam, ſemperque fecerim Sirmondi Viri doctiſſimi auctoritatem, ſum mihi ipſe teſtis. Attamen non quia is Felicem Eccleſiæ Turritanæ Inſulæ Sardiniæ aſſignat, ita credendum eſsé reor, ſed quia ita ſe rem habere tradit Victor Vitenſis, a quo *Felix de Turribus* non inter Afros, ſed inter Sardos Epiſcopos numeratur.

Joannes. Multa de hoc Joanne tradit Vicus, qui poſt Joannem Franciſcum Fara, & Redeolives eum Turritanum in Sardinia Epiſcopum dicit. Contra Harduiuus (5), & Coleti (6) hunc referunt inter Epiſcopos Thurinos in Calabria, quos Turritanos item vocatos fuiſse, ex Sancto Gregorio Magno (7), & ex Actis S. Vitalis Abbatis (8) cnmperta res eſt. Interfuit Synodis Romæ anno DI., & DIV. celebratis, una cum pluribus aliis Antiſtitibus, quorum ſubſcriptiones legere ſat eſt, ut dignoſcatur, Vicum, cæteroſque cum eo ſentientes fuiſſe hallucinatos.

II. Marinianus.

Eccleſiæ Turritanæ Pontifex a Sancto Gregorio Magno in Epiſt. an. DXC. *ad Gennadium Patritium, & Exarchum Africæ* data memoratur (9). Fuiſse autem hanc Eccleſiam in Sardinia ex eo manifeſtum eſt, quod Sanctiſſimus Pontifex Gregorius ſcribit, Religioſos viros Eccleſiæ Turritanæ injuriis affici ab hominibus Theodori Magiſtri Militum, qui Dux, & Præſes memoratæ Inſulæ erat (10). Deinde inter ſex illos Sar-

(1) *Opere indic. col.* 30.
(2) Adi V. Vitenſem *lib.* 4. *de Perſecut. Afric. pag.* 693. *T. VIII. Biblioth. Veterum PP. ed. Lugd.* 1677. Conſule item, *quæ diximus in Archiep. Calarit. num.* 111.
(3) Lege, quæ diſputata a me ſunt *Hiſtoria Epiſcop. Sulcitanorum pag.* 129.
(4) *Hiſtor. Metropolit. Urbium Par.* 3. *Diſſert.* 6. *cap.* 7. *num.* 5.
(5) *In Indice Geograph. Epiſcop.*
(6) *Tom. X. Ital. Sac. col.* 173.
(7) Lege *ejus Epiſt.* 16. 17. *lib.* 10. *Indic.* 3.
(8) Apud Bolland. *Tom. II. Martii ad diem* 9. *cap.* 5. *pag.* 33.
(9) *Epiſt.* 61. *lib.* 1. *Indic.* 9. *col.* 550.
(10) Teſtantur hoc doctiſsimi PP. Benedictini *in notis ad cit. Epiſt.*; & conſtat etiam aperte *ex Epiſt.* 48. 49. *ejuſdem libri*.

Sardiniæ Præſules, ad quos anno nono ſcripſit Gregorius (1) exſtabat Marinianus, qui dubio procul erat Marinianus noſter, cum alterius Eccleſiæ Paſtorem in Sardinia fuiſse non conſtet.

PAULINUS, ET JOANNES. Mortuo Mariniano electum fuiſse anno DCII. hujus Eccleſiæ Antiſtitem Paulinum antea Epiſcopum Taurenſem opinatur Vicus, qui præterea aſserit poſt Paulini obitum renuntiatum eſſe Joannem Pontificem Eſquilacenſem. Dubitat tamen, utrum hi umquam acceſſerint ad Turritanam Eccleſiam. Somnia hæc ſunt Vico familiaria.

VENERIUS, ATQUE PENTUSIUS. Fara inter Epiſcopos Turritanos non agnoſcit Venerium, bene verò Pentuſium circa annum DCXLV.. At Vicus, & Redeolives utrumque in hujus Eccleſiæ Præſulum ſerie ponunt. Errant tamen vehementer. De Venerio ſatis multa a me dicta ſunt alibi (2). De Pentuſio autem nunc animadverto, ipſum in Epiſtola ad Conſtantinum (3) Imperatorem non vocari Epiſcopum Sedis *Turrenſis*, ut viſum eſt ſupra laudatis Auctoribus nimio in Patriam affectu obcœcatis, ſed *Turretamallumenſis*, quæ, judice Harduino (4) ſita erat in Byzacena Africæ Provincia.

III. VALENTINUS.

Interfuit Concilio Romano anno DCXLIX. a Martino I. contra Monothelitas coacto, ut illius Acta (5) demonſtrant, in quibus, quoniam Turritanæ Eccleſiæ tantum Epiſcopus nuncupatur, Coletus (6) exiſtimavit non hanc, ſed Turritanam Diœceſim Brutiorum in Calabria adminiſtraſſe. Verum Turritanæ in Sardinia Sedi attribuunt Holſtenius (7), & Harduinus (8): neque id, meo quidem judicio, temerè agunt; nam cum ad illam convenerit Synodum Citonatus Archiepiſcopus Calaritanus, ac totius Sardiniæ Metropolita, veriſimillimum eſt, ſecum duxiſſe aliquem ex ſuis *Suffraganeis*, quorum ibi nullus alius legitur, quam Præſul Turritanus.

THOMAS. Redeolives poſt Valentinum numerat Thomam. Suffragatur Vicus, qui inſuper narrat, interfuiſſe Concilio Nicæno II., & anno DCLIX. Turritanam in Sardinia rexiſſe Eccleſiam. Duo hic peccat Vicus; primum quia in pinguem, putidumque anachroniſmum labitur; ſecundum quia Thomam accenſet Turritanis Præſulibus, qui Calaritanam rexit Eccleſiam.

IV. NOVELLUS.

Tempore Joannis hujus nominis V., qui an. DCLXXXV. in Romanum Pontificem electus poſt annum unum, & dies novem abiit è medio, ordinatus eſt hujus Eccleſiæ Epiſcopus a Citonato Archiepiſcopo Calaritano. Cum a nonnullis annis Calaritani Præſules privati fuiſſent facultate, quam antea obtinebant, ordinandi Antiſtites Turritanos, *Novelli* electionem nullam dixit idem ipſe Joannes, ſed poſtmodum convocato Sacerdotum Concilio illam probavit.

Erunt certè, quibus ſummoperè diſplicebunt, quæ de poteſtate Calaritanis Archiepiſcopis conceſſa Turritanos Antiſtites inaugurandi dixi; hinc ut me

(1) *Epiſt. 8. lib. 9. Indic. 2. col. 932.* (2) *In Archiep. Calarit. num. VI.*

(3) Apud Hard. *Tom. III. Collect. Concil. col.* 740.

(4) *In Indice Geograph. Epiſcop. col. 892.* Vide etiam Joannem Albertum Fabricium *in Indice Geograph. Epiſcopat. Orbis Chriſt. pag. 186.* exſtat ad calcem Op. *Salutaris lux Evangelii edit. 1731.*

(5) Apud eumdem *T. indic. col. 932.* (6) *Tom. X. J. S. col. 173.*

(7) *In not. ad Geograph. Sacram Caroli a S. Paulo lib. 2. pag. 67. edit. Joann. Clerici.*

(8) *In Indice Geograph. paullo ante cit.*

ab omni invidia liberem, in medium proferam Auctoris Libri Pontificalis verba; ex iis enim apertum fiet, nihil me ſcripſiſſe, quod traditum a veteribus non ſit: *Hic*, nempe Joannes, *poſt multorum annorum curricula propter Tranſgreſſionem ordinationis Eccleſiæ Turritanæ, quam ſine auctoritate Pontificis fecerat Citonatus Archiepiſcopus Calaritanus, pro eo quod antiquitus ordinatio fuit Sedis Apoſtolicæ, & ad tempus conceſſa fuerat iſta ordinatio eidem Eccleſiæ. Poſtmodum protervia faciente Archiepiſcoporum per præcepta Pontificum ab eodem ordinatione ſuſpenſi ſunt juxta determinationem ſanctæ memoriæ Martini Papæ. Et facto Concilio Sacerdotum* Novellum *Epiſcopum, qui ab eodem Archiepiſcopo ordinatus fuerat, ſub ditione Sedis Apoſtolicæ reintegravit, atque firmavit, quorum chirographus Archivio Eccleſiæ detentus eſt* (1).

JUSTUS, ET PAGANUS. Nemo unus ex Scriptoribus Sardis Novelli meminit. Vicus poſtremo loco ante irruptionem Saracenorum in Sardiniam recenſet Thomam, de quo paullo ante diſſerui, deinde nullum alium agnoſcit Epiſcopum præter quam Juſtum, quem illigat anno M.. Idem ipſe Vicus (2) ſcribit, Juſto ſuffectum fuiſſe Paganum ſub annum MXXXIII.

Nullum, uti ferè ſemper is ſolet, monumentum in medium adducit, ex quo conſtet Juſtum, & Paganum aliquando Turritanos in Sardinia Epiſcopos fuiſſe. Quocirca de his idem ferremus judicium, quod de aliis, quatuor duntaxat exceptis, Turritanis Pontificibus hactenus tulimus.

V. SIMON.

Pontifex erat Turritanus an. ML. Colligitur hoc, ſi qua Vico fides, ex veteribus Sancti Gavini Eccleſiæ monumentis; aliunde nulla mihi Simonis notitia objicitur.

ARCHIEPISCOPI TURRITANI.

VI. CONSTANTINUS.

Patria Saſſaritanus fuit. Ob egregias ejus virtutes Boſſanenſis Antiſtes creatus eſt. Quo tempore hujuſmodi Epiſcopatum gerebat, magnificam Cathedralem Eccleſiam conſtruxit, ac Sancto Petro dicavit (3). Gregorius VII. Summus Pontifex an. MLXXIII. Capuæ moram trahens eum hujus Sedis Archiepiſcopum renuntiavit, primuſque eſt, de quo certo ſciatur Metropolitæ titulo decoratum fuiſſe. Capua in Sardiniam remeanti Sanctiſſimus Pontifex ei commiſit, ut ſuo nomine multa illius Inſulæ Judicibus de eorum ſalute, & honore narraret.

Vicus, atque Cantelius (4) exiſtimant, idque fortaſſis ex hujuſmodi facto colligunt, Conſtantinum totius Inſulæ

(1) Auctor Libri Pontificalis *Tom. IV. in Vita ejuſdem Pontif. pag.* 119. *edit. Salvioni Romæ.*

(2) *Opp. toties cit. Par. 6. cap. 5. Fol.* 24.

(3) Narrat hæc Vicus *loco modò laud.* Quod de aſſumptione Conſtantini in Epiſcopum Boſæ ſcribit, vereor ne ſit falſum, nam *in Regeſt. Gregor. VII.* apud Hard. *Collect. Concil. Tom. VI. Par.* 1. *col.* 1260. habetur, quod ille anno ſui Pontif. primo ideſt anno 1073., vel 1074. conſtituit, & conſecravit inter alios Præſules Conſtantin. Archiepiſcopum Turritanum: at quomodò eum conſecraſſet, ſi antea Ediſcopus Boſæ fuiſſet?

(4) *Opere alids indic. Par. 3. cap. 7. Diſſert. 6.*

Digitized by Google

ſulæ Sardiniæ Legatum Apoſtolicum fuiſſe. Verum utrumque hallucinari ex ipſius Gregorii verbis planè liquet: *quæ de ſalute*, inquit, *& de honore veſtro tractamus, magna ex parte confratri noſtro Conſtantino Turrenſi Archiepiſcopo vobis referenda commiſimus. At cum Legatus noſter, quem Deo annuente de proximo mittere diſponimus, ad vos venerit, voluntatem noſtram pleniter vobis ſignificabit; & quod gloriæ, & honori veſtro condecet apertius enarrabit* (1). Ergo ſub iis temporibus non Conſtantinus, ſed alter Legatus a Pontifice miſſus in Sardiniam eſt. Quantum ex Gregorii litteris (2) intelligere potui, is tam honorificum munus Guilelmo Epiſcopo Populoniæ detulit.

Teſtis eſt Vicus memoratus, Conſtantinum Diœceſim ſuam reformaſſe, non pauca convocaſſe Concilia, inque iis plura pro bono illius regimine decreta conſtituiſſe.

VII. Christophorus.

Idem ipſe Vicus in ſcriptis reliquit, Chriſtophorum anno MCXVI. Antiſtitem Turritanum fuiſſe, & una cum aliis Sardiniæ Præſulibus, & Eccleſiaſticis Perſonis per hoc tempus interfuiſſe Eccleſiæ SS. Trinitatis *de Sacargia* conſecrationi, ipſique varias *Indulgentias* elargitum eſſe (3). Non dubito, quin error in annorum numero ſit. Enim verò ab anno MCXII. ad annum uſque MCXVI. Turritanam Diœceſim rexit *Azo*, uti mox videbimus; igitur eo tempore Præſul eſſe nequibat Chriſtophorus. Accedit, quod Boſſanenſis Pontifex, qui præfatæ conſecrationi adfuit, vocabatur *Petrus*. Hic anno MCXII. vivebat; poſt quadriennium verò ſolium Boſſanenſe tenebat *Marinus* Sorrenſis Epiſcopus, qui pariter interfuit, dicebatur Albertus. Anno MCXIII. 5. Calendas Novembris hunc in vivis extitiſſe exploratæ fidei eſt: at poſt triennium ei ſucceſſerat Jacobus.

Mea ſententia eſt, Eccleſiam *de Sacargia* non anno MCXVI., ſed ante duo circiter luſtra conſecratam eſſe, cum jam tunc Conſtantinus Judex Turritanus eam ad umbilicum perduxiſſet; ac proinde eo anno in Cathedræ Turritana Chriſtophorum ſediſſe. En ex veteri monumento (4) Præſulum, & aliorum, qui conſecrationi interfuere catalogus:

Su Donnu de ſu Archiepiſcopu de Turres.
Su Donnu de ſu Archiepiſcopu de Ariſtanis.
Su Donnu de ſu Archiepiſcopu de Calaris.
Miſer Albertu Epiſcopu de Sorra.
Miſer Pedru Epiſcopu de Biſarciu.
Miſer Pedru Epiſcopu de Boſa.
Su Epiſcopu de Sulcis.
Su Epiſcopu de Caſtra.
Su Epiſcopu de Flumen.
Su Epiſcopu de Ploagre.
Su Epiſcopu de Ortilen, & ateros Epiſcopos, Abades, Priores, Canoniges Preyderos, & ateros Religioſos.

Vir clariſſimus Manſius (5) animadvertit, quod *ſolemne erat Epiſcopis in dedicatione novi alicujus Templi convenientibus occaſionem illam captare ad habendas Synodos, in quibus ea, quæ occurrebant, Eccleſiaſtica negotia, quæque ad communem Eccleſiarum utilitatem*

(1) V. *Epiſt.* 41. *lib.* 1. *apud Hardain. col.* 1228.
(2) Confer *Epiſtolam* 10. *lib.* 8. *apud eumdem col.* 1460.
(3) *Loco alias cit.* nec non *Par.* 4. *cap.* 15. *Par.* 6. *cap.* 8. *num.* 5.
(4) Apud Vicum *loco ſecundò cit.*
(5) *Tom.* 1. *Supplem. ad Concil. Veneto-Labb. col.* 1047.

tem conferre judicarent , *expediebantur* . Cum integrum ſæculum a Saracenis expulſis nondum interceſſiſſet, ac inſuper variis bellis Sardinia vexata fuiſſet, proindeque Diſciplina Eccleſiaſtica non perfectè iis temporibus ſtabilita eſſet, cur nolim, ejuſmodi morem præfatos Epiſcopos obſervaſſe, non video, ſed quæ ab iis decreta fuerint, penitus ignorantur.

VIII. MANFRIDUS.

Pontifex hic diplomati, quo Petrus Archiepiſcopus Piſanus in conſecratione Eccleſiæ Sancti Stephani *de Carraria* circa mare ſitæ eidem dono dedit *unum petium terræ cum vinea*, *& terra laboratoria poſita juxta prænominatam Eccleſiam*, ſubſcribit his verbis: *Ego Manfridus Turritanus Archiepiſcopus*, *& hujus Sanctæ Eccleſiæ* (Cathedralis Piſanæ) *Canonicus* (1). Factum hoc eſt anno MCXVI. nonis Februarii indictione undecima, ſeu potius nona, quacum memoratus annus concurrebat. Per idem tempus Turritanam Eccleſiam gubernabat *Azzo*, ſeu *Atho*, quod cum ſenſiſſent Viri eruditiſſimi Mittarellius, & Coſtadonius, putarunt, aut Manfridum Turritanæ Eccleſiæ nuncium remiſiſſe, aut anno ſupra memorato Azzoni ſucceſſori locum feciſſe (2).

Equidem primum mihi magis arridet. Veriſimillimum enim cenſeo, Manfridum patria fuiſſe Piſanum: inauguratum Pontificem Chriſtophoro vita functo, ſive ob rationem nobis prorſus ignotam, ſive ob Genuenſium, qui fortaſſis de Sardiniæ juribus cum Piſanis tunc contendentes vim ſibi invicem inferre nunquam ceſſabant, metum, vel nullo tempore in ſuæ Eccleſiæ poſſeſſionem veniſſe, vel poſt initam poſſeſſionem illa dimiſſa Piſas remeaſſe.

IX. AZZO, SEU ATHO.

Populum Turritanum regebat anno MCXII. quo, teſte Auguſtino Fortunio (3) *cupiens & ipſe converſationem Camaldulenſis Inſtituti in ſua Diæceſi enutrire ornavit Sacrum Eremum donatione Sanctæ Trinitatis de Saccharia*. Hoc ipſo anno alia etiam privilegia ad preces Conſtantini Judicis Turritani, & Marcuſæ ejus Uxoris Monaſterio, & Eccleſiæ *de Sacargia* conceſſit (4).

Non minorem in Congreg. Camaldulenſem oſtendit affectum poſt quadriennium; ſiquidem nova ei tribuit privilegia, uti ex veteri monumento (5) conſtat; atque hæc confirmata fuere a nonnullis aliis Sardiniæ Epiſcopis, quorum propriis locis meminero. Tam ex citato monimento, quam ex variis diplomatibus ab eruditiſſimo Gattola in communem uſum datis (6) compertum eſt, Azzonem anno MCXVI. die 16. Decembris in vivis fuiſſe.

Hujus Archiepiſcopi nomen legitur in quodam diplomate (7) anno MCXX. die 24. Maii dato, barbaroque ſer-

(1) Exſt. *Tom. III. Annal. Camaldul. ad an.* 1116. *lib.* 25 *num.* 49. *pag.* 170.

(2) *Loco indic.* „ Manfridus, *inquiunt*, anteceſſor videtur in Archiepiſcopatu Turritano Azonis, „ de quo egimus ad annum 1112., & ei Eccleſiæ nuncium remiſiſſe, vel locum feciſſe præ- „ ſenti anno Azoni, cujus nomen ut Archiepiſcopi Turritani legitur ſub eodem anno. „

(3) *Hiſtor. Camaldul. lib.* 2. *cap.* 10. *pag.* 153. *edit. Florent.* 1575.

(4) V. *Tom. III. Annal. Camaldul. ad eum an. lib.* 25. *num.* 19. *& ſeq. pag.* 144.

(5) Exſt. apud Vicum *Par. 6. Hiſt. Sard. cap.* 18. *Fol. 68.*

(6) *Par.* 1. *Hiſt. Abbat. Caſſ. ſæc.* 6. *pag.* 155. *ſæc.* 7. *pag.* 344. 427. In his ſicuti & in alio, quod mox citabo, appellatur lingua Sarda, qua conſcripta ſunt, *Azzu*, *Azzo*, *Athu*. Diplomata nullam certæ ætatis notam exhibent, ſed unum ſaltem ad an. 1116. referunt doctiſſimi Mittarellius, & Coſtadonius *Opere & lib. cit. pag.* 150.

(7) Apud Gattolam *Opere deſig. pag.* 424.

ſermone perſcripto. Principio arbitrabar ex hoc colligi poſſe, Azzonem eo quoque anno anima ſpiraſſe ſua, ſed cum diligentius illud legiſſem, animum mutavi; ibi enim, niſi me fallo, memoratur Azzo noſter occaſione donationis longe ante annum ſupra indicatum Monachis Caſſinenſibus factæ.

X. VITALIS.

Certum tempus, quo Vitalis Turritanæ Eccleſiæ regimen ſuſcepit, me latet. Exploratum tamen habeo fuiſse Præſulem anno MCXX. nono Calendas Junias; nam Gonnarius ex Provincia Turritana nobiliſſimus inter Sardos, qui hoc ipſo anno quaſdam Eccleſias elargitus præſatis Monachis eſt pro eorum veſtitu, teſtatur ſe id præſtaſse *cum voluntate deſſu Archiepiſcopum donnu Vitalis* (1). Quantum conjectura aſsequor, Vitalis noſter eſt idem ac Vitalis ille, qui anno MCXVI. die 16. menſis Decembris una cum quibuſdam aliis Sardiniæ Epiſcopis privilegia, de quibus mentio facta modo eſt, confirmavit, eratque illo tempore Archipresbyter Turritanus.

Franciſcus Vicus electionem Vitalis in annum MCXXVI. perperam rejicit. Proximum Vitalis ſucceſsorem idem ipſe Vicus appellat Manfridum, quem dicit Archiepiſcopum anno MCXXXVI., ſed in magnis erratis verſari comperta res eſt.

XI. PETRUS I. DE CANNETO.

Inter eos, quorum conſilium, & voluntatem expoſtularunt Petrus, Ithocbor, Marianus, & alii *de Athen*, qui una cum propriis uxoribus an. MCXIII. quinto Calendas Novembris Eccleſiam S. Nicolai *de Trulla* PP. Camaldulenſibus conceſsere, numeratur *donno Petro de Cannetu* (2). Hic dubio procul eſt idem ac Petrus noſter, qui Turribus natus alicui patriæ Eccleſiæ tunc Presbyter inſerviebat. Neſcio autem, cur in *excerptis* Tabularii Monaſterii Fontis-boni per hæc ipſa tempora Epiſcopus appelletur (3).

Anno MCXXXIV. Archiepiſcopum fuiſse certa, explorataque res eſt. Cum ſine Epiſcoporum conſilio, & Clericorum S. Gavini aſsenſu Eccleſias S. Georgii *de Barai*, & S. Mariæ *de Gennor* Cœnobio S. Benedicti Caſſinenſi clanculum is obtuliſset, & Monachi eas recepiſsent, præfati Clerici hac de re conqueſti ſunt. Judex in hujuſmodi cauſſa conſtitutus eſt Ubertus Archiepiſcopus Piſanus in Sardinia Primas, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, qui rationibus utriuſque partis auditis, & æqua lance perpenſis, ut Monachi memoratas Eccleſias poſſiderent, *ſalva Sancti Gavini reverentia*, decrevit adhibito *conſilio, & aſſenſu Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, atque Abbatum, nec non Clericorum in Concilio aput Arderam habito præſidentium. Anno Domini mill. centeſ. trigeſimo quinto, indic. ſexta* (4), juxta ſtylum Piſanum, uti opinari fas eſt.

Petrum noſtrum adhuc in viris fuiſſe anno MCXXXVI. die 20. Maii, ac etiam

(1) Confer *diploma nunc citatum*.

(2) Lege eorum diploma *Tom. III. Annal. Camaldul. in Append. num. 166. col. 241., & ſeq.*

(3) Vide *Tom. cit. Annal. Camaldul. ad an: 1113. num. 24. pag. 152.*

(4) Conſule *Uberti Epiſtol.* apud Gattolam *op. alias indic. Par. 1. pag. 353.* Hanc, in qua Concilium totius Sardiniæ apud Arderam celebratum memoratur, refert etiam Manſius *Tom. II. Supplem. ad Concil. Veneto Labbea. pag. 425.* Præter hanc Synodum alia quoque in oppido *Ardera*, ſeu *Ardaræ* habita fuit anno 1205., cujus poſt Gattolam meminit idem Manſius

etiam poſt triennium exploratæ fidei monimenta (1) dubitare non ſinunt, ſed ad quem uſque annum ſpiritum poſtea duxerit, me penitus fugit.

In *excerptis* ſub titulo *Recordationes*, quæ paullo ante indicavimus, legitur, quod Joannes Sargio Epiſcopus Sorrenſis ſibi conſentientibus variis perſonis, inque iis Bareſone *de Laccon* Judice, Uxore ejus Pretioſa Regina, Conſtantino illorum Filio, nec non Domino Petro Archiepiſcopo nonnullas Eccleſias Monachis Camaldulenſibus elargitus eſt. Hanc donationem Baroncinius (2) ad annum MCXXXIV., Fortunius (3) ad annum MCXXXIII. referunt, liber verò, cui titulus *Bona Sardiniæ* (4) eam anno MCXIII. illigat.

Recentes Camaldulenſium Annalium ſcriptores ſingulis a me narratis opinionibus rejectis, poſt medium ſæculum duodecimum a Joanne Monachos Camaldulenſes ditatos fuiſſe arbitrantur, quippe quod ipſe Joannes, ut habet monimentorum collector, ad hoc peragendum Bariſonis Regis, ejuſque Filii Conſtantini aſſenſum exegerit. Hoc ſi concedatur, negari certè nequibit, eo tempore vixiſſe Petrum *de Canneto*, qui pariter Joanni conſenſit. Porrò id falſum omninò eſt, & qua ætate Bariſon regnabat, illiuſque natus Conſtantinus idoneus erat ad præſtandum in rebus publicis aſſenſum, Petrus noſter jam obierat, quidquid contra afferat Vicus (5), Eccleſiamque Turritanam aut *Ajus*, aut potius qui *Ajo* ſucceſſerat *Albertus* regebat (6).

Quam ob rem ego in eam adducor opinionem, ut credam monumentorum illorum Collectorem, quæ diverſis annis acciderunt, litteris conſignaſſe non ſecus ac uno, eodemque tem-

ſius *Tom. cit. pag.* 789. Clariſſimus Auctor contentus ſe indicaſſe, præfatum oppidum in Sardinia fuiſſe, nihil præterea de eo habet; unde ſupervacuum non erit, me hic quædam de illo extremis digitis attingere. Ergo oppidum *Ardar* ab Urbe Saſſari aberat in meridiem circiter millia paſſuum quindecim. Nobiliſſimum olim, & Judicum, ſeu Regum Turritanorum Sedes ad ſæculum uſque decimum tertium fuit, a quo eorum Regnum *de Ardar* denominabatur. Conſtant hæc omnia ex variis diplomatibus, quorum nonnulla data dicuntur ab eiſdem Judicibus anno 1112. *In Regno, quod dicitur Ardar*, apud Mittarellium, & Coſtadonium *Tom. III. Annal. Camaldul. in Append. col.* 235.; anno 1120. *in Regno, qui dicitur Ardar* apud Gattolam *opere cit. pag.* 485.; anno 1236. *in Palatio Arderæ*, *in Palatio Regni Turritani de Ardera* apud Murat. *Tom. VI. Antiq. Ital. Medii Ævi Diſſert.* 71. *col.* 10. 12. 14. In illud juriſdictionem exercebat Epiſcopus Guiſarchienſis. Confer Vicum *Tom. II. op. cit. Par. 6. cap.* 14. *num.* 14. Supereſt adhuc Templum ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis magnificè conſtructum, in quo Concilia celebrata fuerunt, ac ut narrat idem Vicus *op. deſig. Par. 4. cap.* 33., ſepeliri conſueverant Reges Turritani. Reliquum oppidum ab imis everſum eſt, ideò nec inter loca, quæ Diœceſim Algarienſem, ad quam illius ſitus nunc ſpectat, a P. Vitali refertur, nec ab aliquo ex recentibus Geographis memoratur.

(1) Adi-ſis diploma Conſtantini *de Athen* apud Gattolam *op. cit. pag.* 156., nec non diploma Ugonis Epiſcopi Ortillenſis, ſeu Otanenſis, quo is Monach. Camal. Eccleſiam S. Petri in *Olim* conceſsit *T. III. Annal. in App. n.* 247. *col.* 379.

(2) Apud Cl. VV. Mittarellium, & Coſtadonium *T. cit. ad an.* 1113. *n.* 25. *pag.* 153.

(3) *Loco, quem ſupra indicavi.*

(4) Apud eoſdem *ibidem*.

(5) *Par. 6. Hiſt. Sard. cap.* 5. ſcribit, fuiſſe Archiepiſcopum Turritanum Bariſonis ætate anno ſcilicet 1155.

(6) Perquam facile eſt hoc ſuadere. Gonnarius Rex Turritanus anno 1154. circiter quadragenarius erat, uti diximus *in Catal. Jud. Turritan. n.* 6. Ergo ſi Bariſon ejus filius tunc ad annum 20., vel 22. perveniſſe dicatur, eſt id, quod probabiliter aſſeri poteſt. Fortaſſis eo

tempore evenerint, quemadmodum ab iis, qui ſimiles compilationes perſcribunt, fieri plerumque ſolet. Omnibus hujus generis Scriptoribus parum omninò ab eruditis Viris (1) tribui intelligo; multò minus præfato collectori tribuendum eſſe cenſo, qui non pauca ab ſe vitiata, ac deformata in ſuam tranſtuliſſe collectionem liquet ex eo, quod afferat, Sancti Nicolai *de Trulla* Eccleſiam Patribus Camaldulenſibus a Joanne Epiſcopo Sorrenſi datam fuiſſe, cum tamen conceſſa illis fuerit a Petro, & aliis *de Athen*, ut paullò ante narratum eſt. Hæc diſputata a me ſunt, ut apertum fiat, Bariſonis ætate Petrum *de Canneto* non amplius in vivis extitiſſe.

XII. AZZO, SEU ATHO II.

Bariſon *de Serra* Judex Arborenſis anno circiter MCXLVII. quædam bona Eccleſiæ S. Mariæ *de Bonarcanto*, *ſeu de Bonarcada* ad Monachos Camaldulenſes tunc ſpectanti in die conſecrationis ejuſdem elargitus eſt (2). Inter alios Antiſtites, qui donationis diplomati ſubſcribunt, & præfatæ conſecrationi adfuere, recenſetur Archiepiſcopus Turritanus, qui ſermone Sardo *Aju* vocatur.

Ego tamen cenſeo, illius nomen fuiſſe *Azu*, ac dictum eſſe *Aju* littera z in *j* perperam a Scriba mutata; cumque *Azu*, & *Athu* idem ſit nomen, mihi veriſimillimum ſit, Præſulem hunc eundem eſſe, ac *Athonem* illum, qui Judice Vico Eccleſiam Turritanam regebat anno MCLVI., habuitque *un Concilio Provincial para lo moral y eſpiritual gran obra*.

XIII. ALBERTUS.

Ex Monacho Caſſinenſi aſſumptus eſt ad Archiepiſcopalem dignitatem. Quo anno id factum, fruſtra adhuc ego diù, multumque conquiſivi. Illud certo conſtat, tantam geſſiſse dignitatem anno MCLXIV. In diplomate enim Athonis Epiſcopi Caſtrenſis ejuſdem anni, quo Priori Monachorum Camaldulenſium nonnullas Eccleſias in Sardinia conceſſit, Albertus Antiſtes appellatur (3).

Hic anno MCLXX. exemit Monaſterium Sancti Petri *de Nurchi* ab onere ſolvendi cenſum, quem pro Eccleſiis S. Georgii, & S. Mariæ pendere Archiepiſcopo Turritano antea conſueverant (4). Anno verò MCLXXVI. *precibus Willelmi Piſani Archiepiſcopi, Sardiniæ Primatis, & Apoſtolicæ Sedis*

eo tempore nondum is uxorem duxerat, cum major natu eſſet Petrus ejus germanus Frater, qui jam tum Judicis Calaritani Filiam matrimonio ſibi copulaverat. Vide Herbertum *in Fragmentis &c. T. II. op. S. Bernardi col.* 1830. *ed. Pariſ.* 1690. ac proinde nondum in lucem venerat Conſtantinus. Porrò veriſimile non eſt, Conſtantinum ſaltem ante annum ſuæ ætatis decimum expoſtulatum fuiſſe de proprio in rebus publicis conſenſu. Si verò an. 1154. addantur 10., fiet ſumma annorum 1164., quo tempore, ut paullo poſt trademus, Turritanam Eccleſiam gubernabat *Albertus*.

(1) Confer Mamachium virum eruditiſſimum *Epiſt.* 1. *ad Manſium de Ratione Temp. Athanaſianorum n.* 7. *pag.* 19. ubi etiam Scaligerum, Baſnagium, & alios hoc ſentientes recenſet.

(2) V. *Annal. Camald. T. III. lib.* 29. n. 32. *pag.* 299 *& in Append. n.* 286. *col.* 444. Hic obiter animadverto, ex hujuſmodi diplomate apparere Bariſonem, qui, cum typis commiſſa eſt Hiſtoria Judicum Arborenſium, ob monumentorum defectum ad annum 1164. dumtaxat mihi innotuit, longe ante Regni habenas moderari cæpiſſe.

(3) Ejuſmodi dipl. penes ſe habuiſſe teſtatur eruditiſſ. Guido Grandi *Append. ad Epiſt. de Pandectis Piſanis in Not. ad Monument.* 1.

(4) V. ejus Dipl. apud Murat. *T. II. Antiq. Medii Ævi diſs.* 32. *col.* 1051., *& Gattolam Par.* 2. *H. A. Caſ. inter Add., & Corr. pag.* 931.

dis Legati aſſenſu , *& conſilio D. Paroſonis Turritani Judicis*, *nec non Epiſcoporum* , qui Turritanæ Eccleſiæ ſubjecti erant , dono dedit *Hoſpitali Sancti Leonardi de Stagno Piſano Eccleſiam S. Georgii de Oleaſtreto* in Turritana Diœceſi ſita (1).

Ex quodam *Necrologio* , quod ex Bibliotheca Caſſinenſi publici juris fecit Eraſmus Gattola (2), apparet dies Alberti emortualis , qui fuit ſextus menſis Novembris , annus autem ex nullo monumentorum , quæ pervolvimus , liquet .

XIV. HERBERTUS.

Proximus Alberti ſucceſsor fuit dubio procul Herbertus natione Hiſpanus, patria Legionenſis . In Claravallenſi Cœnobio ſumpto habitu Monaſtico unus extitit ex S. Bernardi Diſcipulis . Tranſactis nonnullis annis ipſi delatum eſt Abbatiæ *de Moris* regimen , quæ a doctiſſimis Maurinis (3) in Diœceſi Lingonenſi Campaniæ Galliæ poſita dicitur . Quamdiù Abbatis munere ibidem functus ſit , latet . Illud conſtat , reverſum ad Monaſterium Claravallenſe tres libros *de Miraculis SS. Ordinis Ciſtercienſis* ſcripſiſse , poſteaque Turritanum in Sardinia Archiepiſcopatum obtinuiſse .

Hujuſmodi dignitatem adeptum eſse Herbertum una voce fatentur Patres Maurini citati , Carolus de Viſch (4), Chiffletius (5), ac Mabillonius (6), ſed de certo anno , quo id evenit , ſilent omninò omnes. Verumtamen, quantum ex variorum librorum lectione deprehendere potui , ſacris infulis inſignitus eſt eo temporis ſpatio , quod inter annum MCLXXVIII. , & annum circiter milleſimum centeſimum octogeſimum intercedit (7).

XV. BLASIUS.

In Antiſtitem Turritanum electus eſt Blaſius (8) anno circiter MCXCIX. ab

(1) Confer ejus Epiſt. apud. Wad. *T. IV. Annal. in Reg. Pontif. pag.* 486. *Ed. Rom.*

(2) Ad calcem *Par.* 2. *Acceſſionum ad Hiſt. Abb. Caſ. pag.* 860.

(3) *T. IV. Galliæ Chriſt. cal.* 843.

(4) *Bibliath. O. Ciſt. pag.* 146. *Ed.* 1656.

(5) *Præf. in lib. Herberti* , quos is edidit Divione an. 1660.

(6) Admonitione ad Script. vitæ S. Bernardi *T. II. ejuſdem S. Opp. pag.* 1234.

(7) Anno ſive 1179. ſive 1180. circiter Herbertum Turritanum Præſulem creatum fuiſse dubitari poſse non video ; enim verò anno 1178. nondum inauguratum Antiſtitem vitam egiſse monaſticam , ſententia eſt Autorum, quos modò indicavi . Quo autem tempore Joannes Eremita litteras miſit ad ipſum Herbertum de Vita S. Bernardi a Mabillonio *T. II. operum ejuſdem Sancti col.* 1280. recitatas , ille Pontifex erat ; ſiquidem datæ dicuntur *ad Herbertum Turritanum in Sardinia Archiepiſcopum* . At enim hujuſmodi litteras ſub annum 1180. ſcriptas fuiſse probat idem ipſe Mabillonius Vir doctiſsimus *in Admonit. &c. cal.* 1233. cui etiam Joan. Pinius *T. IV. Auguſti ad diem* 20. §. 64. aſſentitur .

(8) Apud Vicum , & Cantelium *Opere alids indic. Par.* 3. *Diſſert.* 6. *cap.* 7. neſcio quo errore ; hic Antiſtes electus dicitur ab Innoc. III. anno 1191. , ſeptem nimirum annos antequam ille ad Petri Sedem eveheretur . Uterque præterea hunc *Hildebrandum* appellat . Ego contra *Blaſium* nuncupo , & niſi multum me amo , jure , atque merito . Principio enim hujuſmodi nomine vocatur in diplomate Innocentii III. pro Eccleſia Lunenſi apud Ughellium *Tom. I. num.* 33. *col.* 851. quod dicitur *datum Laterani per manum Blaſii Archiepiſcopi Turritani nonis Martii , indic. 6. Incarnat. Dom. anno* 1202. , *Pontificatus verò D. Innocentii PP. III. anno* 6. (inchoato): deinde littera , a qua initium capit nomen A. T. anni 1205. eſt *B.* , uti apparet *ex Epiſt. Richi Archiep. Calar.* apud Gattolam *Hiſt. Abbat. Caſſ. Par. I. ſec.* 7. *pag.* 427.

ab Innocentio III. qui cum ejuſmodi electionem inſcio Archiepiſcopo Piſano egiſſet, hic *ratus id fuiſſe factum contra atque ſua privilegia poſtularent, conqueſtus apud Pontificem eſt. Innocentius ſumma gratia, & æquitate reſpondit, nullam ab ſe eſſe Archiepiſcopo illatam injuriam. Nihil enim ſimile Piſanæ Eccleſiæ privilegiis contineri* (1).

Blaſio nondum inaugurato litteras dedit idem ipſe Innocentius (2), quibus jubebat, ut una cum Archiepiſcopo Calaritano, & Epiſcopo Sorrenſi controverſiam, quæ Antiſtitem Arborenſem inter, & Canonicos verſabatur, componeret. Poſtea Romam venit, quò Sacro Oleo liniretur, ac in Urbe erat etiam anno MCCIII. menſe Martio (3). Videtur tamen eodem anno Sardiniam appuliſſe; idque colligitur ex litteris, quas Innocentius ad Turritanum, Calaritanum, & Arborenſem Judices anno indicato miſit: *monemus igitur nobilitatem veſtram, & exortamur, atque per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus ipſum* (nempe Archiepiſcopum Turritanum) *ob reverentiam Sedis Apoſtolicæ, & noſtram recipientes humiliter, & honorificè pertractantes, quæ ſuper Judicatu Galluren., & Arborea, & nobili muliere . . . . Filia quondam Judicis Galluren. tradenda nuptui, cum ad nubiles annos pervenit, & aliis vobis ex parte noſtra proponet, cum ſuper omnibus plenam noſtram noverit voluntatem, credere, & efficere procuretis: ita quod devotionem veſtram in hoc plenius cognoſcamus, ut per ipſius ſollicitudinem toti Provinciæ pax perveniat exoptata.* Eadem occaſione Pontifex ſcripſit etiam Archiepiſcopis, & Epiſcopis Inſulæ, ut in Blaſii manibus annuum tributum Eccleſiæ Romanæ penderent; ac præfatis Judicibus, ut coram eo fidei ſacramento ſe obſtringerent (4).

Sunt qui (5) opinantur, & niſi me fallo, hujuſmodi litteris innituntur, Blaſium per hæc tempora Pontificis Romani vices in tota Sardinia geſſiſſe. At enim in errore verſantur; nam ex his, quod Legatus Apoſtolicus fuerit, minimè inferri poteſt; hinc Abrahamus Bzovius, qui hæc omnia vidit, Turritanum Archiepiſcopum, non Legatum Apoſtolicum, ſed *Commiſſarium* Innocentii extitiſſe in ſcriptis reliquit (6). Mihi ſatis probabile fit, ſub his temporibus potius Archiepiſcopum Piſanum Legati munere præfata in Inſula functum eſſe; enim verò Romanus Pontifex anno MCCIV. Turritano Præſuli mandavit, ut *Piſano Antiſtiti Sardiniam ex Eccleſiæ ſuæ privilegio ſtatis temporibus luſtranti aſſiſteret, & quamdiu in ea-*

V dem

pag. 427., & Manſium *T. II. Supplem. ad Concil. Veneto-Labb. col.* 789.: tandem quod rem totam planè conficit, ſunt verba Benedictæ Reginæ Calaritanæ *in Epiſt. ad Honorium III. data anno* 1217., quam exhibui *Differt. prævia cap.* 2. *num.* 22., *& ſeq.*; ea verò ſunt hujuſmodi: *bonæ memoriæ Magiſtro Blaſio Turritano Archiepiſcopo in Apoſtolicæ Sedis obſequio, quondam ad Calarim venienti, pro eo quod credebatur ab ipſis* (Piſanis) *Apoſtolicæ Sedis Legatus, multas injurias; ac mortis minas nequiter intulerunt.*

(1) Verba ſunt doctiſsimi Thomæ Mariæ Mamachii *in notis ad Epiſt. 9. lib. 3. Innocen. III. nota* 4. Has aliquando vulgandas penes ſe habet, quæ verò uſui eſse mihi poterant, qua eſt ſingulari humanitate, ut legerem, Mſs. dedit.

(2) Vide ejus *Epiſtol.* 329. *lib.* 1. *Tom. I. pag.* 183. *edit. Baluziana.*

(3) Apparet hoc ex diplomate pro Eccleſia Lunenſi, cujus poſtrema verba paullò ante recitavi.

(4) Confer Raynaldum *T. I. contin. Ann. Eccleſ. ad ann.* 1203. *num.* 68. *pag.* 169. *edit. Lucenſ.* itemque Bzovium *Tom. I. contin. Ann. Eccl. ad eumdem ann. n.* 15. *pag.* 106. *edit.* 1616.

(5) Vicus, ac poſt eum Cantelius *loco indic.*

(6) *Loco citato.*

dem eſſet Provincia, *tamquam Apoſtolicæ Sedis Legato deſerret* (1). Peto autem, cur Innocentius hæc Blaſio in mandatis dedit, niſi quia is, ut qui pro Romana Eccleſia laborabat (2) in colligendis, quemadmodum opinari fas eſt, a Sardis Præſulibus, Judicibus, aliiſque Eccleſiis Papæ *immediatè* ſubjectis annuis tributis, Piſanum Archiepiſcopum Pontificis vices in Sardinia gerentem eo modo, quo tenebatur, venerari recuſabat?

Anno ſequenti controverſiam habuit cum Monachis S. Petri *de Nurchi*. Hi pendere debebant Antiſtiti Turritano *pro Eccleſia S. Mariæ de Chennor* . . . *viginti ſolidos monetæ Piſanæ*, *& pro Eccleſia S. Jorgii de Barache unam libram argenti*, *tam in conſecratione novi Archiepiſcopi*, *quam in adventu Legati Romanæ Eccleſiæ*. Cum anno MCLXX. Albertus Blaſii deceſſor eoſdem ab hoc onere liberaſſet, præfatum tributum ſolvere recuſabant. E contrario idem ipſe Blaſius illud exigebat, aſſerebatque injuſtè Albertum eos exemiſſe. Cauſſa delata eſt ad Innocentium, qui Richo Calaritano Præſuli mandavit, ut accerſitis litigatoribus de illa judicium ferret. Richus verò illud a Blaſio obtinuit, quod is Monachis cenſum viginti ſolidorum, una cum negligentia pendendo tributo adhibita remitteret, dummodo tamen libram argenti perſolverent. „ Ipſe Archiepiſ„ copus, *inquit memoratus Richus*, „ tamquam Vir religioſus, & pius ad „ preces noſtras, & aliorum bonorum „ Virorum omnem negligentiam tunc „ uſque factam ſuper ſolutionem cen„ ſus pro reverentia Dei, & Caſſinen„ ſis Eccleſiæ relaxavit, & in futurum „ dictos viginti ſolidos remiſit in per„ petuum. De dicta libra argenti di„ xit, & ſtatuit, ut certis tempori„ bus . . . . Turritano Archiepiſcopo „ ſemper, & pacificè perſolvatur (3) „.

Archiepiſcopus noſter in magna ſuit apud Pontificem Romanum æſtimatione; quocirca non ſolum munia, de quibus hactenus mentio facta eſt, ſed alia quoque negotia illi ab eodem commiſſa fuere. Cum Judex Turritanus, ejuſque Uxor quarto, & quinto conſanguinitatis *gradu* conjuncti eſſent, ac ex illorum divortio grave ſcandalum immineret, Innocentius anno MCCIV. Blaſii arbitrio hanc cauſſam demandavit (4). Poſt biennium ipſemet Pontifex juſſit Guillelmo Judici Calaritano, ut in illius manibus ſuam Eccleſiæ Romanæ obligaret fidem (5). Anno circiter MCCXII. eidem Archiepiſcopo præcepit, ut una cum Antiſtite Arboreæ, *penſatis prudenter circumſtantiis rerum*, *& perſonarum*, *temporum*, *& locorum ſalutare conſilium auctoritate Apoſtolica* tribueret memorato Guillelmo *ſuper negotio Arborenſi*, ac præterea de illius matrimonio cum Filia Comitis Guidonis non legitimè contracto inquireret (6).

Quan-

(1) Confer Raynaldum *Opere indic. ad an.* 1204. *num.* 78. *pag.* 202.

(2) Vide Raynaldum *ibidem*.

(3) *In Epiſtola*, *quam nuper indicavimus*.

(4) Conſulito Raynaldum *loco deſig.*

(5) Lege *Innocentii Epiſtol. ad præfatum Judicem l.2. Decretal. tit.*24. de Jurejurando *cap.* 22. apud Gonzalez *Tom.II. pag.*584. *edit.* 1673. In ejus fine hæc habentur: *monemus igitur nobilitatem tuam*, *& exhortamur attentius*, *& per A. S. m. atque p. quatenus omni excuſatione*, *& occaſione ceſſ. in manibus ejuſdem Archiepiſcopi* (Turritani) *fidelitatis nobis*, *& Eccleſiæ Romanæ exhibeas juramentum*. FF. Pithæi *in notis Chronolog. ad eandem Epiſt. pag.* 119. *ed. Taur.* 1740. notant, ſcriptam fuiſſe anno 1206. Edit. Pithæana, ſicuti etiam quædam aliæ a me lectæ, verbis nuper memoratis carent.

(6) Conferantur *ejus Epiſtolæ* 102. 103. *lib.* 14. *T. II. pag.* 554. *edit. citatæ*.

Quantum ex litteris Benedictæ Reginæ Calaritanæ deprehendere potui, Blaſius ſub annum MCCXVI. extremum diem morte confecit.

XVI. Januarius.

Honorius III. Pontifex Maximus anno MCCXVIII. ſcribit ad Archiepiſcopum Turritanum de jure, quod Antiſtes Piſanus, tamquam Primas, & Legatus totius Sardiniæ, in Provinciam Turritanam habebat (1). Quo nomine vocatus ille fuerit, nec ex Pontificiis litteris, nec aliunde mihi liquet. Franciſcus Vicus narrat, Januarium hujus Eccleſiæ Præſulem anno MCCXXV. Templum conſecraſſe S. Theodori *de la Villa de Coguinas*. Hæc ſi vera ſunt, ſatis probabile eſt, Januarium illum ipſum eſſe, cui, ut antea dixi, Honorius litteras dedit.

XVII. Opizzo.

Si qua Vico fides, Opizzo Januæ ortus electus eſt anno MCCXXX.. Anno ſequenti die 13. Septembris in Patria exiſtens nondum conſecratus una cum Simone Præſule Albingaunenſi ſubſcripſit cuidam diplomati, quo Otto Archiepiſcopus Genuenſis Monaſterium S. Catharinæ ad Moniales S. Claræ ſpectans ab omni Epiſcopali juriſdictione cum in ſpiritualibus, tum in temporalibus (2) exemit.

XVIII. Stephanus.

Natione Hiſpanus. Bononiæ ſacra Prædicatorum Familia anno MCCXIX. modo verè mirabili receptus eſt a Sanctiſſimo Patriarcha Dominico, de cujus virtute poſtea teſtimonium ſeptimo loco dixit. Ob inſignem pietatem, atque doctrinam Prior electus eſt Provinciæ, quam Longobardiam appellant; cumque eam adminiſtraſſet duobus luſtris, & ultra (1), officium dimiſit anno MCCXXXVIII. in Comitis ſui Ordinis Generalibus Bononiæ celebratis, prout Echardus Bernardi Guidonis, aliorumque veterum monimentorum auctoritate innixus narrat (2). Ex hoc aperte liquet, Stephanum, non anno MCCXXXVII. Epiſcopum creatum eſſe, ut memoriæ prodiderunt Fontana (3), ſed poſt menſem Maii an. MCCXXXVIII. ut in ſcriptis reliquit cl. Bremondius (4), Turritanam Cathedram conſcendiſſe.

Innocentius IV. anno MCCLII. circiter eum declaravit Legatum ſuum Inſularum Sardiniæ, & Corſicæ, ut ex ipſius Pontificis verbis illum alloquentis ſit manifeſtum (5) „ Cum tibi in „ Sardinia, & Corſica conceſſerimus „ plenæ Legationis Officium, ejuſdem „ officii plenitudine in omnibus fungi „ te volumus, qua præditi noſcuntur „ Apoſtolicæ Sedis Legati, qui de no„ ſtro latere tranſmittuntur prærога-

„ tiva

(1) Epiſtol. caſt. apud Ughell. *Tom, III. in Archiep. Piſanis num.* 51. *col.* 424.

(2) Conſule Ottonis litteras apud Wad. *Tom. III. Annal. O. M. in Regeſ. Pontif. ad an.* 1255. *pag.* 532. *edit. Rom.* Conſule item Ughell. *Tom. IV. in Arch. Januenſ. col.* 884.

(3) Prioris Provincialis munere XI. annis functum eſſe ſcribunt eruditiſſimi Annalium O. Præd. Auctores *T. I. ad an.* 1219. *num.* 38. *lib.* 2. *pag.* 544. *edit. Rom.* 1756. eorum verba ſunt: *Hic annis* XI. . . . . *Provinciam Lombardiæ adminiſtravit, Archiepiſcopatumque Arborenſem in Sardinia geſſit*. Idem aſſerunt etiam *nota* 4. Echardus *T. I. S. O. P. pag.* 53. *in not. ad Bernard. Guidon. in vita S. Dominici* opinatur, præfatum munus XVI. circiter annos geſſiſſe.

(4) *Ibidem*. Echardus licet in ſui Ordinis Hiſtoria verſatiſſimus, quæ Stephano, poſtquam Prioris Provincialis munus dimiſit, acciderunt, fatetur ſe ignoraſſe.

(5) *Theat. Domin. pag.* 108., & *Monum. Domin. Par.* 1. *cap.* 3. *pag.* 41.

(6) *Tom.* 1. *Bull. O. P. pag.* 113.

(7) Exſt. apud Raynaldum *ad eum an. num.* 33. *T. II. pag.* 468. *edit. Lucenſ.*

„ tiva gaudentes præ aliis potiri. Dat. „ Peruſii II. Nonas Septemb. an. X. „ Porrò hac dignitate inſignitus non amplius erat anno MCCLV. , hoc enim 15. Cal. Aprilis exſtabat Soræ in Regno Caſtellæ, quo eum miſerat Fridericus Archiepiſcopus Piſanus , ut ejus vices gereret in eligendo Alphonſum Legionis, & Caſtellæ Regem , in Romanorum Imperatorem (1).

Memini me legiſſe apud Bartholomæum Scalam (2), & Auguſtinum Juſtinianum (3), Archiepiſcopum Saſſaritanum , qui Romani Pontificis Legatus erat anno MCCLXIII. , Januam appuliſſe , ubi nonnullos moratus eſt dies, ut Legationem ſuam Senatui exponeret. Neſcio autem , utrum hic fuerit Stephanus (4) ipſe ad amiſſam dignitatem denuò aſſumptus, an alter ei ſuffectus,

(1) Confer Ughell. *T. III. in Archiep. Piſanis n.52.* ac *duo monumenta* , quæ eum ipſe , tum Troncius *Annali Piſani pag.204.* referunt. In fine ſecundi hæc leguntur *col.438.* apud citatum Ughellium. „ Acta ſunt hæc omnia in Villa de Soria de Hiſpania Regni Caſtellæ in Palatio re-
„ gali . . . . in præſentia dominorum Fratris Stephani de Ordine FF. Prædicatorum Archie-
„ piſcopi *Tremani* , & Fratris Laurentii de Portugallia de Ordine Fratrum Minorum Pœniten-
„ tiarii D. Papæ, & proſecutoris negotii Crucis in tota Hiſpania . . . , anno 1256. ſecundum
„ curſum Piſanorum indic. 14. decimo quinto Cal. Aprilis „ . In hoc diplomate Stephanus vocatur Archiepiſcopus *Tremaaus* ; a Bernardo Guidonis apud Bremondium *loco laudat.*, nec non a Taegio *lib.3. de Inſig. O. P. diſt.2. cap.7. pag.87.* dicitur *Treneams* ; a S. Antonino *Hiſt. Par.3. tit. 23. cap.11. § 1. Fol. 178. edit. Lugd. 1543.* nuncupatur *Trecbanns* . Sed non idcirco Stephanus huic Eccleſiæ abjudicandus eſt ; nam, aliis miſſis rationibus , Archiepiſcopus *Turritanus* appellatur ab Ughellio , Raynaldo monimentis Vaticanis innixo, Bremondio, atque in primo eorum, quæ citavi, diplomate.

(2) Ejus verba paullò poſt recitabo.

(3) *Annali di Genova lib.3. all'anno 1263 . fol. 97. edit. 1537.*

(4) Franciſcus Vicus Stephanum in Archiep. Turritanis non agnoſcit , ſed poſt Opizonem refert Proſperum, quem electum aſſerit anno 1258., quod falſum eſſe ex a me paullo ante narratis, aperte conſtat. Plura de eo tradit, ac inter cætera, declaratum R. P. Legatum totius Sardiniæ anno circiter 1263. Concilium celebraſſe , cui ille præfuit , & ſinguli alii Regni Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates interfuerunt . Hoc ordine recenſentur ab eodem Vico *Tom. II. Par.4. cap.31. Fol.72.*, ex ejus Actis, quæ Mſs. in Tabul. Eccleſ. Turritanæ, Arborenſis, & Uſellenſis aſſervantur.

Proſper Archiepiſcopus Turritanus Metropolitanus Legatus Sardiniæ , & Corſicæ .

Archiepiſcopus Calaritanus.	*Archiepiſcopus Arbarenſis.*
Epiſcopus Terralbenſis.	*Epiſcop. Sanctæ Juſtæ.*
Epiſcop. Dolienſis.	*Epiſcop. Uſellenſis.*
Epiſcop. Suellenſis.	*Epiſcop. Sulcitanenſis.*
Epiſcop. Civitatenſis.	*Epiſcop. Orbunenſis.*
Epiſcop. Sorrenſis.	*Abbas de Saccargia.*

In hoc autem Concilio habito, ut ille ait, in oppido Bonarcadæ, quod ad Diœceſim Arborenſem ſpectat, uti liquet ex numero pagorum illi ſubjectorum apud Vitalem *in Appara. ad An. Sardiniæ col. 35.* editæ ſunt communi ſuffragio (*Virus loco cit.*) 31. Conſtitutiones valde fructuoſæ ad bonum Eccleſiarum regimen. Ex his una eſt (*Vicus Par. 6. c.5.*) *de Sanctis non canonizatis , & tollendis Reliquiis inconſulto Pontifice expoſitis , & demolitione Eccleſiarum eiſdem erectarum* . Singulas executioni mandarunt in Concilio Provinciali Saſsari poſtea habito, & in altero item Provinciali celebrato Arboreæ ab Oddone illius Urbis Antiſtite an. 1309., & a ſuis *Suffraganeis* Joanne Epiſcopo Sanctæ Juſtæ , & Roberto Epiſcopo Terralbenſi, in quo inſuper undecim alias Conſtitut. ediderunt : Vicus *Par. 4. c. 31.*

Com

Digitized by Google

fectus, cujus nomen perſpectum mihi non ſit.

XIX. TORGOTORIUS.

Ortus eſt Saſſari nobili genere, cui ut magis ſplendeſceret, inſignem virtutem copulavit. Anno MCCLXXVIII. ex populo, qui uni parebat Eccleſiæ S. Nicolai, quam in Metropolim Saſſaritanam erectam fuiſſe circiter medio ſæculo 15. alibi narravi, ſufficienti animarum multitudine eidem prius aſſignata, quatuor alias conſtituit *Parochias*, nempe S. Catharinæ, S. Sixti, S. Donati, & S. Apollinaris (1): conſtruxit præterea in Patria Palatium, in quo Archiepiſcopus habitat.

Teſtis eſt Ughellius (2), naturæ ſatisfeciſſe circa annum MCCLXXXIX.

XX. PANDULPHUS.

Ex Papæ *Cappellano* creatus eſt Epiſcopus Eccleſiarum Pactenſis, & Liparenſis, ſed ob maxima Siciliæ tempora coactus a propria Sede exulare, Romam acceſſit ad Nicolaum IV., qui miſericordia motus anno ſui Pontificatus III. mortuo Dorgodorio, ei adminiſtrandam tradit Turritanam Eccleſiam. Poſtea creatus eſt Antiſtes Eccleſiæ Anconitanæ, tandem paucos poſt annos Romam reverſus obiit, ac ſepultus jacet in *Diaconia* S. Agathæ in *Suburra*, in cujus Sepulcro hoc elogium inciſum legitur: *Hic jacet D. Pandulphus Epiſcopus Pactenſis, cujus anima requieſcat in pace* (3).

XXI. THEODOSIUS.

Dimiſsa a Pandulpho hujus Eccleſiæ adminiſtratione, electus in Archiepiſcopum eſt anno MCCXCII. Theodoſius patria Piſanus. Is in deliciis habens moram Saſſari trahere, Palatium

Ar-

Cum nemo ex tot, qui Collectioni Conciliorum locupletandæ operam navarunt, Synodorum, de quibus hactenus verba feci, Acta ediderit, ſi quis eadem publica donaret luce, tam gratum faceret, quam quod gratiſsimum. Ego, quod ad primum Concil. attinet, per litteras ſupplicare non omiſi virum Saſsaritanum doctum, mihique ſodalitate conjunctum, ut illius Acta tranſmittere vellet, ſed nondum, neſcio quo caſu, dedit reſponſum, quo ſaltem in magnam ſpem animum meum erigeret, ſe aliquando miſſurum. Si voti compos factus ero, ea ad calcem hujuſce operis in lucem emittam. Interea animadverto, non deeſse, qui Concilium Bonarcadenſe dubium cenſent, imo verò etiam qui libere apocryphum pronuntiant. Ambroſius Machinus *lib.* 2. *Defenſionis Primatus Arch. Calaritani cap.* 38. *pag.* 170. aſserit ſpurium, & a Turritanis confictum, qui, ait ille, ſoliti ſunt ſimilia facere, uti conſtat ex Catalogo Archiep. Turritanorum. *Clodius accuſat Machos, Catilina Cethegum.* Dubium verò cenſet cl. Cantelius *Hiſt. Metropol. Urbium Par.* 3. *Diſsert.* 6. *cap.* 4. *num.* 6. Huic ego quoque adſtipulor ob ſequentes conjecturas; in primis enim Turritani variant de anno, quo fuit celebratum, quorum aliqui hoc factum aſserunt anno 1263., alii (*apud Machinum ibidem*) anno 1272.; deinde incertum eſt, utrum Proſper unquam hanc adminiſtrarit Eccleſiam; etenim Vicus, qui iſtius meminit, ait electum eſse anno 1252., quo erat Archiepiſc. Stephanus; tandem eſto Proſper Turritanam per ea tempora occupaverit Sedem, tamen Antiſtes Saſsar., ſeu Turr. anno 1263. Legatus erat Pontif. non in Sard., & Corſica, ut legitur in præfatæ Synodi Actis, ſed ad Genuenſes, uti Juſtinianus *loco indic.* tradit, & ante illum litteris conſignarat Bartholomæus Scala *lib.*6. *Annal. Genuenſ.* apud Murat. *T. VI. Script. Rer. Ital. col.* 530.; *de menſe Junii* (an. 1263.) *circa exitum dicti menſis venerunt* . . . . . *Ambaſiadores Januam, & adduxerunt ſecum Legatum unum Dom. Papæ ſcilicet Archiep. de Saſſari: qui Januæ ſtetit per multos dies, & expoſuit in conſilio Ambaſciariam ſuam ex parte Domini Papæ.*

(1) Adeundi Vitalis *Appar. ad Annal. Sard. col.* 33., & Vicus *Opp. cit. Par.* 6. *cap.* 6.

(2) *Tom. I. in Epiſc. Liparenſ. num.* 16. *col.* 779.

(3) Confer Ughell. *loco indic.* & Rochum Pirrum *T.II. Sicil. Sac. in Not. Eccl. Pact. & Liparenſ. pag.* 779.

Archiepiſcopale, quod a Torgotorio conſtructum vidimus, auxit, ac præterea Sacellum, ſeu, ut ajunt, *Oratorium* Sancto Andreæ dicatum, anno MCCCIII. ædificandum curavit, ut ex epigraphe, quæ in eo viſitur, ſit manifeſtum (1). *Tempore Dom. Bonifacii Papæ VIII., Rerendiſſimus Pater, & Dominus Theodoſius Archiepiſcopus Turritanus natione Piſanus fecit fieri iſtam Eccleſiam ad honorem Beati Andreæ Apoſtoli.*

XXII. Joannes I.

De Ordine Fratrum Minorum Eccleſiam Nicoſienſem cum Turritana commutavit anno MCCXCV., ſicuti tradit Ughellius (2), & ex eo Lequienius (3). Poſt biennium quinto Calendas Julias erat apud Urbem veterem, ſimulque cum aliis Epiſcopis *Indulgentias* conceſſit noſtræ Eccleſiæ Urbis Tuſcaniæ (4). Poſtea Romam venit, forſitan *ad limina*, ut loquuntur, ubi anno quoque MCCXCVIII. die decima ſexta menſis Maii vitam trahebat, unuſque ex illis fuit Antiſtitibus, qui per idem tempus *Indulgentias* elargiti ſunt Eccleſiam noſtram Aſculanam in Piceno Seraphico Patri ſacram viſitantibus, uti apparet ex eorum litteris, quas in hujus operis *Appendice* recitabo.

Anno MCCCI. a Bonifacio VIII. facultas ei data eſt inaugurandi Bartholomæum Piſanum Franciſcanum Epiſcopum Ampurienſem. Hæc conſtant ex Pontificiis litteris a Wadingo (5) laudatis, in quibus licet expreſſum non ſit, nec a Wadingo ipſo indicatum, quo nomine nuncupatus fuerit Turritanus Antiſtes, cui miſſæ ſunt, tamen non dubito, quin fuerit Joannes Minorita.

XXIII. Theodorus.

Litteris conſignavit Vicus, Theodorum patria Januenſem electum fuiſſe in Præſulem Turritanum anno MCCCVI. ſed revera id factum eſt anno præcedenti. Hujus meminere Surita (6), ac etiam Cantelius (7), quorum uterque ſcribit, totius Sardiniæ populorum nomine ad Jacobum II. Aragoniæ Regem Legationem obiviſſe. Vix, ac ne vix quidem ambigo, Theodorum hunc illum ipſum eſſe Turritanum Archiepiſcopum, quem anno circiter MCCCVIII. Clemens hujus nominis quintus ad Concilium Viennenſe poſt triennium celebratum vocavit (8).

XXIV. Petrus II. de Portilo.

Hiſpanus, ex Aragoniæ Provincia, Ordinis Prædicatorum. Sacræ Theologiæ lauræa inſignitus eam facultatem puplicè Valentiæ docuit. In pertractandis rebus maxima dexteritate, & prudentia præditus ille fuit. Hac inſigni doctrinæ, nec non ſanctitati conjuncta longe divulgata electus eſt Sacerdos a Confeſſionibus Jacobi II. Aragoniæ Regis, ejuſque Conjugi Blanchæ Sancti Ludovici Ordinis noſtri alumni, & Epiſcopi Toloſani Sorori ſummè carus evaſit. Anno demum MCCCXXVII. a Joanne XXII. Sedem Turritanam con-

(1) Refert hanc Vicus *Opp. indic. Par. 6. cap. 3. num. 9. Par. 5. c. 3. n. 6.*

(2) *T. I. in Ep. Liparenſ. n. 18. col. 779.* (3) *T. III. Orient. Chriſt. col. 1206.*

(4) V. Theulium noſtrum *Appar. Minor. della Provinc. di Roma l. 2. c. 2.* Ibi Joan. Archiep. *Turonenſis* vocatur, ſed dubio procul error eſt; nam Eccleſiam Turronenſem in Gallia ab anno 1294. ad 1310. non Joannes, ſed Reginaldus de Montbaſon adminiſtravit. Lege Sammarthanos *T. I. Gall. Chriſt. pag. 777. Ed. 1656.*

(5) *T. VI. in Regeſ. Pontif pag. 418. Ed. Romanæ.*

(6) *T. II. Annal. Reg. Aragon. l. 5. c. 68. fol. 424.*

(7) *Opp. paullò ante indic. r. 7.* (8) Confer Acta apud Hard. *T. VII. col. 1331.*

conſequutus eſt, quam plures annos ſanctè, prudenterque rexit (1).

XXV. BARTHOLOMÆUS.

De Bartholomæo hujus Eccleſiæ Antiſtite nihil aliud ſcimus, niſi quod vita functus erat anno MCCCLIV. die 12. Februarii, quo ejus ſucceſſorem electum fuiſſe conſtat (2).

XXVI. DIDACUS I. NAVASQUES.

Carmelita litterarum ſcientia, vitæ munditia, morum elegantia, aliiſque virtutum donis præclarus (3) ab Innocentio VI. Turritanum Archiepiſcopatum anno, & die paullo ante indicatis obtinuit.

XXVII. BERNARDUS.

Hanc moderatus eſt Eccleſiam ad diem uſque octavam Auguſti anni MCCCLXIX.; tunc enim ad Calaritanam tranſiit, ut rectè eſt a Wadingo animadverſum (4).

XXVIII. GUILLELMUS BELUAYSIUS.

Ex Antiſtite Nazareno Guillelmum Franciſcani Ordinis alumnum hujus Eccleſiæ Archiepiſcopum renuntiatum anno MCCCLXIX. fuiſse, non ſolum qui præ cæteris diligentius res noſtras perſequutus eſt Wadingus (5), verum etiam Ughellius (6), atque Lequienius (7) in ſcriptis reliquerunt.

XXIX. JACOBUS I. GUALBEROTTI.

Summo genere Piſis ortus eſt. Vix ex ephebis exceſſus habitum Fratrum Dominicanorum induit non ſine multorum reluctatione, qui omnem verterunt lapidem, ut ad paternos rediret lares, tametſi a ſancto propoſito eum nunquam dimovere potuerint. Gravia Ordinis ſui munia illi credita ſunt, præſertim verò illud negotia in Pontificis aula gerendi. Ad Piſanorum preces Gregorius XI. Turritanum Archiepiſcopum eum conſtituit circiter annum MCCCLXXV. Ut erat homo ſumma prudentia, multa etiam doctrina, ac plurimo rerum uſu rectiſſimè hanc Eccleſiam gubernavit uſque ad annum MCCCLXXIX., quo obiit, uti nos docent Conventus Piſani Dominicanorum monumenta (8).

XXX. JACOBUS II. PETRI.

Eandem Patriam, idemque Religioſum Inſtitutum, ac Jacobus Gualterotti, ſortitus, profeſſuſque eſt Jacobus Petri. Sanguine obſcurus is fuit, virtutibus clariſſimus, adeoque gratus, acceptuſque evaſit Piſanis ob doctas Conciones Piſis, aliiſque in locis communi plauſu recitatas, ut ipſi multis precibus ab Urbano VI. petierint eligi in Turritanum Antiſtitem. Eorum voluntati obſequutus eſt Pontifex ſub annum

(1) Adiſis Fon. *Theat. Domin. pag.* 97. Bremond *T. II. Bull. pag.* 206., alioſque ab eo laud.

(2) Conſule Conſtit. Innocen. VI. incip. *Dum ad univerſas* apud P. Monſignanum *T. I. Bull. Carmelit. pag.* 592.

(3) P. de Villiers *T. II. Biblioth. Carmelitana col.* 905.

(4) *T. VIII. Annal. Ord. Minorum ad eum an. n.* 20. Antiſtites, quos certis innixus rationibus poſt Petrum de Portillo hanc rexiſſe Eccleſiam, aſſerui, omittit in ſuo Catal. Vicus, qui tamen ſcribit anno 1360. Archiep. fuiſſe Arnaldum. Hunc, teſtimonio Juſtiniani fretus, ait, Papæ Legationem obiviſse ad Januenſes. Satis veroſimile eſt, Bernardum noſtrum eundem eſſe atque Arnaldum, hoc nomine vocatum, aut Vici, aut Amanuenſium culpa.

(5) *Ibidem.* (6) *T. VII. in Archiep. Nazar. n.* 15. *col.* 773.

(7) *T. III. Orient. Chriſt. col.* 1300. *in Archiep. Nazar.*

(8) Apud Fontanam *Theat. Domin. pag.* 109.

num MCCCLXXX., ſed poſt ægram valetudinem latam diem clauſiſſe ſupremum, antequam ſponſam ſuam amplecti poſſet, tradunt monumenta paullò ante citata.

XXXI. Joannes II.

„ Fuiſſe hoc tempore (*anno ſcilicet* „ MCCCLXXXVII.) Archiepiſc. Tur„ ritanum, alias Saſſaritanum... Fra„ trem Joannem Minoritam, teſtan„ tur Annales Aragonii, quem Petro „ IV. Regi hoc anno nonis Januarii, „ Barcinone morienti aſtitiſſe; fuiſſe „ etiam a Sacris Confeſſionibus ſcri„ bunt, eique commendaſſe reſtitutio„ nem bonorum omnium, quæ Eccle„ ſiæ Metropolitanæ Sanctæ Teclæ Tar„ raconenſi ipſe eripuerat (1).

Porro Joannes ad hanc moderandam Eccleſiam nonnullos ante annos aſſumptus eſt; etenim is Turritanus Antiſtes anno MCCCLXXX. die Veneris 10. Julii, ut quidam Codices in Tabulario Vaticano aſſervati loquuntur (2), una cum Epiſcopo Oſcenſi, pluribus S. T. M. ex Ordine Prædicatorum, Minorum, Auguſtinianorum, Carmelitarum, Juris Canonici Doctoribus, & Conſiliariis Regiis, juſſu Regis Aragonum, in domum Fratrum Minorum Barcinonenſem convenit ad examinandas revelationes, quibus Petro Aragonio noſtræ Societatis Alumno demonſtratum fuerat, Urbanum VI. verum, ac legitimum Chriſti Domini in terris Vicarium eſſe.

Joannem memorat etiam Vicus, ſed quod ad electionis annum attinet turpiter errat. Is enim, qui nec Guillelmum, nec cæteros, quos ante Joannem laudavi, inter Pontifices Turritanos refert, hunc ſtatim poſt *Arnaldum* anno nimirum MCCCLXIII. renuntiatum fuiſſe ſcribit, annum verò MCCCLXXVIII., quo ut ſupra animadverti, Eccleſiam jam gubernabat Joannes, creatum aſſerit *Antonium*, neſcio quem, cui defuncto, ejus ſententia, anno MCCCXCI. ſucceſſit *Franciſcus*. Maximum ſchiſma, quod plures annos Eccleſiam vexavit, in cauſa fuiſse reor, cur duo, vel plures exſtiterint per idem tempus Archiepiſcopi Turritani.

XXXII. Ubaldinus Cambi.

Florentiæ ex claris Parentibus natalem vidit diem. Vir fuit ſumma dexteritate, ac prudentia præditus; idque ex eo inferri poteſt, quod Florentinus Senatus apud Cæſarem difficiliora expedienda negotia ipſi detulerit. Ex *Apoſtolico Referendario*, ut loquuntur, ſpoliorumque Collectore in Regno Pragenſi Cortonenſis Epiſcopus electus a *Capitulo* eſt, ſed nondum inauguratum, anno MCCCXCI., ut habet Ughellius (3), Bonifacius IX. Archiepiſcopum Turritanum renuntiavit. Exacto ſexennio ad Eccleſiam Arborenſem (4) tranſiit.

XXXIII. Antonius I. Cippollonius.

Patria Florentinus, ac celeberrimi Do-

(1) Wading. *Tom. IX. Annal. Min. ad eum an. num.* 2. *pag.* 75.

(2) Apud eumdem Wad. *ad an.* 1378. *num.* 4. *pag.* 15.

(3) *Tom. I. in Epiſcop. Cortoneuſ. num.* 7. *col.* 627.

(4) Non modò Vicus, verum etiam Fontana *Opere ante indic. Par.* 1. *pag.* 98. Bremondius *T. II. Bull. O. P. pag.* 460., & alii apud ipſum aſſerunt, anno 1392. renuntiatum hujus Eccleſiæ Archiep. eſſe *Joannem de Paſſaviis* Dominicanum ex Provincia Aragoniæ Virum magna doctrina præditum, facundum Verbi Dei Concionatorem, atque in Urgellenſi Cathedrali Eccleſia Sacræ Scripturæ Lectorem. Iis, quæ de Joannis electione ajunt præfati Auctores non

Dominicanorum Ordinis alumnus. Poſt adminiſtratas Eccleſias Feſulanam, Volaterranam, & Æginenſem ad Turritanam tranſiit, teſte Ughellio (1). Idipſum ex aliorum ſententia narrat Scipio Ammiratus Junior (2). Ex bis nemo, quo anno eò acceſſit, indicat, at cl. Bremondius (3) ſcribit, id factum anno circiter MCCCXCVIII. eſſe.

Michael Lequienius (4) Cavalierum ſequutus exiſtimat, Antonium noſtrum Saſſari e vita migraſſe anno MCCCCIII.. Franciſcus Vicus hujus Antiſtitis non meminit.

XXXIV. PRIMUS.

Idem ipſe Vicus litteris conſignavit, Primum in Archiepiſcopum Turritanum electum anno MCCCXCIX. fuiſſe. Etſi, ut modò narratum eſt, per hæc tempora in vivis adhuc fuerit Antonius, tamen nulla cauſſa eſt, cur hoc eam inficias; enim verò cum duó Pontifices univerſam Eccleſiam tunc gubernarent, nempe Bonifacius IX., & Benedictus XIII., nihil propenſius ad veritatem eſt, quam quod duo etiam fuerint Turritani Præſules.

Utrum vita functo Antonio, regimen ſuæ Eccleſiæ ſuſceperit, me penitus latet. Illud unum compertum habeo, quod anno MCCCCIX. nondum e medio abierat; ſiquidem in Actis Concilii Piſis eo anno celebrati hæc leguntur: *die undecima Aprilis* (Piſas pervenit) *D. Bartholomeus de Bando Accolythus D.N. Papæ procuratorio nomine D. Primi Archiepiſcopi Turritani in Sardinia* (5).

XXXV. JOANNES III. ATHENAS.

Succeſſit Primo mortuo, fortaſſis antequam memoratus annus finem acciperet. Ne ſolidum biennium quidem hanc Eccleſiam gubernavit, uti ex Wadingo colligitur, qui ſcribit Turritanum ſolium conſcendiſſe Nicolaum per obitum Joannis (6). Hic dubio procul eſt Jöannes cognomento *Athenas* patria Saſsaritanus, quem Vicus inter hujus Sedis Pontifices numerat, licet nec electionis, nec mortis annum indicet.

XXXVI. NICOLAUS.

Patria Romanus, ex Ordine Fratrum Minorum Sacræ Theologiæ Magiſter. Pater Caſimirus (7), qui contra ac vetera, certaque patiantur monimenta

non repugno; ſed cum intelligam hoc eodem anno in poſſeſſionem Eccleſiæ Turritanæ veniſſe *Ubaldinum Cambium*, quod ſeribit Fontana *loco citato*, nimirum: *oves ſibi erditas ad ſalutis paſcua dirigerr* (Joannes) *qaoad vixit, non deſtitit*, falſum exiſtimo. Arbitror enim, ob teterrimum, longiſſimomque eorum temporum ſchiſma, numquam ad Turritanam Eccleſiam acceſſiſſe.

(1) *Tom. I. ia Ep. Volaterr. num. 55. col. 1457.*

(2) *In Ep. Volater. pag. 163. edit. Florent. 1627.* „ il Giovanelli, *inquit*, & il Conti fanno paſ„ ſare queſto Veſcovo (*Antoniam*) alla Chieſa Turritana di Sardigna, & il Giovanelli dice „ valerſi dell' antorità di un libro di pergamene del Maffei, che moſtra conſervarſi nel Ve„ ſcovado di Volterra „.

(3) *Opere indic. pag. 461.* (4) *Tom. III. Orlentis Chriſtiani col. 870.*

(5) Apud eruditiſsimum Manſium *T. III. Supplem. ad Concilia Veneto-Labbea. col. 1071.*

(6) *Tom. IX. Annal. Min. ad ann. 1411. num. 3. pag. 348.*

(7) In Opere eui titulus: *Memorie Iſtoriche dr' Conventi de' Frati Minorl della Provincia Romana cap. 29. pag. 475.* Quod vix, ac ne vix qnidem mente aſſequi poſſum, eſt, quamobrem opus ſuum inſcripſerit: *Mrmorie Iſtoriche . . . de' Fratri Minori* ſine adjectu *dell' Oſſervanza*. Sanè de primia Franciſcanorum Heroibus, qui in Romana Provincia floruerunt, nec

menta Nicolaum noſtrum inter ſuos Sodales, Franciſcanos nempe *de Obſervantia* nuncupatos recenſet, eum *de Probis*, neſcio qua innixus ratione, cognominat. Anno MCCCXC. ſeptimo Calendas Junias erat Provinciæ Romanæ Miniſter, ad quem ſunt litteræ Henrici ejuſdem Ordinis Miniſtri Generalis a Wadingo recitatas (1). Anno verò MCCCCXI. quinto Idus Martii electus in Turritanum Archiepiſcopum eſt (2).

In Diario Romano Antonii Petri publici juris facto a cl. Muratorio (3) narratur, quod anno MCCCCX. die 29. Januarii miſſi ſunt a Romanis ad Alexandrum V. R. P. nuncii, inter quos *ex parte totius Cleri Urbis unus Frater de Aracœli* (qui nempe habitabat in Cœnobio Capitolino, quod *Aram Cœli* vocant, quodque iis temporibus jam uſque ab Innocentii IV. ætate obtinebant Franciſcani nunc ad SS. duodecim Apoſtolorum morantes) *nomine* .... & quod die 15. Februarii *reverſi ſunt Domini Ambaſciatores Urbis de Bononia de Domino Noſtro Domino Alexandro V. & reverſi ſunt cum multa bona nova*.

Quis fuerit ille Frater Minorita, qui Urbis Cleri nomine memoratam obivit Legationem, neque ex noſtris Annalibus, neque ex aliis Hiſtoriis certò conſtat. Quantum conjectare licet, fuit Nicolaus noſter, qui ob tam honorificum munus præclarè geſtum poſt integrum annum dignitate Archiepiſcopali decoratus eſt.

XXXVII. Petrus III. Spanus.

Ex Canonico Eccleſiæ Saſſaritanæ ejuſdem inſtitutus eſt Pontifex anno circiter MCCCCXXII. Ubi primum Cathedram conſcendit, totum ſe dedit reformando Clero, & univerſæ Diœceſi; quod ut facilius ſibi ex voto cederet, Concilium convocavit Provinciale anno citato, in quo triginta tres novas Conſtitutiones fecit, & antiquas nonnullas confirmavit. Ejus ætate anno MCCCCXLI. translata fuit Sedes Archiepiſcopalis ab Urbe Turritana Saſſarim (4). Propriæ conjunxit Eccleſiæ *Abbatias* S. Mariæ *de Salvenoro*, S. Mariæ *de Paulis*, ſeu potius *de Padulis*, S. Petri *de Silichi* (5), ac S. Mariæ *de Cerigo*, quarum prima ad Monacos Valliſumbroſæ, ſecunda ad Ciſtercienſes, aliæ duæ ad Caſſinenſes ſpectabant.

Animadverſum a Vico eſt, Petrum in

nec agit, nec jure, atque meritò ſuorum texens Hiſtoriam agere poterat. De Cœnobiis, quæ vel a SS. Patriarcha Franciſco, vel paullò poſt conſtructa ab aliis fuerunt, pauciſſimis dumtaxat exceptis, quæ ſæculo tertio, aut quarto a Religionis exordio Fratres *de Obſervantia* conſequutos eſſe, tradunt Annales noſtri, ne verbum quidem habet. Hæc enim Minoritæ Sodales mei, qui vulgò his temporibus nomine in Franciſcana Religione antiquiſſimo *Conventuales* appellantur, jam uſque a primis Ordinis inſtituti annis poſſident.

(1) *T. IX. in calce Regeſti Pontificii pag. 566.* ſic verò incipiunt: *In Chriſto ſibi Cariſſimo Fratri Nicolao Romana Provincia Miniſtro, ac Sacra Theologia Magiſtro*. Utrum autem *Magiſtri* titulus in uſu apud Fratres *de Obſervantia* umquam fuerit, vide egregium opus inſcriptum: *Ragioni Storiche &c. diſteſe da Monſignor Antonio Lucci Veſcovo di Bovina cap. 7. pag. 165., & ſeq. edit. Neapol. 1740.*

(2) Conſulito Wading. *loco cit.* itemque Bonav. Theulium *Appar. Minoritico della Provincia di Roma Par. 1. lib. 1. cap. 1. pag. 5.*

(3) *Tom. XXIV. Scrip. R. Ital. col. 1015.*

(4) Videatur Pater Vitalis *in Appar. ad Annal. Sard. col. 33.*

(5) De hujuſmodi *Abbatiis* præter Franc. Vicum diſſerit Auguſt. Lubinus *Brevi Notit. Abbatiarum Ital. pag. 355. 272. 368. edit. Rom. 1693.*

in animo habuiſſe Seminarium inſtituere, in quo Adoleſcentes ſcientias, prudentiam, & ſanctè vivendi rationem docerentur, ſed morte præventum id exequi nequiviſſe. Ex hoc, ſi verum eſt, magis, quod ſcribit Spondanus (1) confirmatur nempe Eugenii IV. tempore *praxim* fuiſſe eadem Seminaria erigendi, quæ poſtea Concilium Tridentinum (2), ut ſinguli Epiſcopi inſtituerent, præcepit.

Scipio Ammiratus ſenior (3) narrat, Chriſtophorum Pratenſem in Epiſcopum Volaterranum ann. MCCCCXL. electum poſt ſeptennium ad hanc tranſiiſſe Sedem. Ughellius (4) inter Volaterranos Pontifices non modo Chriſtophorum non recenſet, verum etiam per idem tempus, quo Eccleſiam gubernaſſe hic dicitur, ponit Robertum Cavalcantem. Eadem eſt opinio Scipionis Ammirati Junioris (5). Quam ob rem vehementer timeo, ne Ammiratus Senior, quæ de Chriſtophoro tradit, ex falſis hauſerit monumentis.

XXXVIII. ANTONIUS II. CANO.

Regendam hanc Diœceſim ſuſcepit, Vico teſte, anno MCCCCXLVIII. Antea fuerat Rector Eccleſiæ *de Jave*, Abbas *Saeargiæ*, & Epiſcopus *Gulſarchienſis*. Anno MCCCCLXIII. Concilium celebravit Provinciale, ad quod omnes Epiſcopi ejus ſuffraganei convenerunt, alii per ſe, alii per ſuos Procuratores (6). In eo plures Conſtitutiones editæ ſunt, ſed præſertim actum eſt de Judicis Apoſtolici Appellationum Juriſdictione.

Auctor eſt doctiſſimus Cardinalis de Luca (7), Pium II. ob navigationis difficultatem, periculumque ab Inſula Sardiniæ ad Urbem accedendi, ad quinquennium, vel aliud ſibi placitum tempus, aliquem Canonicum, aut alteram Eccleſiaſticam Perſonam Judicem ibidem conſtituiſſe *Appellationum in cauſſis omnibus Eccleſiaſticis ſuper quibuſvis definitoriis, & interlocutoriis ſententiis, & gravaminibus ab Ordinariis, & Delegatis, ac Judicibus quibuſcumque*. Patres ergo præfati Concilii decreverunt communi ſuffragio, Archiepiſcopum Turritanum, ejuſque ſuffraganeos Appellationum Judici non fuiſſe ſubjectos.

De Antonio mentionem quoque facit Franciſcus Fara (8), qui inſuper tradit, opus Hiſtoricum litteris conſignaſſe.

XXXIX. PETRUS ANTONIUS.

Erat Turritanus Archiepiſcopus anno MCCCCLXXIII., quo *Eccleſiam Sancti Benedicti de Serqui extra muros Saterenſes* (forſitan Sacerenſes) *Turritanæ Diœceſis tunc derelictam ad menſam Epiſcopalem Turritanam legitimè pertinentem cum ſuis pertinentiis circa dictam Eccleſiam exiſtentibus, Fratribus* (Minoribus de Obſervantia) *irrevocabiliter donavit* (9). Anceps hæreo,

X 2 an

(1) *Tom. I. Cont. Annal. Eccleſ. ad an.* 1436.

(2) Confer *ſeſſ.* 23., itemque Thomaſs. *Diſcipl. Vet. & Nov. Eccl. T. II. lib.* 1. *cap.* 102. *n.* 10., cum primis verò *Inſtitut.* 59. *Bened. XIV. Pontif. Doctiſs. T. XI. Opp. pag.* 343. *edit. Rom.* 1750. Concilii Trid. mandatum renovavit Bened. XIII. *Conſtitut.* 67. quæ exſtat *T. XI. novi Bull. Rom. pag.* 409.

(3) *In Catalog. Epiſcop. Volaterran. pag.* 168.

(4) *Tom. I. in Ep. Volaterran. col.* 1458.

(5) *In Acceſſionibus ad præfatum Catalog.*

(6) Lege Vicum *Opere indic. Par.* 5. *cap.* 43. *Fol.* 163.

(7) *Tom. III. Op. lib.* 3. *Par.* 1. *de Juriſdictione &c. Diſcſ.* 49.

(8) *Hiſt. de Rebus Sardis col.* 25.

(9) Verba ſunt Wadingi *T. XIV. ad eum an. n.* 21.

an hic Antiſtes idem ſit atque Antonius Canus, licet cum videam, hunc Petrum Antonium, illum Antonium tantum appellari, magis propenſus ſum ad opinandum, eſſe diverſum.

XL. Berencarius de Sos.

Natione Hiſpanus. Decanus erat Eccleſiæ Barcinonenſis, cum Archiepiſcopus renuntiatus eſt, non quidem anno MCCCCLXXI., ut in litteris exſtat, neſcio quo errore, apud Vicum, ſed circa annum MCCCCLXXXI. Per id enim temporis a Sixto IV. P. M. declaratus fuit Judex controverſiæ ortæ inter *Abbatiſſas* Monaſteriorum S. Antonii, & S. Mariæ *de Petris Albis* Diœceſis Barcinonenſis, nec non Vicarium ejus Generalem Antonium Angulanam, & a Wadingo, qui ejuſmodi factum refert (1) Berengarius dicitur electus Turritanus Præſul.

XLI. Franciscus I. Pellicer.

Statim poſt Berengarium hujus Eccleſiæ Inſulas obtinuit, ſi Vico credimus, qui præterea ſcribit, Franciſco Pontificatum Turritanum gerente abolitum fuiſſe Sorrenſem Epiſcopatum: ex quo intelligitur floruiſſe cadente 15., & ineunte 16. Eccleſiæ ſæculo.

XLII. Angelus.

Tiburi ex nobiliſſima Leonina gente natus primum patriæ Epiſcopus electus eſt, deinde anno MDIX. die 3. Auguſti translatus ad Turritanam Sedem a Julio II., ſub quo fuerat etiam Bononiæ Prolegatus (2). Interfuit Concilio Lateranenſi V. Pontificatus clavum tenente Leone X., annoque MDXIV. inter Papæ Aſſiſtentes ſubſcriptus invenitur (3). Hoc eodem anno Turritanam Eccleſiam dimiſit, ac triennio poſt e medio abiit. Sepultus jacet in Eccleſia Cathedrali Tiburtina, & in ejus marmoreo ſepulchro inciſum eſt Elogium, quod hic ex Ughellio (4) habeto.

„ Angelus ex vetuſta Tiburtina „ Leoninorum Familia, Philoſophiæ, „ cæterarumque liberalium Artium „ ſcient. Eruditiſs., Gratioſs. aſpe„ ctu, ſingulari facundia, innumeriſ„ que naturæ dotibus prædito, Sum„ mis Pontificibus Alexand. VI., qui „ eum ad Tiburtinam Eccleſiam pro„ movit, Julio II., qui ad Turritanam „ tranſtulit, Leoni X., qui grandio„ rem etiam dignitatem conceſſurus „ affinitate honeſtate chariſs., eorum „ nomine ad diverſos Reges, & Prin„ cipes Chriſtianos Legatione magna „ omnium gratia, & admiratione fi„ deliter, prudenterque perfuncto: „ Camillus Epiſcop. Tiburtin. Nepos, „ & Vincentius Pontif. cuſtodiæ Præ„ fectus Frater, Patruo optimo faciendi „ curarunt an. ſalutis Chriſti MDXVII.

XLIII. Franciscus II. Minerbetti.

Florentinus Parentes habuit nobilitate clariſſimos, Thomam nempe Minerbettum, & Bartholomæam Bernardi Medices Filiam. Juris Canonici Doctor creatus ob rariſſimas animi ſui dotes multas acquiſivit in Patria, ac etiam extra, dignitates. Leoni X. Eccleſiam univerſam gubernanre, Cathedram Turritanam conſcendit, quam tamen deſeruit paucos poſt annos (5). Anno MDXXV. Clemens VII. eum Eccleſiæ

(1) *Ad an.* 1481. *num.* 37. *pag.* 275.

(2) Ughell. *Tom. I. in Ep. Tiburt. num.* 46. *col.* 1312.

(3) Conſtat id ex Actis apud Harduin. *Tom. IX. col.* 1733.

(4) *Loco nuper laud.*

(5) Ughell. *Tom. I. in Epiſcop. Aretin. num.* 82. ſcribit, Franciſcum Turritan. dimiſiſſe Eccleſiam an.

cleſiæ Aretinæ præfecit, quam item anno MDXXXVIII. ſponte dimiſit, ac deinceps Florentiæ degit piis operibus totus intentus. A Florentino Senatu non ſemel Legatus miſſus eſt, immò & a Coſmo I., cui pariter a conſiliis fuit.

De Franciſco mentionem faciunt Benedictus Varchius (1), Ammiratus Senior (2), & Vicus, qui tamen errat; aſſerit enim fuiſſe ex Medicæa gente, & inter Cardinales cooptatum. Is Parenti ſuo defuncto in Eccleſia Sanctæ *Mariæ Novellæ* hanc dicavit Inſcriptionem. *Thomas Minerbettus Eques cunctis Reipublicæ honoribus egregiè functis moritur MCCCCLXXXIX. Franciſc. Archiepiſcop. Turritanus Parenti piiſſimo*.

Prope Genitorem ipſe humari voluit, cujus memoria immortalitati conſignata fuit ſequenti Epigraphe: *Idem Franciſcus Archiepiſcopus ann. agens LXX., ut in mortem etiam Parentis contubernio frueretur, ſibi V. P. M. DXXX.*

XLIV. JOANNES IV. SANNA.

Sardinia fuit huic patrium ſolum. Ex Epiſcopo Uſellenſi creatus eſt Archiepiſcopus Turritanus an. MDXVII. Munus Inquiſitoris Generalis in omni Sardinia adverſus hæreticam pravitatem obivit. Vicus memoriæ prodidit, auctoritate Apoſtolica reformaſſe ſingulos Regni Conventus. Id ſi verum eſt, accidiſſe reor per illud tempus, quo hanc regebat Eccleſiam, & poſt Concilium Lateranenſe V., in quo primum actum eſt de abolendis privilegiis Religioſis Mendicantibus, deque iis corrigendis (3).

XLV. MICHAEL I. MATQUEZ.

Natione Aragonenſis, Profeſſione Auguſtinianus. Primo creatus eſt Epiſcopus *Titularis*; deinde *Suffraganeus* Eccleſiarum Segobienſis, & Valentinæ; tum Præſul Uſellenſis; tandem Pontifex Turritanus. Torellus (4) ait, hanc Sedem conſequutum eſſe an. MDXLI. circiter, & diù obtinuiſſe. At ejus ſententiam in magnis verſari erratis, annus, quo electus eſt Michaëlis ſucceſſor oſtendit. Ego ſic exiſtimo. Demiſſa a Joanne Eccleſia Uſellenſi eandem acquiſiviſſe Michaëlem. Joanne vita functo hanc conſcendiſſe Cathedram. Niſi ita dicatur, Chronologia conciliari non poteſt. Torello judice vir fuit doctiſſimus, nam totam Sacram Scripturam, & Jus Canonicum edidicerat.

XLVI. SALVATOR ALEXIUS SALEPUSIUS.

In Antiſtitem hujus Eccleſiæ electus eſt Salvator anno circiter MDXXXIX., uti ex litteris Pauli III. (5) ad an. 1525., ſed cum certò conſtet ex Conſtit. Ludovici Gonzalez Épiſcopi Ampurienſis, quæ exſt. apud Vitalem *Tom. II. Annal. Sard. ad an. Chriſt. 61. col. 246.*, an. 1519. hanc Diœceſim gubernaſſe Joannem Sannam, aliquid humani Ughell. paſſuum eſſe ſentiendum eſt. Magna tenebar ſpe, certum tempus, quo Franciſcus Turrit. Sedem viduam reliquit, colligere me poſſe ex Vitis Canonicorum Florentinorum a cl. Salvino Salviaio compoſitis, ſed animum deſpondi, ubi a doctiſſ. Gorio *in Supplem. al Diſcorſo della Nobiltà di Firen.*, *e de' Fiorent. di Paolo Mini pag. 303. Vol. 1. della Toſcana Illuſtrata*, intellexi, eas clauſas exſtare in Tabulario *Capitali* Florentini.

(1) *L. 2. della Storia Fiorent. pag. 8. l. 12. pag. 490. T. VIII. Par. 2. Theſ. Italiæ Burmanni*.

(2) *In Epiſcop. Aretinis pag. 136., & ſeq.*

(3) Conſule *Epiſt. Egidii Viterb. Auguſt.* apud Martene *T. III. Coll. Vet. Monum. col. 1264.*

(4) *Tom. VIII. Sac. Auguſti ad an. 1540. num. 13. ad an. 1541. num. 12.*

(5) Exſt. apud Vicum *Par. 5. cap. 59.*

Digitized by Google

ad eundem ſit maniſeſtum. Integrum luſtrum, & ultra interſuit Concilio Tridentino, & anno MDLI. Orationem coram Patribus habuit (1). Is unus fuit ex Patribus, qui obſtiterunt, ne in Decreto de peccato originali poneretur, opinionem ſtatnentem, Beatiſſimam Virginem ſine originali labe conceptam fuiſſe, eſſe magis piam; hinc eo lecto, ipſe reſpondit: *placet decretum quoad omnia, præterquam ubi agitur de Conceptione. Nam offenditur pars altera, & alteri non ſatisfit, & eſt excitare veteres tragœdias, prout tempore publicationis Sixtinæ* (2). In cauſſa quoque fuit ſimul cum Anguſtino Lippomano, Claudio Jajo S. J., ac Bonaventura Pio Franciſcanorum Conventualium Miniſtro Generali, quamobrem inter actus, qui juxta Concilium neceſſarii ſunt ad Juſtificationem per Sacramentum obtinendam, recenſeretur quoque amor, ut ajunt, initialis (3).

Poſt non multo a Concilii ſolutione controverſiam habuit Salepuſius cnm Eccleſiæ Cathedralis Archipresbytero. Hic ad Pontjficem Pium hujus nominis IV. confugit, idcirco Archiepiſcopus Roma ſequentes accepit litteras (4). „ Reverendiſſime Domine. Expoſita „ cauſſa Hieronymi Corrige Archipreſ- „ byteri Cathedralis Eccleſiæ Civita- „ tis Saſſeris Illuſtriſſimis Cardinalibus, „ quos Sanctiſſimus Dominus Noſter in „ conſilium adhibuit ad explicandas „ quæque oriri poſſint in decretis Sa- „ cri Concilii Tridentini dubitationes, „ de eo, quod ejus Sanctitas de ipſo- „ rum Cardinalium ſententia in re „ hac univerſa declaravit, Amplitudi- „ nem tuam Reverendam admonebo. „ Hæc igitur declaratio eſt, ut qui „ Canonicatum, vel aliam obtinentes „ dignitatem habent Parochialem ex- „ tra Civitatem, in Parochiali reſidere „ debeant, ex Canonicatu autem, vel „ alia dignitate tantum diſtributiones „ quotidianas amittant, ipſo verò Ca- „ nonicatu, vel alia dignitate non „ priventur, dum reſideant in Parochia- „ li. Quare cum iſte Hieronymus in „ Parochiali reſidens contentus ſit a- „ miſſione quotidianæ diſtributionis ſui „ Archipresbyteratus, debebit pruden- „ tia, & pietas Amplitudinis tuæ, „ quod ad utrumque beneficium atti- „ net, & ad cæteros fructus Archipreſ- „ byteratus percipiendos nullam ei mo- „ læſtiam exhibere, quam Deus ſua „ gratia, & benignitate complecta- „ tur. „

Tametſi in Actis Concilii Tridentini Salvator Hiſpanus natione dicatur, tamen Pater Vitalis (5) eum appellat Calaritanum, ac inſuper ait, vocatum fuiſſe naturæ monſtrum ob admirabilem doctrinam, & *Officium* SS. Gavini, Prothi, & Januarii compoſuiſſe.

XLVII. JOANNES V. SEGRIA.

Patria Valentinns. Ab Eccleſia Cryſopolitana (6) ad hanc Sedem tranſlatus

(1) Confer Acta Concil. apud Hard. *T. X. a col. 19. ad*, 109. Oratio edita eſt a Labbeo *Tom. XIV. col.* 1057.

(2) V. Martene *Tom. VIII. Vet. Monum. col.* 1096.

(3) Lege Pallavic. *Hiſt. del Concil. Trident. lib.* 8. *c.* 13. *n.* 13. *pag.* 714. *edit. Rom.* 1656.

(4) In Codice Chartaceo Sbaraleano, ex quo eas exſcripſimus dicuntur quidem datæ Archiepiſcopo *Carlatano*, ſed cum in illis Civitas Saſſeris memoretur, nullus dubito, quin Pontifici Turritano miſsæ revera fuerint. Exaratæ ſunt anno 1565. poſt initium menſis Februarii, & ante medietatem Aprilis.

(5) *Epiſt. præfixa Sard. Annal.*

(6) Hæc Eccleſ. eſt in Provincia Cœleſyriæ ſub Archiepiſ. Boſtrenſi. Lequienius *T. III. O. Chriſt. col.* 1307., ſed Joannem prætermittit.

latus fuit anno MDLXVIII. decimo Calendas ſextilis, prout in Actis Conſiſtorialibus legitur. Non diu multumque Turritanam Diœceſim adminiſtravit; nam anno ſequenti 15. Calendas Octobris renuntiatus eſt Pontifex Eccleſiæ Panormitanæ, tametſi in Sardinia, antequam ad poſſeſſionem ineundam peteret, diem extremum mortem confecit.

Rocchus Pyrrus, qui Joannem *Cengriam* cognominat, non ab hac, ſed ab Eccleſia Archiepiſcopali Tudelenſi ad Panormitanam tranſiiſſe ſcribit (1). Idipſum placuiſſe videtur Mongitorio, ſiquidem in tertia Siciliæ Sacræ editione hoc non correxit. Verum uterque in errore verſatur. Duæ ſunt Urbes *Tudela*, ſeu *Tutela* vocatæ; altera in Hiſpania *inRegno Navarræ ad Iberum fluvium*; altera in Gallia *in Aquitania prima in Provincia Lemovicenſi* (2). Neutrius Antiſtes eſſe potuit Joannes noſter: non quidem primæ, nam hæc nunquam Sedes Epiſcopalis fuit; non ſecundæ, tum quia illius Eccleſia non Metropolis, ſed Archiepiſcopi Bituricenſis ſuffraganea eſt; tum etiam quia iis temporibus a Ludovico de Gourdon de Genoillac adminiſtrabatur (3).

XLVIII. Martinus Martinez.

Renuntiatus eſt Antiſtes anno MDLXIX. octavo idus Octobris, prout Acta Conſiſtorialia teſtantur. Fuit Natione Aragonenſis, & antequam ſacris Infulis decoraretur, munus Inquiſitionis Cordubæ exercuerat. Idem officium obivit etiam in Sardinia, & ut erat ſumma dexteritate, ac prudentia, diſſidia, quæ inter miniſtros Sacræ Inquiſitionis, & Regios verſabantur, compoſuit (4). Translatus poſtea eſt ad Eccleſiam Majoricenſem.

XLIX. Michael II. Ibanas.

Communem habuit cum Martino, cui ille ſucceſſit anno MDLXXII. die 10. Octobris, nationem. Dum Turritanam gubernabat Eccleſiam, declaratus eſt juxta id, quod tradit Vicus, *Viſitator* omnium Regni *Officialium*. Mortuus dicitur Calari eo tempore, quo impoſitum ſibi onus exequebatur, ac ſepultus in Eccleſia B. M. V., quæ *Boniaeris* appellatur. Ne integro quidem anno dignitatem poſſedit.

L. Alphonsus de Lorca.

Cum eſſet adverſus hæreticam pravitatem Quæſitor Generalis, creatus eſt Archiepiſcopus. Gregem ſibi commiſſum tanto zelo, tantaque animi fortitudine gubernavit, ut pro illius, & propriæ Eccleſiæ defenſione pluries Romam accedere non detrectaverit; atque hinc Clemens VIII. eum nuncupavit *intrepidum Eccleſiæ tutorem*.

Si qua Vico (5) fides, anno MDLXXXV. Concilium Provinciale celebravit, ad quod intervenerunt Epiſcopi ejus ſuffraganei, duoque Abbates, nempe *de Sacargia*, nec non *de Salvenarii*.

Hujus meminit quoque Machinus (6), aſſeritque Archiepiſcoporum Turritanorum primum fuiſſe, qui vocare ſe incœperit Sardiniæ *Primatem*, quem ob

(1) *Tom. I. Sicil. Sac. not.* 1. *Eccleſia Panormitana num.* 49. *col.* 203.
(2) V. Michaelem Baudrandium *in Lex. Geograph.* ad verbum *Tutela*.
(3) Confer Dionyſium Sammarthanum *Tom. II. Gallia Chriſt. num.* 26. *col.* 675.
(4) Lege Joan. Dexart *in Capit. Regni Sard. lib.* 3. *tit.* 6. *cap.* 2. *concord.* 1. *pag.* 672.
(5) *Op. olim indic. Par.* 4. *cap.* 31.
(6) *Opp. alibi cit. pag.* 64.

Digitized by Google

ob titulum tot poſtea ortæ ſunt diſſenſiones Calaritanos inter, & Turritanos Pontifices.

LI. Andreas I. Baccalar.

Calari is ortus eſt. Primum Cathedralis Eccleſiæ Decanus, tum Epiſcopus Algarienſis, deinde anno MDCV. Turritanus Antiſtes renuntiatus fuit. Salvator Vitalis (1) hunc ad æthera evehit; ſcribit enim virum fuiſſe doctiſſimum, peritiſſimum linguarum Latinæ, Græcæ, Hæbraicæ, nec non Syriacæ, & de græcis in latinum vertiſſe *Sancti Joannis Damaſceni Opera*. Mirum, Lequienium (2), Oudinum (3), atque Fabritium (4), qui accuratè recenſent ſingulas eorundem editiones, verſioneſque, hujus, ſi facta fuit, ne verbum quidem habere.

LII. Gavinus I. Manca de Cedrellas.

Ex Epiſcopo Algarienſi Cathedram Turritanam conſcendit, Andrea e vivis ſublato, anno MDCXIII. Teſtis eſt Nicolaus Antonius (5), biennio poſt Madriti lingua Sarda publici juris feciſſe *Relationem inventionis* Corporum SS. Gavini, Prothi, ac Januarii Eccleſiæ Turritanæ Patronorum.

LIII. Antonius III. Canopolus.

Dimiſſa Arborenſi ſede, quam ab annis non paucis conſcenderat, ut ſuo loco differam, electus eſt patriæ Eccleſiæ Pontifex anno MDCXXI. Nondum poſſeſſionem inierat, cum extremum diem morte confecit.

LIV. Didacus II. Passamar.

Saſſaritanus patria non ſecus atque Antonius, primò regendam ſuſcepit Eccleſiam Ampurienſem; anno verò MDCXXIV. inſignitus Archiepiſcopali dignitate fuit. Paullò poſt initam poſſeſſionem, nimirum anno MDCXXV. Synodum Diœceſanam celebravit. Diu, multumque dignitatem ſuſtinuit, eoque temporis tota Diœceſis ſumma pace, ac tranquillitate fruebatur.

LV. Andreas II. Manca.

Vita functo Didaco Paſſamar, Regimen Eccleſiæ Turritanæ ſuſcepit Andreas Manca. Conſtat ex Actis Conſiſtorialibus hoc factum eſſe anno MDCXLIV. die 13. Junii.

LVI. Gaspar I. Litago.

Adminiſtratis plures annos Epiſcopatibus primò Boſanenſi, deinde Ampurienſi, anno MDCLVI. die 26. Junii Turritanis Inſulis decoratus eſt, uti Acta, quæ nuper citavimus, apertè tradunt.

LVII. Onuphrius Gervida.

In Gaſparis locum ſuffectus eſt Onuphrius Gervida anno MDCLIX. die 13. Januarii. Antequam Turritanum conſcenderet ſolium, *Decanatus* dignitatem inter Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ obtinebat. Modico tempore hanc rexit Eccleſiam.

LVIII. Ignatius Royo.

Renuntiatus eſt Turritanus Antiſtes anno MDCLX. die 19. Julii. Is dubio procul natione fuit Hiſpanus, nam antequam hanc Eccleſiam moderandam ſuſciperet, erat Abbas Abbatiæ Sancti Victoriani Diœceſis Barbaſtrenſis in Hiſpa-

(1) *Loco nuper deſignato.*
(2) *Præfat. in Opp. S. Joan. Damaſceni.*
(3) *T. 1. de ſcriptoribus & ſcrip. Eccleſ. diſſ. de ſcriptis S. J. D.* maximè *cap. 2. col. 1226., & ſeq.*
(4) *T. VIII. Biblioth. Græca l. 5. c. 30, pag. 776., & ſeq.*
(5) *T. II. Biblioth. Hiſpan. in Append. Par. 1. pag. 353.*

ſpania Tarraconenſi ſub Archiepiſcopo Cæſarauguſtano.

LIX. GAVINUS II. CATTAYNA.

Parentes habuit Saſſaritanos honoratos homines. In lucem prodiit anno MDCVIII. Decem, & ſeptem annos natus in Carmelo Calaritano ſolemniter Deo ſe devovit. Romæ, aliiſque in locis Theologiam, & Philoſophiam docuit. Anno MDCXLI. munus Provincialis Sardiniæ, ac S. Officii Conſultoris impoſitum ei fuit. Non multò poſt Romam reverſus declaratus eſt *Prior* Conventus, & *Secretarius* Generalis ſui Ordinis, anno autem MDCLXIII. precibus Philippi IV. Hiſpaniarum Regis ab Alexandro VII. obtinuit Epiſcopatnm Boſanenſem.

Vix poſſeſſionem inierat, cum initium dedit ſacræ totius Diœceſis Viſitationi, qua completa Synodum celebravit. Poſtea inſtitutus eſt totius Regni Inquiſitor, & anno MDCLXXI. die 16. Novembris hujus Eccleſiæ Archiepiſcopus creatus. Pallium accepit a Joanne Gregorio Ardizoni Epiſcopo Adjacenſi in Corſica. E vita migravit circiter annum MDCLXXIX. Plura de Gavino diſſerunt de Villiers (1), & Daniel a Virg. Maria (2), ex quibus hæc decerpſi.

LX. ANTONIUS IV. DE VERGARA.

Profeſſione Dominicanus in Hiſpania ortus ad regendam hanc Eccleſiam acceſſit anno MDCLXXX. Poſtmodum tranſiit ad Calaritanam, ut in iſtius Præſulum Hiſtoria dictum a nobis eſt (3).

LXI. JOANNES V. MORILLO VELARDE.

Per translationem Antonii ab hac ad Sedem Calaritanam, cum Turritanus Populus integrum annum, & ultra proprio caruiſſet Paſtore, eum tandem conſequutus eſt anno MDCLXXXV. die 15. Januarii. Is verò fuit Joannes Morillo Velarde.

LXII. GEORGIUS SOGIA.

Ex Ordine Servorum B. M. V., cum eſſet Boſanenſis Epiſcopus anno MDCCI. renuntiatus eſt Turritanus Archiepiſcopus, ſed obiit priuſquam Saſſaritanum conſcenderet ſolium (4).

LXIII. JOSEPHUS SICARDO.

Ex Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini. Natione Hiſpanus *Vir Doctrina, prudentia, & morum probitate præſtans*, quemadmodum Acta Conſiſtoralia loquuntur, plura obivit munera, ac præſertim *Examinatoris Synodalis* Archiepiſcopi Toletani. Quinquaginta & octo annos natus in hujus Eccleſiæ Pontificem electus eſt die 12. Maii anno MDCCII.

LXIV. GASPAR II. FUSTER.

In Hiſpania Tarraconenſi in Diœceſi Dertoſana ortus eſt. Presbyter fuit Congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii, Præpoſitus Eccleſiæ Metropolitanæ Civitatis Valentiæ, & ejuſdem *Univerſitatis primarius*, ut loquuntur, *Cathedraticus*. Anno MDCCXIV. die prima Octobris creatus eſt Archiepiſcopus. Memoria teneo, me *in Theſauro Reſolutionum* Sacræ Congregationis Concilii (5) legiſſe, anno MDCCXXI.

Y

(1) *T. I. Biblioth. Carmelit. pag.* 542. *Ed. Aurel.* 1752.
(2) *T. II. Spec. Carmelit. Par.* 5. *l.* 3. *pag.* 922. *n.* 3222.
(3) *Num.* 58.
(4) V. quæ dicemus *in Epiſ. Boſaneuſ.*
(5) *Tom. II. pag.* 388. *edit. prima.*

DCCXXI. die 28. Auguſti Pontificem Turritanum è vita migraſſe. Hunc extitiſſe Gaſparem noſtrum vix, ac ne vix quidem ambigo. Quocirca neſcio quid fuerit, quod ante triennium anno nimirum MDCCXVIII. menſe Majo, referente Coſma de Villiers (1), nominatus ſit a Philippo V. Hiſpaniarum Rege Clementi XI. P. M. ad hanc Sedem Hyacinthus *de Arenas* Carmelita Provinciæ Aragoniæ Præfectus.

LXV. Constantius a S. Ludovico.

Poſt Gaſparis obitum Eccleſia Turritana ſupra quinque integros annos proprio Antiſtite viduata extitit, cum ob lites inter Canonicos, Epiſcopum Boſanenſem ceu antiquiorem *Suffraganeum*, & Judicem *Appellationum* de eligendo Vicario *Capitulari* (2) ortas, tum maxime ob controverſias, quæ inter Victorium Amadeum novum Sardiniæ Regem, & Romanum Pontificem verſabantur, quorum alter ad Epiſcopatus aſſumendos nominare contendebat, alter eorundem nominationem admittere recuſabat.

Anno demum MDCCXXVI. die 16. menſis Octobris rebus compoſitis (3), Benedictus XIII. die 16. Decembris in Turritanum Archiepiſcopum conſecravit Conſtantium a *S. Ludovico* Ordinis Fratrum Carmelitarum Excalceatorum. Taurini is natalem viderat lucem, & in ſua ſocietate *Prioris*, *Definitoris*, *Viſitatoris*, nec non *Provincialis* munus geſſerat. In Catalogo eorum, qui ex Carmelitarum cœtu ad Epiſcopatus aſſumpti ſunt, a P. de Villiers ſcripto, Conſtantius deſideratur.

LXVI. Bernardinus Ignatius Rotarius.

Patriam habuit Aſtam conſpicuam Urbem Liguriæ, Genitorem Herculem Thomam *Cortanſerii* Marchionem Virum non ſolum nobilitate, verum etiam dignitatibus obtentis clariſſimum. A juventute militiæ plures annos operam navavit, ſed tandem militaribus honoribus, atque divitiis, quæ ad ipſum utpote Primogenitum ſpectabant, conſtanter tergis datis, inclytæ Capuccinorum Familiæ ſe devovit. Itaque Pedemontanæ Provinciæ aggregatus *Concionator*, *Lector*, *Cuſtos*, *Definitor*, & bis *Miniſter Provincialis* fuit.

Anno MDCCXXX. nonis Octobris creatus eſt hujus Eccleſiæ Pontifex, cujus Solium antequam conſcenderet, Fidei Catholicæ profeſſionem juſſus eſt ab immortali Clemente XII. P. M. emittere in manibus Archiepiſcoporum Calaritani, & Taurinenſis, nec non Epiſcopi Boſanenſis, vel unius eorum. Poſt undecim annos die 18. Septembris tranſiit ad Sedem Novarienſem, Archiepiſcopi tamen retento titulo, in qua obiit anno circiter MDCCXLVII. Plura de ejus nobilitate, aliiſque virtutibus Clemens memoratus (4), & P. Michael *a Tugio* (5) memoriæ mandarunt.

LXVII. Matthæus Bertolini.

Ex Epiſcopo Algarienſi electus eſt in Præſulem Turritanum anno MDCCXLI. die 27. Novembris.

LXVIII.

(1) *Tom. II. Biblioth. Carmelit. in Hiſtor. Epiſcop. ſui Ordinis col. 925.*
(2) Confer *Theſaurum Reſolut. Sacræ Congreg. Concilii loco indic.*
(3) Hujus rei monumenta legi queunt *pag. 26. & ſeq. del Sommario di Documenti* : Exſt. *Tom. I. Par. 1. delle Ragioni della Sede Apoſtolica nelle controverſie* anni 1732. *colla Corte di Torino*.
(4) Confer *ejus Conſtitut. 1. Tom. I. Bullar. Ord. PP. Capucc. pag. 186.*
(5) *In Notis ad eandem Conſtitut.*

LXVIII. CAROLUS FRANCISCUS CASANOVA.

Non ſecus ac Matthæus Algarienſem Eccleſiam plures annos rexerat, cum ad hanc gubernandam, quam iis quoque temporibus gubernat, anno MDCCLI. die 17. Maii acceſſit.

ECCLESIA ALGARIENSIS.

A*lgher Civitas nova, exigua, populo frequens, & munitiſſima, domibus, & ædificiis publicis ornata* (1) vergit ad occidentem ſolem, ſi ratio Inſulæ habeatur, atque ab oppidis Saſſari, & Boſa æquè diſtat. Conſtructa fuit, judice Vico (2), ſub annum MCII. a nonnullis Januenſibus ex nobiliſſima gente Auria, qui ideo Algherium appellatam voluere, quod circa maris litus, ubi eam plantarunt, algæ extiterint; cujus hiſtoriæ fides ſit apud ſuum auctorem. Cluverius (3) in ea eſt opinione, ut judicet, Algherienſem Urbem eo loci ſitam eſſe, quo antiquitus extabat Portus *Coracodes* dictus, cujus meminit Ptolemæus. Conſentiunt Cluverio hac in re Brietius (4), Baudrandius (5), Martinierus (6), Coronellius (7), & alii, quos laudare quidem poſſem, ſed modus adhibendus eſt.

Algarenſis Epiſcopalis Sedes, ut ad res Eccleſiaſticas deſcendam, recentior eſt cæteris aliis Regni. Non ſum quidem neſcius, Franciſcum Vicum (8), & Martinierum (9) hanc Sedem eamdem eſſe, atque Othanenſem Algherium tranſlatam opinari; at quamquam hoc pugnaciſſimè non inficior, non tamen omninò concedo; enim verò ut prætercam, Wadingum (10) ſcribere, Epiſcopatum Othanenſem non Algherium tranſlatum, ſed Algherienſi Epiſcopatui unitum fuiſſe; quod Vicus, & Martinerius memorati narrant dubium, meo quidem animo, facit ejuſmodi argumentum. Si ita ſe res haberet, uti hi arbitrantur, iſtius Eccleſiæ Præſul non Algherienſis, ſed Othanenſis ſaltem ab initio, quo tranſlatio facta eſt, vocari debuiſſet; quemadmodum, ut exemplum ſumam a Sardiniæ Eccleſiis, Archiepiſcopus, qui Saſſari moratur, Turritanus; qui manet Oriſtani, Arborenſis dicitur; Epiſcopus, qui in Caſtro Aragonenſi reſidet, Ampurienſis, qui eſt in pago *Ales*, Uſellenſis appellatur, quod hujuſmodi Sedes ad ea Oppida tranſlatæ ſunt; verum Antiſtes, qui Algari habitat, quantum ego ſcio, numquam Othanenſis eſt nuncupatus. Ergo ſatis probabile eſt, de in-

(1) Blaeu *Par. 3. Theat. Orbis Terrarum fol.* 109.
(2) *Opp. indic. alias Par. 6. c. 12. fol.* 49.
(3) *In Sard. Antiq. col. 15. apud Burman.*
(4) *Parallel. Geograph. Italiæ vet., & nova Append. ad T. II. c. 12. l. 5. pag. 686. Ed.* 1649.
(5) *Lexico Geograph.* ad v. *Corax*.
(6) *In Mag. diction. ad v.* Alghieri.
(7) *Biblioth. Universale T. II. ad v.* Algeri *n.* 4497.
(8) *Op. cit. Par. 6. c.* 12.
(9) *T. IX. Mag. Diction. G. C. ad v.* Sard. *pag.* 236. *T. VII. ad v.* Othana *pag.* 136.
(10) *Loco mox citando.*

integro Epiſcopatum Algarienſem inſtitutum fuiſſe anno circiter MDIII., vel MDIV.

Eccleſia in Cathedralem erecta erat *Plebania* admodum inſignis, dicataque eſt Deo ſub invocatione Beatæ M. V. ſine peccato originali conceptæ. Ejus *Capitulum* conſtat quatuordecim Canonicis, quos inter ſunt Archipresbyter, Archidiaconus, & Decanus.

Memini me legiſſe in Actis Conſiſtorialibus, quod Epiſcopus quotannis *Cameræ*, ut loquuntur, Apoſtolicæ ſolvit ſummam Florenorum 273. ⅓, fructus verò aſcendunt ad ſummam ſcutorum 2500. monetæ Romanæ.

Extat in Civitate Seminarium Clericorum; ſunt item Conventus PP. Franciſcanorum Conventualium, Carmelitarum, Mercenariorum, Minorum Obſervantium, Societatis Jeſu, Sancti Joannis de Deo, ac Monialium Sanctæ Claræ; extra mœnia duo numerantur cœnobia, Auguſtinianorum nempe, & Capuccinorum.

EPISCOPI ALGARIENSES.

I. PETRUS I. PARENS.

Primus is eſt, qui Algarienſem rexerit Eccleſiam. Antequam Epiſcopalem obtineret dignitatem, Canonicus erat Januæ, ubi forſitan priorem quoque aſpexit lucem. Ex actis Concilii Lateranenſis apparet (1), eidem interfuiſſe a ſeſſione prima ad ſeptimam, nempe anno MDXII., & ſequenti.

II. JOANNES I. DE LOYSA.

Petrum excepit Joannes natione Hiſpanus Canonicus Zamorrenſis. Cum Romæ *Abbreviator* eſſet Apoſtolicus, renuntiatus eſt Epiſcopus anno MDXIV. Anno ſequenti in Hiſpania morabatur; nam die 22. Maii ejuſdem anni Leo X. Pontifex Maximus ei in mandatis dedit curare, ut Monachi Congregationis Sancti Benedicti Valliſoleti Palentinæ Diœceſis uti poſſent quibuſdam Privilegiis ab ſe illis conceſſis (2).

Reverſus poſtea eſt Romam ad Concilium paullo ante memoratum, & apud Patres excuſavit Guillelmum Epiſcopum Tyraſonenſem, qui ad Synodum accedere nequiverat (3). Hac ſoluta ex Urbe diſceſſit, atque anno MDXXI. die 22. Martii invenio, iterum in Hiſpania moratum fuiſſe, cui Leo X. onus commiſit (4) omnino ſimile alteri, cujus nuper mentionem feci. Joannes noſter omiſsus eſt a cl. Ciampinio in *Enarratione Synoptica qualitatum, geſtorumque Illuſtriſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum Abbreviatorum de Parco Majori S. R. E. Vicecancellario Aſſiſtentium in expeditionibus literarum Apoſtolicarum, quæ in Cancellaria Apoſtolica peraguntur*: Romæ publici juris facta anno MDCXCI.

III. FRANCISCUS I. DE BARCHONOVO.

Ex Ordine Fratrum Minorum creatus eſt Algarenſis Pontifex anno MDXXIV., die 11. menſis Januarii. Tradit id diſertis verbis Lucas Wadingus (5).

IV.

(1) Apud Hard. *T. IX. col.* 1582.

(2) Confer *Leonis Conſtit.* 38. *apud Rodericum Nova Collect. Priv. Regul. Mend., & non Mend. pag.* 322.

(3) *Ex actis Concilii col.* 1842.

(4) Lege *ejus Conſtit.* 39. *apud Roderic. pag.* 323.

(5) *T. XVI. ad annum* 1524. *n.* 30.

IV. GULIELMUS CASSADONI.

Non diu Eccleſiam hanc gubernavit Franciſcus, ſi vera ſcripſit Vicus (1). Is enim teſtis eſt, anno MDXXV. renuntiatum fuiſſe Gulielmum, qui antea erat *Rotæ Auditor*, & utriuſque *Signaturæ Referendarius*. Vitam cum morte commutavit anno circiter MDXXVIII. (2).

V. DOMINICUS PASTORELLUS.

Fuit hic profeſſione Minorita, Epiſcopus inauguratus anno nuper indicato die 27. Januarii a Franciſcanis Hiſtoricis Rodulphio (3), & Wadingo (4) dicitur. Anno MDXXXIV. ad Sedem Calaritanam tranſiit, quemadmodum in ejuſdem Archiepiſcoporum ſerie texenda animadverti; qua occaſione plura de Dominico diſſerui.

VI JOANNES II. RENNA.

In Dominici locum ſubrogatus eſt anno MDXXXIV. tertio nonas menſis Novembris. Hunc patria Venetum aſſerit ſapientiſſimus Pontifex (5) Benedictus XIV. Nondum quatuor exactis annis tertio idus Maii tranſiit ad Eccleſiam Pampelonenſem in Regno Navarræ. Cum nodoſa vexaretur podagra inter favores, quos ei poſtulanti conceſſit anno MDXXXVIII. die 6. Junii Paulus III., unus fuit, ut ſedendo integram Miſſam celebrare poſſet (6).

Hujuſmodi argumentum, an ſcilicet Epiſcopis præſertim, qui ſtare nequeunt, facultatem dare expediat, ut ſedentes incruentum offerant ſacrificium, ſumma eruditione, ac doctrina, ut aſſolet, verſavit non ita pridem idem ipſe Benedictus XIV. Pontifex Maximus.

VII. DURANTES DURANTI.

Venio nunc ad Antiſtitem omnium, qui hanc Eccleſiam gubernarunt, longè clariſſimum Durantem Duranti. Natus is eſt Brixiæ optimo genere. A Paulo III. anno MDXXXVIII. ſecundo Calendas Julias creatur Epiſcopus Algarienſis; deinde anno MDXLI. die 11. Februarii Præſul Caſſanenſis in Calabria; triennio poſt idem ipſe Paulus eum S. R. E. Cardinalibus inſevit, & Julius III. anno MDLV. patriæ Eccleſiæ præfecit. Diem obiit ſupremum nono Calendas Januarias anno MDLVII. ætatis ſuæ LXXI., ſepultuſque eſt in Cathedrali. Si quis plura de Durando ſcire aveat, legat Ughellium (7), Oldoinum (8), in primiſque clar. Gradonigum (9), qui res, & honores ab ipſomet geſtos non paucis celebrant.

VIII. PETRUS II. VAGNIEK.

Hiſpanus natione electus eſt anno MDXLI. Paullo poſt immortalis Carolus V. Imperator, Hiſpaniarum, ac Sardiniæ Rex eum Viſitatorem totius Inſulæ conſtituit, quod munus tanta integritate, tantaque prudentia geſſit, ut

(1) *T. II. H. Sard. c. 13. fol. 52.*
(2) Wad. *ad eum an. n. 20.*
(3) *L. 2. Hiſt. Seraph. fol. 234.*
(4) *Loco modo laud.*
(5) In epiſt. data an. 1757. die undecima Octobris *a Monſignore Ignatio Reali primo Maeſtro delle Cerimonie Pontificie ſopra il Celebrare la Meſſa ſedendo pag. 23. n. 28.* Perperam Vicus hunc Epiſcopum cognominat *Rina*, & patria Valentinum dicit.
(6) Confer *ejus Conſtitut. in fine præfatæ Epiſt. pag. 31.*
(7) *Tom. IV. in Epiſcop. Brixian. num. 99. Tom. IX. in Ep. Caſſan. num. 37.*
(8) *Tom. III. Vit. PP. col. 703.*
(9) *Hiſt. Pontif. Brixian. num. 94. pag. 364.*

Digitized by Google

ut Carolum, & Sardos ſibi magis devinxerit. Convocato Concilio Tridentum petiit, ubi moram traxit ab anno MDXLV. ſaltem uſque ad annum MDLII., quemadmodum ex actis liquet (1).

IX. PETRUS III. FRAGUS.

Uncaſtillum, quod eſt oppidum Regni Aragonenſis, fuit illi Patria. Tempeſtivè Pariſios profectus ibi ſedulam dedit litteris operam, & contubernalis extitit Illuſtriſſimi Præſulis Civitatenſis Franciſci *a Navarra*. Anno MDLX. renuntiatus eſt Eccleſiæ Uſellenſis Antiſtes, quam poſtea cum Algarienſi commutavit an. MDLXIII. nonis Junii, uti ex Actis Concilii Tridentini (2) apparet, ſeu verius anno MDLXII., prout ex Actis Conſiſtorialibus colligitur. Præfato Concilio interfuit, cum antequam Epiſcopale gereret munus, tum eo tempore, quo Uſellenſem Diœceſim moderabatur.

Duo circiter anni ab Algarenſi Sede acquiſita interceſſerant, cum moleſtiam inferre cœpit Franciſco Garſino contendens, ut is unum ex duobus, quos poſſidebat, Canonicatibus dimitteret. Franciſcus ad Romanum Pontificem Pium IV. non ſecus ac ad ſacram anchoram confugit; unde qui a ſecretis præfati Pontificis erat, anno MDLXIV. die 3. Decembris hanc Petro ſcripſit Epiſtolam (3), quam hic recitare placet, quoniam ex ipſa clariſſime patet, quænam fuerit Sacroſancti Concilii Tridentini mens de plurium *Beneficiorum Eccleſiaſticorum* poſſeſſione. „ Revme „ Domine. Supplicavit Sanctiſsimo Do„ mino noſtro auxilii cauſſa Franciſcus „ Garſinus Algarienſis, & Canonicus „ Biſerchenſis, quod urgeatur ab Am„ plitudine tua, ut alteri cedat Cano„ nicatui ex decreto Concilii Triden„ tini, quia cum ſint ſingulis Canoni„ catibus ſingulæ adjunctæ Parochiæ, in „ eadem cauſſa ſint, in qua ſont ipſæ „ Parochiæ, quæ tantummodo ſingulæ „ ſingulis teneri poſſunt. Verum quia „ eſt declaratum a SS. D. N. tantum „ id valere, & ſervandum eſſe in iis „ dignitatibus, quibus a principio con„ juncta fuit cura animarum, Decanus „ autem iſte affirmet, ab initio curam „ annexam non fuiſſe, ſed deinceps, „ & ut ajunt, ex poſt facto adjunctam „ eſſe: ſi res ita eſt, debebit Amplitu„ dinis tuæ prudentia de ſententia di„ ſcedere Decano moleſtiam non ex„ hibendo. Valete in Domino. „

Poſt adminiſtratam per novem annos Algarienſem Eccleſiam tranſiit ad Oſcenſem in Hiſpania, ubi obiit anno MDLXXXIV. poſtridie Calendas Februarii. Petri meminit Nicolaus Antonius (4), ſed errat, cum ſcribit ab Sede Uſellenſi ſtatim ad Oſcenſem translatum fuiſſe. Vir fuit litteris ſacris, & prophanis, triumque linguarum ſcientia clarus. In Concilio Tridentino anno MDLI. coram Patribus orationem habuit incipientem: *Verum illud, planeque compertum*, quæ non ſemel inter alias in eadem Synodo recitatas lucem vidit. Poëſi quoque ingenium ſuum excoluit, ut indicat carmen illud publici juris factum anno MDLX. occaſione adventus in Hiſpaniam Iſabellæ Valeſiæ Philippi II. Regis Sponſæ. Sed ſatis de hoc, reliquos ordiamur.

X. AN-

(1) Apud cl. Manſium *Tom. V. Suppl. ad Concilia Veneto-Labb. col.* 603.; apud Harduin. *Tom. X. col* 89., *& ſeq.* (2) *Eodem Tom. col.* 427.

(3) Exſtat hujuſmodi Epiſtola in Codice Chartaceo Sbaraleano, quem non ſemel memoravi.

(4) *Tom. II. Biblioth. Scrip. Hiſpaniæ pag.* 154.

X. Antiochus Nin.

Petro ſubrogatus eſt anno MDLXXII.. A Franciſco Vico dicitur ortus Calari, ac vir doctrina non minus, quam pietate conſpicuus.

XI. Andreas I. Baccalar.

Electus Epiſcopus anno MDLXXVIII. in locum defuncti Antiochi, diu hanc Eccleſiam adminiſtravit. Anno MDC. Eccleſiam conſecravit S. Bacchi, quæ ex fidelium eleemoſynis conſtructa denuo fuerat, antiqua jam diruta. Turritanus Pontifex creatus eſt anno MDCV., ut in Hiſtoria Eccleſiæ Turritanæ animadverti (1).

XII. Nicolaus Canavera.

Poſt Andream regendam ſuſcepit Eccleſiam Algarienſem Nicolaus. Natalem vidit lucem in Urbe Eccleſienſi, ac inter Canonicos Alenſes cooptatus erat, antequam Epiſcopalem obtineret dignitatem.

XIII. Gavinus Manca de Cedrellas.

Ex Epiſcopo Boſenſi creatus eſt Algarenſis anno MDCXI. Poſt biennium tranſiit ad gubernandam Eccleſiam Turritanam, ut alias diximus (2).

XIV. Laurentius de Nicto.

Huic Paulus V. P. M. anno MDCXIII. paſcendum tradidit Algarenſem populum. Teſtatur Vicus, fuiſſe patria Toletanum, & Deo ſe dicaſſe in Ordine Sancti Benedicti. Anno MDCXXI. hanc Eccleſiam cum Arborenſi commutavit, ut oſtendam, cum tempus me monuerit.

XV. Ambrosius Machinus.

Succeſſit Laurentio. Plura de Ambroſio diſſerui in Hiſtoria Archiepiſcoporum Eccleſiæ Calaritanæ (3), ad quam is tranſiit circa annum MDCXXVI.

XVI. Gaspar de Prieto.

In Civitate Burgenſi veteris Caſtellæ 19. Calendas Septembris anno MDLXXVIII. nobilibus Parentibus ortus, ætatis ſuæ anno XVI. Sacræ Religioni B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum in Patria nomen dedit. Magiſterii laurea inſignitus Sacram Theologiam Valliſoleti, Toleti, aliiſque in locis publicè docuit. Anno MDCXXII. Cæſarauguſtæ electus eſt totius ſui Ordinis Generalis Magiſter, cum antea fuiſſet Provincialis Caſtellæ, eamque dignitatem ad an.uſque MDCXXVI. circiter obtinuit. Poſtea Cathedram Celſonenſem conſcendit, quod aut ignoravit, aut omiſit Antonius Bernal (4); deinde per translationem Ambroſii ad Sedem Calaritanam factus eſt hujus Eccleſiæ Antiſtes, ac præterea ab Hiſpaniarum Rege nominatus totius Regni Sardiniæ ſummus Præſes, nec non magnus belli Dux (5). Anno tandem MDCXXXVI. 12. Calendas Martii tranſivit ad Eccleſiam Perpinianenſem, ibique obiit anno MDCXXXVII. Calendis Novembris.

Canonici Perpinianenſes ejus gloriæ perpetuum monumentum dicarunt, quod quum prolixum nimis ſit, prætereo, contentus exhibere poſtrema duntaxat illius verba, ut appareat, quot, qualeſque virtutes eum ornarint (6).
„ Fuit in pauperes, & Eccleſias libe-
„ ra-

(1) *Num.* 50.
(2) *In Archiep. Turritan. num.* 51.
(3) *Num.* 54. (4) *Catal. Magiſt. Gener. Ordinis præfixo ejus Bullar. pag.* 29.
(5) Conſule *cit. Bullar. pag.* 290.
(6) Refertur a doctiſs. Maurinis *Tom. VI. Galliæ Chriſtianæ in Ep. Perpinian. n.*10. *col.*1073.

„ raliſſimus, in ſuum Corpus aſperri-
„ mus, illud pectinibus ferreis domans,
„ parciſſimo victu contentus, in Ora-
„ tione aſſiduus, libertatis, & immu-
„ nitatis Eccleſiaſticæ acerrimus vin-
„ dex, juſtitiæ egregius defenſor, pa-
„ cis ſtrenuus amator, omniumque
„ paſtoralium virtutum laude præful-
„ gens. „

XVII. Valerius Ximenex de Embun.

Natione Aragonius, profeſſione Carmelitanus. Ut erat præditus ſumma dexteritate, ac prudentia, plura feliciter geſſit munera non ſolum Religionis, ſed etiam Regis mandato, qui iccirco eum remuneravit annua ducentorum *ducatorum* penſione. At cum hæc parum Regi videretur habita Valerii merito ratione, eum nominavit Epiſcopum Algarenſem anno MDXXXIV. ſub initium menſis Junii. Hanc tamen dignitatem conſequi non potuit, quoniam eodem anno die 17. Septembris in Conventu Cæſarauguſtano, cui aſcriptus ille erat, obiit.

Sepultus jacet in ejus Eccleſia cum hujuſmodi inſcriptione. „ D. Frater
„ Valerius Ximenex de Embun, Cæ-
„ ſarauguſtani Carmeli Filius, & Pa-
„ rens Sadavenſis, Jaccenſis, Bilbili-
„ tani totius, & Provinciæ Prior: Sar-
„ diniæ Generalis Reformator, Por-
„ tugalliæ Viſitator Regius, Bætico-
„ rum Comitiorum Præſes, Caſtellæ
„ Commiſſarius Apoſtolicus, Algaren-
„ ſis Eccleſiæ deſignatus Epiſcopus.
„ Vixit annos in Religione XLI., at-
„ que annos natus LVII. cum de Car-
„ meli gloria elucidabat multa, & lu-
„ ci dabat, venit ad occaſum die XVII.
„ Septembris anno MDCXXXIV.

Valerium pro merito laudant Daniel a Virgine Maria (1), Nicolaus Antonius (2), & Coſmas de Villiers (3), qui præterea varia opera ab ipſo confecta recenſent.

XVIII. Cyprianus Azcon.

Nationem cum Valerio communem habuit. Cum eſſet Vicarius Generalis Eccleſiæ Valentinæ, renuntiatus eſt Epiſcopus anno MDCXXXVII. Antequam poſſeſſionem iniret, vitam cum morte commutavit.

XIX. Antonius Nuseus.

In locum defuncti Cypriani lectus eſt anno MDCXXXIX.. Erat Archipresbyter patriæ Eccleſiæ nempe Turritanæ, priuſquam ſacris infulis decoraretur. In Indice librorum prohibitorum (4) proſcriptas lego *Juſtificationes motivorum tam juris, quam facti, quibus Regia Audientia moveri debet &c.* ſcriptas adverſus Antonium Nuſeum Epiſcopum Algarenſem *pro defenſione Regiæ Jurisdictionis &c.* Quid hic geſſerit, quo Joannes Lopez de Baylo earundem Auctor ad tale opus perficiendum motus ſit, fateor, me penitus fugere.

XX. Vincentius Augustinus Claveria.

Boſanenſem Eccleſiam cum Algarenſi commutavit anno MDCXLIV. die 17. Octobris. Ita Acta Conſiſtorialia.

XXI. Franciscus II. Buil.

Sardus, & Conventus Calaritani Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Alumnus. Ab Innocentio X. anno MDCLIII. Algarienſis Pontifex declaratus eſt eo tempore, quo erat Sacerdos a Sa-

(1) *Tom. II. Speculi Carmelit. pag. 962.*
(2) *Tom. II. Biblioth. Hiſp. pag. 259.*
(3) *Tom. II. Biblioth. Carmelit. pag. 860. 975.*
(4) *Pag. 163. edit. Rom. 1704.*

Sacris Concionibus Philippi IV. Hiſpaniarum Regis. In omnibus fermè facultatibus verſatus fuit, pluraque ſcripſit, atque inter cætera Hiſtoriam B. M. V. *de Podio* (1).

XXII. DIONYSIUS CARTASENES.

Ordinis Fratrum Minorum *Strictioris Obſervantiæ* in Pontificem Algarienſem electus eſt anno MDCLVII. octavo Calendas Octobris. Tradunt id verò Acta Conſiſtorialia. Dionyſii meminit etiam Petrus Antonius Venetus (2), ſed non ſecus atque Acta citata perquam jejunè. Tabulæ verò hujus Eccleſiæ narrant, fuiſſe Sardum ex oppidulo ſcilicet *Sedilo*, ſeu potius *Sadalo* ad Calaritanam Diœceſim ſpectante.

XXIII. SALVATOR MULLAS.

Natus in Caſtello *Nuoro* in Sardinia exſtante Dionyſio ſubrogatus eſt anno MDCLIX. die nona Junii. Per idem tempus, quo Epiſcopalem obtinuit dignitatem, Eccleſiam *Parochialem* gubernabat in oppido *Cularis*, quod ad Boſanenſem Eccleſiam ſpectat.

XXIV. ANDREAS II. AZNAR.

Natione Sardus, patria Calaritanus, ex Familia Auguſtiniana poſt Salvatoris mortem aſſumptus fuit ad Algarienſis Diœceſis regimen anno MDCLXIII. decimo octavo Calendas Februarias. Nonnullos annos hanc adminiſtravit, poſtmodum translatus eſt ad Sedem Ilerdenſem in Hiſpaniis ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi.

XXV. LUXORIUS REGER.

In Actis Conſiſtorialibus Luxorius nuncupatur Canonicus, quæ tamen non indicant, an hujus, an alterius Eccleſiæ fuerit. Illud certum, exploratumque eſt, regimen Algarienſis populi commiſſum illi fuiſſe die 15. Januarii anni MDCLXXII.

Poſteaquam hæc ſcripſeram, e Sardinia breviſsimum hujus Sedis Antiſtitum Catalogum accepi ab anno MDCXXVII. ad hæc uſque tempora, ex quo didici, Luxorium fuiſſe patria Calaritanum, ante obtentum Epiſcopatum primò rexiſſe populum Guaſilenſem, deinde Canonicum extitiſſe Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ.

XXVI. FRANCISCUS III. LOPEZ DE URRACA.

Poſt adminiſtratam integro luſtro Eccleſiam Boſanenſem tranſiit ad gubernandam Algarenſem an. MDCLXXVII. die 13. Septembris. Erat is ex Ordine Sancti Auguſtini.

XXVII. LUDOVICUS DIAZ.

Regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit anno MDCLXXXI. die prima Septembris. Exacto quinquennio tranſiit ad Calaritanam. De Ludovico alibi loquuti ſumus (3).

XXVIII. HIERONYMUS FERNANDES DE VELASCO, ET MENDOSA.

Tranſlato Ludovico Diaz ad Sedem Calaritanam ſuffectus in ejus locum eſt Hieronymus de Velaſco Caſtellanus Ordinis Sancti Benedicti. Porro, quantum ex Actis Conſiſtorialibus apparet, id accidit anno MDCLXXXVI. Calendis Aprilis.

XXIX. JOSEPHUS A JESU MARIA.

Inter Fratres Excalceatos Ordinis Sancti Auguſtini numeratus adeo apud ſuos

Z

(1) V. *Bullar. Ordinis pag.* 300.
(2) *Giardino Serafico Storico Par.* 3. *pag.* 560.
(3) *In Archiepiſcop. Calarit. num.* 59.

ſuos inclaruit, ut ei graviora ſocietatis munera commiſerint, quæ ſumma cum laude obivit. Electus quoque eſt a Rege Catholico in ſuum Concionatorem, atque ab eodem poſtmodum ad Epiſcopatum Algarienſem nominatus, annuente Romano Pontifice aſſumptus fuit anno MDCXCIII. die 18. Maii annos circiter L. natus. Hujus Eccleſiæ Tabulæ narrant, nondum conſecratum e vita migraſſe.

XXX. Franciscus IV. Femadas.

Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Mercede. Præter ſcholaſticas facultates virtutes morales poſſedit. Fuit enim Theologus, & Concionator celeberrimus, tamenque de ſe ipſo demiſsè ſentiebat. Honorem *Provincialatus* Provinciæ Aragonenſis in Ordine obtinuit, anno verò MDCXCIV. dignitatem Epiſcopalem eſt conſequutus. At enim ſecum in animo conſiderans, ad vitam acquirendam immortalem ſatius ſibi eſſe dies in Religione agere, quam ad tantæ dignitatis faſtigium evehi, Epiſcopatus poſſeſſionem inire recuſavit (1).

XXXI. Thomas Carnizer.

Franciſco detrectante hujus Eccleſiæ regimen ſuſcipere, teſtatur Dominicus Ponſi (2), electum fuiſſe ejus loco Thomam Carnizer anno MDCXCV. die 19. Septembris. Hic natus eſt Calari nobili genere. Quando Epiſcopalem acquiſivit dignitatem, officium Provincialis Ordinis Prædicatorum, cui jam a pluribus annis ſe devoverat, exercebat, quemadmodum Acta Conſiſtorialia tradunt. E vita migravit anno MDCCXX.

XXXII. Joannes Baptista Lomellini.

Pedemontanus in oppido *Carmaniola* ortus præfatæ Familiæ alumnus, Sacræ Theolngiæ Magiſter, ac ſanguinis nobilitate clarus, an. MDCCXXVI. die 16. Decembris a Benedicto XIII. electus, Calendis Januarii ineuntis anni MDCCXXVII. ab eodem Pontifice inauguratus fuit in Vaticano S. Pii V. Sacello, cum Eccleſia ſex vacaſſet annos. Numeratus erat inter Sanctæ Mariæ *ſupra Minervam* Cœnobii alnmnos, quibus etiam præerat, ubi Epiſcopatum conſequutus eſt.

Anno MDCCXXIX. die 17. Auguſti tranſiit ad Eccleſiam Salutienſem in Pedemontana Provincia Sanctæ Sedi *immediate*, ut loquuntur, ſubjectam. Juxta clariſſimum Bremondium (3) ex hac vita migravit anno MDCCXXXIII.

XXXIII. Dionysius Joachim Ganieras.

Præclaro ſanguine in Pedemontis oppido *Carrea* natalem vidit lucem, quo tempore ejus Genitor origine Gallus ibidem Gubernatoris gerebat munus. Vulgo *de Belmont* cognominabatur ab hujus nominis oppidulo in Gallia exſtante, cui illius Parentes dominabantur. Poſteaquam ephebus factus eſt Deo in inclyto PP. Servorum B. M. V. Ordine anno MDCLXXXII. ſe devovit, atque Aſtenſi Cœnobio aggregatus fuit. Exacto tyrocinio, plures annos Philoſophiæ, Sacræque Theologiæ ſtudiis operam dedit, in quibus ita profecit, ut non jam ſolum de eo bene ſperare, ſed etiam confidere ſodales poſſent ſui, talem futurum, qualem optabant. Itaque Baccalaureus, ac Lector conſtitutus in Conventu Senenſi eſt,

(1) *Bullar. indic. pag.* 426.
(2) *Vita del Reverendiſs. P. F. Antonino Cloche c.* 8. *pag.* 211. *edit.* 1721.
(3) *Tom. VI. Bullar. O. P. pag.* 710. 709.

eſt, ibique moram trahebat anno MDCXCIV.

Aſtam reverſus longo tempore in Urbis Seminario docuit, inque Morali Theologia Presbyteros ſæculares imbuit. Honorem quoque *Examinatoris Synodalis*, ac *S. Officii* Conſultoris obtinuit. Victor Amadeus Sabaudiæ Dux anno MDCCIX. ſuum Theologum, & Conſiliarium eum declaravit, quo tempore ab anno MDCCXII. ad annum MDCCXXV. typis Aſtenſibus Theologiam Moralem breviter expoſitam, quinque nempe Tomis *in dodici*, ut ajunt, comprebenſam *in gratiam*, & *commodum ſtudioſæ Juventutis* publici juris fecit. Provinciam ſuæ familiæ Pedemontanam triennium rexit, in cujus etiam Comitiis non ſemel *Prioris* Generalis vicibus functus eſt.

Joachim doctrinam, aliaſque virtutes admiratus magnanimus Dux jam tum Sardiniæ Rex ipſum ſexagenario majorem Clementi XII. P. M. pro hac Eccleſia nominavit, & anno MDCCXXX. tertio nonas Septembris in Taurinenſi PP. Congregationis Sancti Philippi Nerii Templo Sacrum Ordinem accepit. Diem obiit ſupremum anno MDCCXXXII.. Ut erat perquam affabilis omnes ad ſui amorem traxit, maximè Cœnobii ſodales, qui proinde anno MDCCXXXIII. menſe Januario in benevolentiæ argumentum magna pompa in propria Eccleſia funeris juſta ipſi ſolvere. Aſtenſis Conventus monimenta, quæ P. M. Leonio præfati Ordinis alumno doctrina, & humanitate claro, accepta refero, hæc apertè teſtantur.

XXXIV. MATTHÆUS BERTOLINI.

Pedemontanus. In Urbe Montis Regalis in lucem venit die vigeſima quarta Julii anni MDCLXXVII. Cum eſſet Eccleſiæ Cathedralis Cunei Archipresbyter, & facultatis Theologicæ in *Univerſitate* Taurinenſi Præſes anno MDCCXXXIII. tertio nonas Maii creatus eſt Epiſcopus Algarienſis. De hujuſmodi Præſule ſit mentio in *Theſauro Reſolutionum* Sacræ Congregationis Concilii (1), ob quamdam controverſiam cum Canonicis ſuæ Cathedralis habitam. Poſt annos octo ab iſtius Eccleſiæ regimine ſuſcepto ad Turritanam Metropolim translatus eſt.

XXXV. CAROLUS FRANCISCUS CASANOVA.

In Liguria in loco, qui dicitur *Pigna* Diœceſis Albintimilienſis, anno MDCXCV. die 24. Februarii ortus eſt. Ex Vicario Generali Epiſcopi Ariminenſis electus eſt in Pontificem Algarienſem anno MDCCXLI. die 27. Novembris. Vidua facta Eccleſia Turritana per obitum Matthæi Bertolini, Carolus Franciſcus Algarenſem cum ea commutavit exacto decennio, uti de Turritanis Antiſtitibus ſermonem facientes narravimus.

XXXVI. JOSEPH AUGUSTINUS DELBECCHIUS.

Primam vidit lucem anno MDCXCVII. tertio Idus Aprilis in oppido *Onelia*, quod in ora Liguriæ ſitum eſt, atque ad Albingaunenſem Diœceſim ſpectat. Inter Clericos Regulares Scholarum Piarum, quibus ab adoleſcentia numeratus is fuerat, celebris evaſit Theologus, ſacramque facultatem Januæ, ac etiam Romæ ſumma cum laude docuit.

Creatus Miniſter Provincialis Siciliæ, cui aggregatus erat, eandem ſex annos tanta prudentia adminiſtravit, ut

Z 2

(1) *Tom. VIII. pag. 126. edit. Prima.*

ut ab univerſa ejus ſocietate electus poſt non multò fuerit in Procuratorem Generalem apud S. Sedem, in eoque munere famam, quam ſibi antea comparaverat, plurimum auxit, ſiquidem illo triennio, quo officio ſibi impoſito functus eſt, ſua opera, & induſtria perfecit, ut Joſephum Calaſantium Scholarum Piarum Parentem, & Fundatorem Beatorum numero SSmus Pont. Benedictus XIV. adſcriberet; Collegium maximum in Urbe Roma fundavit, aliqua geſſit, quibus nomen ejus æternum vivet.

Quamobrem mirandum non eſt, ſi dignitatem quoque Supremi Præſulis ipſi ſui ſodales an. MDCCXLVIII. contulerunt. Porro hanc tres dumtaxat annos tenuit; enim verò anno MDCCLI. decimo ſexto Calendas Maii Epiſcopatum Algarienſem acquiſivit, quem in præſentia etiam obtinet. Optandum eſt, ut diù vivat, quò ſicut non parum decoravit, profuitque ſuæ Congregationi, ita pariter multum honoris, atque utilitatis propriæ afferat Diœceſi.

ECCLESIA AMPURIENSIS.

DE Ampurienſi Sardiniæ Civitate nihil veteres Geographi poſterorum memoriæ mandarunt. Recentiores verò hujus meminere, ſed eorum nonnulli ut Ferrarius (1), & Baudrandus (2) ſcribunt, eandem eſſe, ac Caſtrum Aragonenſe, cum tamen, ut eſt optime a Laſor (3) animadverſum, diſſita ab illo octo paſſuum millia fuerit. Sita erat ad mare in parte Inſulæ ſeptentrionali, ac *hujus rudera viſantur propè oppidum* Sedini *dictum, & fluvium Termum ad occidentem*.

Franciſcus Fara (4) exiſtimat, hanc Urbem antiquiſſimam eſſe conſtructam ſcilicet longe ante Chriſti Domini ortum a Phocenſibus, qui ab aſſiduis Perſarum bellis exagitati, communi conſenſu patriam linquentes, mare ingreſſi in Sardiniam appulerunt. Cum Fara concinit Vicus (5). Vellem, ut ad id probandum aliquod antiquum monumentum in medium attuliſſent; nam ad credendum factum, quod ante quamplura ſæcula accidit ob ſolam auctoritatem Scriptorum, qui & longe poſt vixerunt, & facta infecta loqui ſolent, nunquam animum meum inducere potui.

Ut ut ſit de hujuſmodi Urbis vetuſtate, de qua nolo amplius contendere; illud certum eſt, hanc Epiſcopum habuiſſe jam uſque ab initio ſæculi undecimi. Epiſcopatus Ampurienſis meminere Cencius Camerarius, ac veteres *Notitiæ* Eccleſiaſticæ, de quibus antehac verba feci non ſemel, inpoſterumque faciam. Cathedralis Eccleſia dicata erat *Sancto Petro*, qui communiter *de Imagine* vocabatur. Quotidie in ea Divinas perſolvebant laudes Archipresbyter, octo Canonici, alii Sacerdotes, & Clerici.

Sedem Epiſcopalem a Civitate Ampurienſi ad Caſtrum, quod *Aragonenſe* dicunt, tranſlatam fuiſſe nemo vocat in medium. Quo autem anno id ac-

(1) *In Lexico Geograph. Tom. I. ad v.* Emporium.

(2) *Ibidem*.

(3) *Tom. I. Univerſi Terrar. Orbis* ad *v. Emporiæ*.

(4) *Hiſt. de Rebus Sardois col.* 8.

(5) *Tom. II. H. Sard. Par.* 6. *cap.* 10. *num.* 16.

accidit, mihi non conſtat. Scio quidem, Martinierum (1), & Vicum (2), cæteroſque, qui hac de re egerunt, ſcribere eveniſſe ſub Alexandro VI. anno circiter MDIII., quod tam falſum eſt, quam quod maxime; ſiquidem ex quadam Epiſtola ſcripta ad Ampurienſem Epiſcopum anno MDLXV. quarto Calendas Februarias apparet, eo tempore Antiſtitem reſediſſe Ampurii, & volentem ad Caſtrum Aragonenſe transferre Sedem prohibitum fuiſſe a Pio IV. Romano Pontifice. Memoratam Epiſtolam, quæ nondum lucem vidit, quantum ſcio, heic habeto (3).

„ Reverendiſſime Domine. Denuntiatum eſt Sanctiſſimo Dño N$_S$ ſtro, velle Amplitudinem tuam mutata Epiſcopali Sede transferre eam in quoddam Caſtellum, quod *Aragonæ* appellatur. Quare omiſſis, quæ nunc afferuntur de incomodo, & parum digno Epiſcopali Eccleſiæ iſtius Caſtelli domicilio, tantum ab Amplitudine tua peti juſſit Sua Sanctitas, qua ratione, & auctoritate freta ab antiquo Eccleſiæ loco in iſtud Caſtrum Cathedralem Sedem traducendam exiſtimet. Quamobrem erit officii, & prudentiæ tuæ, quomodo ſe res habeat, vere præſcribere, & interea quoad hanc translationem faciendam attinet, nihil novi, ut par eſt, inconſulta Sede Apoſtolica intentare. Cui ſalutem, & incolumitatem precor „. Hactenus ille, qui a ſecretis laudati Pontificis erat.

Itaque nonniſi poſt Pii IV. ætatem Præſul Ampurienſis in Oppido Caſtri Aragonenſis reſidere cœpit. Facta Sedis translatione in Cathedralem erecta fuit Eccleſia S. Antonii Abbatis, quæ prius ad Monachos Benedictinos ſpectabat. Hac eadem occaſione plures unitæ ſunt Abbatiæ, quæ ad præfatos Monachos attinebant (4), Menſæ Epiſcopali; hinc Pontifex Ampurienſis in publicis diplomatibus inſcribitur *Abbas Abbatiarum S. Mariæ de Tergo*, *S. Pancratii de Nurſis*, *S. Michaelis de Plano*, ſeu *de Plajano*, *S. Michaelis de Silano*, necnon *Prior* S. Boniſacii Urbis Saſſaritanæ. Cathedralis unam tantum habet dignitatem, nempe Archipresbyterum, 12. Canonicos cum utraque *prœbenda*, 18. *Beneficiatos*, & alios Clericos. Eſt in Actis Conſiſtorialibus, quod Menſæ Epiſcopalis *fructus taxantur ad florenos centum*, *& ſeptuaginta unum cum uno tertio*, *aſcendunt verò ad bis mille*, *& octoginta circiter ſcuta illius monetæ*.

Antequam ad Epiſcoporum texendam ſeriem deſcendo, ratio poſtulat, ut breviter de Caſtri Aragonenſis oppido diſſeram. Ergo conſtructum illud fuit ſub annum MCII., ſi Vico (5) credimus, a nobiliſſima Gente Auria. Duo millia circiter alit Civium. Dictum eſt Aragonenſe, quod primum ex Sardiniæ oppidis expugnatum ab Aragonenſibus fuerit (6); vergit ad Septemtriones, & 24. millibus diſtat a Saſſari. Inter Inſulæ Civitates bene munitas recenſetur, ſed exiguum circuitu eſt; hinc videtur rem exaggeraſſe Baudrandius (7) ſcribens, eſſe ſat amplum, & cul-

(1) *In Mag. Dict.* ad v. *Caſtell. Arag.*

(2) *Ibidem num.* 21.

(3) Exſt. in Codice Chartaceo, quem alias dixi aſſervari apud Sbaraleam Virum Societatis noſtræ doctiſsimum.

(4) Confer Vicum *loco nuper laud. num.* 23.

(5) *Tom. II. op. cit. Par.* 4. *cap.* 15. *Fol.* 34.

(6) Confer Anton. Chiuſole *nel Mondo Antico, e Moderno pag.* 322.

(7) *Loco mox citando.*

cultum, totiuſque Inſulæ poſt Calarim primum. Eodem in loco ſitum dicitur, quo extabat celebre oppidum *Tibula* (1) ab Antonino memoratum. Unum tantum in Urbe reperitur Cœnobium ad Patres Franciſcanos, qui jam uſque ab antiquis temporibus *Conventuales* dicuntur, ſpectans, in quo anno MDCCXVI. tertio nonas Auguſti iter carpſit ſupremum Pater Joſeph, Monſerratus, qui plures gratias omnibus ad ipſum confugientibus quotidie confert.

Ne verò in reprehenſionem incurram, quod aliquos Præſules Ampurienſi Eccleſiæ aſſignaverim, qui eam numquam rexerunt, oportet Lectores admoneam, me ob' monumentorum inopiam eorum plures hic ex Franciſco Vico exhibere. Hunc (2) Civitatenſis Eccleſiæ, quæ ineunte ſæculo æræ vulgaris decimo ſexto huic Sedi annexa eſt, Epiſcopos confusè cum Pontificibus Ampurienſibus referre. Ex his nonnullos proprio me reſtituiſſe Epiſcopatui, quippe ipſorum lux quædam aliunde affulgebat. Integram tamen ſeriem nimis a ſummo conſarcinatore obſcuratam emendare nequiviſſe.

EPISCOPI AMPURIENSES.

I. NICOLAUS.

Primus hujus Eccleſiæ Antiſtes mihi notus eſt ille, qui ſub ann. MCVI. una cum pluribus aliis conſecrationi Eccleſiæ SS. Trinitatis *de Sacargia* (3) interfuit. In diplomate, quo Vir nobiliſſimus Gunnarius anno circiter MCXII. (4) quatuor Eccleſias Monachis Caſſinenſibus elargitus eſt, memoratur *Epiſcopu domnu Nicola*. Hic quam conſcenderit Cathedram expreſſum in eo non eſt, ſed non aliam præter Ampurienſem tenuiſſe non modò mihi ſuadet, verum etiam perſuadet ejuſmodi argumentum. Eccleſiæ, de quibus nuper mentionem feci ad Nicolai juriſdictionem ſpectabant (5). Ex litteris Paſchalis hujus nominis Secundi conſtat, poſitas fuiſſe *infra Turritanam, & Empuritanam* Diœceſes. Nicolaus noſter Pontifex Turritanus eſſe nequibat; cum quia Turrita-
na

(1) Adeundi Cluverius *Sard. Antiqua col.* 24. Brietius *Opere alias indic. pag.* 685. Baudrandius *in Lex. Geograph. ad v. Caſtel. Aragon.*. Sed omnes perſequi, qui illud aſſerunt, nimis longa oratio eſſet.

(2) *Opere cit. Par. 6. cap.* 11.

(3) Lege *Hiſt. Archiep. Turritan. n. VII.*, ubi eorum Epiſc., qui huic conſecrationi adfuere, Catalogum exhibui. In eo vocatur *Epiſcopu de Flumen*, ſed uti ex mox dicendis patebit, illo tempore Epiſcopus Ampurienſis hoc etiam nomine vocari ſolebat.

(4) Confer Gunnarii diploma apud Gattolam *Par. 1. Hiſt. Abbat. Caſsin. ſac. 7. pag.* 427. Quo anno datum ſit certò non liquet, ſed cum Paſchalis II. Pontifex Maximus anno 1113. Eccleſias a Gunnerio Monachis conceſſas eis confirmet (V. *ejus litteras* apud Gattolam *op. cit. pag.* 425.) dubium non eſt, quin actum ſit anno circiter 1112.

(5) Adi *laud. diploma*. In hoc ita loquitur Gunnarius: *La fazo iſta carta pro ſta Eccleſia de S. Petru de Nurci, & pro S. Nicola de Nugulbi . . . . Eccleſia de S. Helias de Setin eſſa Eccleſia de S. Petru de Nugulbi . . . . cum voluntate deſſu Archiepiſcopu domnu Azzo cibe fuit tando, & cum voluntate deſſu Epiſcopu domnu Nicola, in cuja parochia forunt*. Vox *parochia* hic non ſignificat tractum illum, qui juriſdictioni ſpirituali unius tantum Sacerdotis ſubeſt, uti communiter nunc accipitur; ſed totam Diœceſim Ampurienſem exprimit. Olim hunc ſenſum etiam præſetuliſſe vocabulum *parochia* ab eruditiſſimis Viris Dufreſnio, & PP. Maurinis optimè animadverſum eſt *Tom. V. Gloſſ. mediæ, & infimæ Latin. pag.* 637. *edit. Venet.* 1723.

na Eccleſia Metropolis iis etiam temporibus erat ; tum maximè quia eo anno hanc Eccleſiam regebat *Archiepiſſcopu domnu Azzo*. Itaque Nicolaus Præſul fuit Ampurienſis, & dubio procul idem, ac ille, quem conſecrationi Eccleſiæ *de Sacargia* adfuiſſe paullò ante narravi.

Anno MCXVI. die decima ſexta Decembris quædam privilegia confirmavit, quæ Eccleſiæ modò laudatæ jam tum ad PP. Camaldulenſes ſpectanti Archiepiſcopus Turritanus elargitus erat (1). Nicolaus vivebat quoque anno MCXX. nono Calendas Junias, quemadmodum illorum temporum monimenta apertè teſtantur (2).

II. COMITA DE MARTIS.

Ex diplomate Alberti Pontificis Turritani, quo Monachos Caſſinenſes a cujuſdam cenſus ſolutione S. Gavini Eccleſiæ faciendæ exemit (3), exploratum eſt, Comitam Epiſcopum fuiſſe anno MCLXX. Hanc Eccleſiam gubernabat anno quoque MCLXXVI. (4); immò verò etiam poſt triennium; nam anno MCLXXIX. Concilio Lateranenſi III. adfuit, prout ex ejus Actis liquidò conſtat (5).

JANUARIUS. Mortuo Comita, hunc Epiſcopatum geſſiſſe Januarium ſententia eſt Franciſci Vici (6). Quo anno electus ſit ille non indicat. Nullum pariter monimentum laudat, ex quo Januarium Ampurienſem rexiſſe Eccleſiam perſpectum habuerit ; quocirca vereor, ne ab Eruditis omnem aſſenſum hac in re extorqueat.

III. PETRUS I. DE MARTIS.

Vicus memoratus litteris conſignavit, an. MCLXXXVII. Ampurienſem Eccleſiam adminiſtratam a Petro *de Martis* fuiſſe. Ad hoc perſuadendum nullo quidem veteri teſtimonio utitur, attamen hoc in dubium vertere, multò minus negare non auſim ; enim verò exploratum mihi eſt, anno MCCV. Petrum quemdam hujus Sedis Antiſtitem ratam habuiſſe donationem Eccleſiarum S. Mariæ, ac S. Juſtæ *de Orrea Pichina*, Martino *Priori* Congregationis Camaldulenſis a *Torri* nobiliſſima femina Sarda factam (7).

IV. N.

(1) Hujus rei monumentum exſtat apud Vicum *Tom. II. Par. 6. cap.* 18.

(2) Conſule Gunnarii diploma apud Gattolam *op. laud. pag.* 424. Ne in hoc quidem Nicolaus noſter apertis verbis Epiſcopus Ampurienſ. vocatur, ſed ex eo colligitur, quod memoratæ Eccleſiæ dicantur in illius *Parochia* exſtaſſe. Hæc cum ita ſe habeant, nulla cauſa eſt, cur præter Epiſcopales Sedes, quas in Sardinia fuiſſe alibi obſervavimus, aliam quoque, nempe Sedem *de Flumine* ſtatuamus, quemadmodum ponendam eſſe duxit Vicus apud Cantelium *Hiſt. Urbium Metropolitan. Par.* 3. *Differt.* 6. *cap.* 7. quod in Epiſcopis, qui conſecrationi Templi *de Sacargia* adfuere, recenſitum invenerit : *Su Epiſcopu de Flumen*. Hic namque Præſul alius non eſt a Nicolao Ampurienſi, qui pariter Epiſcopus *de Flumen* nuncupatur : *cum voluntate . . . . deſſu Epiſcopum de Flumen donnu Nikola pro redemptione deſſas peccatas meas*, inquit Gunnarius *in diplomate nuper cit.* Quamobrem ita appellatus ſit hujus Eccleſiæ Antiſtes non ſatis conſtat. At enim, ſi quod ſentio in medium afferre mihi licet, dicam hoc nomine vocatum fuiſſe a flumine *Termo*, ſeu *Temo*, quod non longe ab Urbe Ampurienſi, in qua ille morabatur, diſſitum cum Laſor alibi aſſeruimus.

(3) Exſt. apud Murat. *Tom. II. Antiq. Medii Ævi Differt.* 32. *col.* 1051.

(4) V. *Epiſt. Alberti Archiep. Turrit.* apud Wading. *Tom. IV. pag.* 486.

(5) Apud Hard. *Tom. VI. Par.* 2. *col.* 2058.

(6) *Par.* 6. *op. cit. cap.* 11.

(7) Hujus confirmationis diploma aſſervatur in Tabulario Monaſterii *Fontis-boni*, prout doctiſſimus, humaniſſimuſque Abbas Mittarellius Camaldulenſis litteris hoc anno 1758. 12. Calend. Februarias Venetiis datis mihi ſignificavit.

IV. N.

Emporienſis, ſeu Ampurienſis Antiſtes, cujus nomen me fugit, anno MCCXXXVI. die 18. Martii ſubſcripſit diplomati Adelaſiæ Turritanæ Reginæ (1). Anno ſequenti idem ipſe Antiſtes ab Alexandro Apoſtolicæ Sedis in Sardinia Legato, fiduciario, ut ajunt, jure *Caſtrum Monteacutium* obtinuit. Patet hoc ex *charta*, quam ex clariſſimo Muratorio (2) heic habeto.

„ In nomine Domini amen. Anno „ Domini MCCXXXVII. Indictione XI. „ tempore Domini Gregorii Papæ IX. „ anno XI. decima ſexta die menſis „ Aprilis. Pateat omnibus manifeſtè, „ quod Magiſter Alexander Cappella„ nus, & Legatus Apoſtolicæ Sedis aſ„ ſignavit, & dedit Caſtrum, quod di„ citur Monteacutium, ad tenendum, „ ſervandum, & conſtituendum pro „ Eccleſia Romana, & Domino Papa „ Gregorio, ejuſque ſucceſſoribus ca„ nonicè intrantibus, Epiſcopo Ampu„ rienſi, & ad reſignandum tantum „ ei, & nulli alii, cui Summus Pon„ tifex mandaverit reſignari; & ipſum „ Epiſcopum poſuit in corporalem poſ„ ſeſſionem dicti Caſtri, & Caſſari, „ claves ejus eidem Epiſcopo conce„ dendo. Actum in dicto Caſtro co„ ram ſubſcriptis Teſtibus, videlicet „ Dño-Torgodorio Epiſcopo Caſtren„ ſi . . . . . Abbate de Saccaria &c. „ Ego Gregorius Sacroſanctæ Romanæ „ Eccleſiæ Scriniarius &c. Et ego Ni„ colaus Ferentinus Sanctæ Romanæ „ Eccleſiæ Scriniarius „.

De hujuſmodi conceſſione Præſuli Ampurienſi facta diſſerit quoque doctiſſimus Raynaldus (3) monumentis Vaticanis innixus.

V. G.

Ampurienſis Epiſcopus, cujus nominis prior littera erat G, liquit vitalia lumina an. circiter MCCCI., quemadmodum ex Conſtitutione Bonifacii VIII. Pontificis Maximi (4) fit manifeſtum.

VI. BARTHOLOMÆUS MALACRIA.

Piſis in Tuſcia natus eſt præclaro ſanguine (5). Deo in Ordine Franciſcano ſe dicaverat, inque illo Sacræ Theologiæ Doctor electus fuerat, antequam Epiſcopali dignitate ornaretur anno nuper indicato 7. Idus Maii. Deſignatus, conſecratuſque fuit a Joanne item Franciſcano Pontifice Turritano, cui facultatem conceſſerat Bonifacius

(1) Exſt. apud Murat. *Tom. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſert.* 71. *col.* 9.

(2) *Diſſertat. laud. col.* 19.

(3) *Tom. II. Ann. Eccleſ. ad an.* 1237. *num.* 22. *pag.*166. *edit. Lucen.*

(4) V. *Conſtit. V.* incipient. *Vacante dudum*, apud Wad. *Tom. VI. in Reg. Pontif. pag.* 418.

(5) Monumenta Conventus Piſani ad me miſsa „ Il Beato Bartolomeo fu di Natione Piſano „ della Nobile, e antica Famiglia Malacria de' Conſorti de' Gualandi „. Bartholomæi meminit etiam Paulus Troncius *Annali Piſani ad ann.* 1301. *pag.* 291. ſed eum *Malagrue* cognominat „ Morì in Piſa, *inquit*, Bartolomeo Malagrue Piſano dell' Ordine de' Conventuali di „ S. Franceſco Veſcovo d' Ampurias in Sardigna huomo per Dottrina, e Santità aſsai celebre, „ del quale nella Hiſtoria Serafica: *B. Bartholomæus Malagrue Piſanus ſub Bonifacio VIII. creatus Epiſcopus Empurienſis in Sardinia anno* 1301. 6. *Idus Maii, fuit Magiſter Pariſienſis, qui Sanctitate, & Doctrina ſuo ævo clarus obiit Piſis in Eccleſia ſui Ordinis Divo Franciſco Sacra tumulatus in pavimento ejuſdem Eccleſiæ* „. Quia ex rerum noſtrarum ſcriptoribus ſit, qui hujuſmodi elogio Bartholomæum cohoneſtat, diu, multumque fruſtra quæſitum a me eſt. *Magiſter* vocatur etiam a Petro Rodulphio *lib.* 2. *Hiſtoriar. Seraph. Religion. Fol.* 160. *edit.* 1586., ſed errore fortaſsia Typographi apud eumdem dicitur Epiſcopus *Eviporienſis*.

cius VIII., privato *Capitulo* jure Paſtorem ſibi eligendi (1). In Patria e vita migravit, ſepultuſque eſt in ſui Ordinis Eccleſia ante Sacellum nunc Beato Andreæ *de Comitibus* dicatum. In lapide marmoreo inſculpta viſitur Bartholomæi imago eundem Pedum in manibus geſtantem, aliiſque Pontificiis veſtibus indutum repræſentans, circa quam ſequens legitur Inſcriptio (2).
„ Hic jacet Venerabilis Pater, & Do-
„ minus, Dominus Frater Bartholo-
„ mæus Malacria Epiſcopus Empurien-
„ ſis Ordinis Minorum.

Quum reliquum Inſcriptionis pedibus tranſeuntium tritum, deletumque ſit, de anno, quo mortem oppetiit, nihil certi ſtatui poteſt. Mihi tamen compertum eſt, e vita haudquaquam migraſſe ante diem ſextam menſis Decembris anni æræ vulgaris MCCCXVI.; enim verò per illud tempus *appellationem* adverſus Pat. Manfredum cauſſarum *Fidei* Quæſitorem Generalem in Tuſcia recepit, prout ex monumento in hujus operis *Appendice* exhibendo apertè conſtat.

VII. JOANNES I.

Quamquam, ut modò demonſtravi, non niſi poſt annum MCCCXVI. diem clauſerit ſupremum Bartholomæus, probabiliter tamen exiſtimo, longe ante mortem hanc Sedem dimiſiſſe, ſiquidem anno MCCCVIII. erat Epiſcopus *Joannes*. Porro id liquet ex Inſcriptione (dummodo genuina, & integra ſit), quæ exſtat in antiqua S. Teclæ Eccleſia in pago Ampurienſis Diœceſis *Nulvi* appellato ſita. Eſt autem hujuſmodi: *Ex ſanguine S. Gavini Turrenſis poſito a Joanne Epiſcopo an. MCCCVIII.* (3).

VIII. JACOBUS.

Subrogatus Joanni dicitur a Vico, ſine nota anni electionis.

IX. N.

Idem ipſe Vicus auctor nobis eſt, anno MCCCXXXVII. Eccleſiam Ampurienſem rexiſſe Epiſcopum natione Catalaunum. Illius nomen ſe ignoraſſe fatetur. Scribit, multa eum paſſum incommoda a Januenſibus, qui in Sardinia morabantur.

X. BERTRANDUS.

De Bertrando mentionem facit Ughellius (4), aitque anno MCCCLXV. die 12. Septembris hanc Eccleſiam cum Alatrina, ſeu Larinenſi commutaſſe. Bertrandus dubio procul ex aliqua Religioſa Familia ad Epiſcopatum aſſumptus fuerat; nam præfatus Ughellius *Fratrem* appellat, quem titulum ſolis Presbyteris Regularibus tribuit. At quænam illa fuerit, aut ignoravit, aut ſaltem non indicavit clariſſimus Auctor.

XI. PETRUS II.

Hunc Epiſcopum fuiſſe Ampurienſem

(1) Confer *Conſtitut. citat.*, *& ea, quæ ſcripſi in Archiepiſc. Turritan. num. XXII.*

(2) PP. Wadingus *ad annum* 1399. *num.* 24., atque a Terrinca *in Theatro Etruſco Minorit. Par.* 2. *tit.* 1. *pag.* 91. Bartholomæum cognominant *Malacrinam*. Ejus Epitaphium prætereunt, immò deletum omninò eſſe opinati ſunt.

(3) Vicus eam refert *Opp. alibi citat. Par.* 6. *cap.* 21. *Fol.* 45. Hic animadverto, memoratum Hiſtoricum aſſerere, Joannem hunc fuiſſe Ampurienſ. Epiſcop. anno etiam 1300. Illius animum longe a verò flectere oſtendit Conſtit., quam nuper citavimus. Ex ea in medio poſitum eſt, an. 1301. electum fuiſſe Bartholom., ac proinde defunctum, qui Eccleſ. an. 1300. gubernabat. Igitur quomodo idem ipſe Joan. & anno 1300., & 1308. Epiſcop. Ampur. eſſe poterat?

(4) *Tom. I. in Epiſcop. Alat. num.* 28., *& Tom. VIII. in Epiſcop. Larinenſ. num.* 11.

ſem anno MCCCLXXXVII. cenſet Vicus, cui nihil eſt, quod obſtem. Illud autem, quod ſcribit, paullò poſt regimen Eccleſiæ ſuſcepiſſe *Benedictum*, eamque gubernaſſe ad annum uſque MCCCCI. circiter, falſum contendo. Mihi enim ex Ughellio (1) conſtat, Petrum in Ampurienſi Cathedra ſediſſe per id temporis, quo Vicus Benedictum Antiſtitem facit, & anno modò indicato tertio Idus Februarii ad Sedem Adjacenſem in Corſica tranſiiſſe, ubi abiit e medio exacto decennio.

Itaque meo judicio, *Benedictus* in Epiſcopos Civitatenſes legendus potius eſt, quos cum Ampurienſibus turpiter confudiſſe inſignem conſarcinatorem æque, ac fabulatorem Vicum, alibi admonui.

XII. Simon.

Ex Epiſcopo Caſtrenſi renuntiatus dicitur hujus Eccleſiæ Paſtor anno MCCCCI.

XIII. Thomas.

Dignitatem Epiſcopalem acquiſivit anno MCCCCXII. De hoc ſimiliter agit Vicus, ſed breviſſimis verbis; quippe nil præter nomen habet.

XIV. Gavinus I.

Subrogatur Thomæ anno MCCCCXXVIII. Antea erat Canonicus Ampurienſis. Sexto ab ejus electione anno Eugenius IV. illi facultatem dedit, ut Eccleſias S. Joannis *Adotalis*, & S. Nicolai *de Orria Manna* Menſæ Epiſcopali conjungeret.

XV. Sissinus.

In Gavini locum præfatus Eugenius ſuffecit anno MCCCCXLIII. Siſſinum, qui Eccleſiam Sulcitanam dimiſit (2). Is quoque cogitationes ſuas intendit in ditandum majoribus proventibus proprium Epiſcopatum. Nam cum eodem copulavit antiquiſſimam Abbatiam S. Mariæ *de Cerigo*, quæ ad Monachos Benedictinos attinebat, obtenta a Romano Pontifice licentia. Tranſacto luſtro Guiſarchienſe Solium conſcendit.

XVI. Gonnarius.

In ea Inſulæ parte, quæ ad Gallurienſem ſpectabat Toparcham, in lucem is prodiit. Cum eſſet Ampurienſis Eccleſiæ Canonicus Epiſcopalibus Infulis inſignitus eſt an. MCCCCXLVIII.

XVII. Gelasius.

Gonnarium excepit Gelaſius. Quo anno id factum, latet, quippe Franciſcus Vicus, ex quo hunc pariter inter Præſules Ampurienſes recenſemus, tempus deſignationis indicare prætermiſit.

XVIII. Antonius.

Regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit anno MCCCCLIII. Is homo ſumma ſenectute factus Epiſcopatui nuncium remiſit.

XIX. Nicolaus II. de Campo.

In locum ſuffectus eſt Antonii, a quo in dimittenda Eccleſia fuerat deſignatus, an. MCCCCLIX. Patria erat Saſſaritanus, & inter Ampurienſis Eccleſiæ Cathedralis Canonicos cooptatus.

XX. Ludovicus I. Joannis.

Ordinis noſtri Epiſcopatum obtinuit anno MCCCCLXXIX. 12. Calen. Septembris (3). Vicus hunc appellat *Joannem*, aitque, eo tempore, quo non-

(1) *T. III. in Ep. Adjac. n.* 14. (2) Confer Eugenii Conſtit. *T. III. Bull. O. P. pag.* 231.
(3) Adi Meliſſanum *Supplem. ad Ann. Wad. Tom. XIV. ad eum an. num.* 4. *pag.* 240.

nondum Pontifex conſtitutus erat, fuiſſe Abbatem Sancti Michaëlis *de Plano*, & *Priorem* Sancti Martini Caſtri Aragonenſis, quas quidem dignitates Regulares ante Concilium Tridentinum communiter acquirebant (1).

XXI. DIDACUS I. DE MARIA.

Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini aſſumptus dicitur anno MCCCCLXXXVII. Meminit iſtius Vicus in Epiſcopis Ampurienſis, & Civitatenſis Eccleſiarum, & ex illo Torellus (2), qui earum poſtremæ Didacum aſſignat. At ſi verum eſt, ad alteram harum Sedium ſpectare, mea quidem opinione, Ampurienſi potius addici debet. Ut enim ſtabilibus innixus rationibus demonſtrabo, ubi Pontificum Civitatenſium ſeriem texuero, ab an. MCCCCLX. ad annum uſque MCCCCXC. Eccleſiam Civitatenſem Frater *Rodericus* Franciſcanus moderatus eſt, proinde nullo pacto defendi poteſt, an.MCCCCLXXXVII. ad illius Eccleſiæ regimen Didacum aſſumptum fuiſſe, niſi confingere velimus, eodem tempore duos Epiſcopos in eadem ſediſſe Cathedra.

XXII. FRANCISCUS I. MANNO.

An fuerit proximus Didaci ſucceſſor mihi non liquet. Vero tamen ſimile eſt, ſtatim poſt ejus mortem fuiſſe Ampurienſem Epiſcopum renuntiatum Franciſcum. Nam is electus dicitur a Vico anno MCCCCXCV. Fuit patria Saſſaritanus, ac inter Canonicos Cathedralis cooptatus. Franciſco Eccleſiam gubernante, Sedes Civitatenſis conjuncta eſt Ampurienſi.

XXIII. LUDOVICUS II. GONZALEZ.

Quantum conjicere licet, natione Hiſpanus fuit. Hanc Eccleſiam an. MDXV. regebat, quo tempore, cum ad Concilium Lateranenſe V. accedere nequiret, excuſavit eum apud Patres *diſcretus Dominus Ludovicus Molon Clericus Cæſarauguſtanus* (3). Poſt quadriennium litteras dedit Archiepiſcopis Calaritano, Turritano, Arborenſi, eorum ſuffraganeis, & univerſis Chriſtifidelibus de Corporibus Sanctorum Nicolai, & Trani in Provincia Gallurienſi quieſcentibus. In his vocatur *Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Caſtri Januenſis, Ampurienſis, & Civitatenſis Epiſcopus* (4).

XXIV. GREGORIUS ARTEA.

Succeſſit Ludovico an. MDXXXVIII. Virtute, doctrinaque inſigni præditus ille fuit.

XXV. LUDOVICUS III. DE CASAS.

Natione Hiſpanus patria Hiſpalenſis. Mortuo Gregorio renuntiatus eſt Pontifex Ampurienſis anno MDXLV.

XXVI. FRANCISCUS II. THOMAS.

Majoricenſis, Epiſcopatum obtinuit poſt Ludovicum. De Canonicis præſertim optime meritus evaſit, quippe ſibi auxilium præſtante Michaële Thomas ſuo Conſanguineo, quotidianas auxit eorum diſtributiones. Promotus poſtea fuit ad Eccleſiam Leridenſem in Catalaunia.

(1) Confer Echardum *Tom. II. Script. O. P. pag. 79.*

(2) *Tom. VII. Sac. Auguſt. ad eum an. num. 4. pag. 357.*

(3) Confer *Acta Concil.* apud Hard. *T. IX. col.* 1783. Idem ipſe Hard. *in Ind. Geograph. Epiſcop.* Ludovicum Eccleſiæ Urbis Emporienſis in Catalaunia adjudicat. Errat tamen graviſſimè; nam præfata Urbs ſæculo VIII. a Saracenis deſtructa, ejuſque Sedes Gerundenſi Epiſcopatui conjuncta fuit. Lege cl. Petrum de Marca *lib. 3. Marca Hiſp. cap. 4. col. 240. cap. 20. col. 302.* ed. 1688.

(4) Exſt. apud P. Vitalem *Tom. II. Annal. Sard. col. 246.*

XXVII. Petrus III. Narro.

Per translationem Franciſci ad aliam Sedem Ampurienſibus inſulis inſignitus eſt anno MDLXXII. In Hiſpania natus is erat, & inter PP. Benedictinos Abbatis munus antea geſſerat in Diœceſi Leridenſi. Hac adminiſtrata Eccleſia duos annos acceſſit ad Sedem Arborenſem.

XXVIII. Gaspar Vincentius Novella.

Poſt Petrum aſſumptus eſt Gaſpar Vincentius Novella. Tranſacto quadriennio, anno nempe MDLXXVIII. Eccleſiæ Calaritanæ regimen ſuſcepit, ut in ejus Archiepiſcopis dictum a me fuit.

XXIX. Michael I. Rubio.

Ex Abbate Sanctæ Mariæ *de Rueda* Gregorius XIII. eum ad Epiſcopalem extulit dignitatem anno nuper citato. Tempore hujus Antiſtitis a *Menſa* Epiſcopali ſeparata fuit Abbatia Sancti Michaëlis *de Plano*, & conceſſa Tribunali *Sancti Officii*.

XXX. Joannes III. Sanna.

In Sardinia in Oppido, quod Sardi appellant *Santo Luſurgiu* in Diœceſi Boſanenſi ortus eſt. Cum eſſet Decanus Eccleſiæ Cathedralis Alenſis eligitur in Epiſcopum Ampurienſem anno MDLXXXVI. Ad ſuccurrendum egenis videbatur natus. Plura hic operatus eſt, quæ ipſius nomen immortalitati conſignarunt, maximè vero erga PP. Sanctiſſimæ, Doctiſſimæque Societatis Jeſu, pro quibus, ut duo Conventus ædificarentur curavit, Conventus nempe, ſeu ut ajunt, Domus probationis Calari, & profeſſa Saſſari. Mortalis vitæ curſum complevit anno MDCVII.

XXXI. Philippus Marimon.

Statim poſt Joannis obitum electus in Pontificem eſt Philippus Hiſpanus Valentinus. Scribit Vicus, Fratrem fuiſſe *de Monteſa*. Iſti autem Fratres, teſte Zurita (1) poſt Templariorum deſtructionem inſtituti ſunt in Oppido *Monteſa* Valentinæ Diœceſis *para exaltacion dela Fe y para reſiſtir a los Infieles*.

XXXII. Didacus II. Passamar.

Saſſaritanus. Anno MDCXIII. Epiſcopatum obtinuit. Auctor eſt Bonfantius (2), eo Eccleſiam Ampurienſem gubernante repertum fuiſſe Sancti Simplicii Martyris, & Phauſanienſis Epiſcopi Corpus. Anno MDCXXIV. tranſiit ad Sedem Turritanam.

XXXIII. Joannes IV. de la Bronda.

Didacum excepit Joannes anno modò indicato. Patriam habuit Urbem Saſſaritanam, & priuſquam dignitatem Epiſcopalem obtineret, Canonicus fuerat Calaritanus.

XXXIV. Andreas Manca.

In Didaci locum lectus is eſt anno MDCXXXIV. Poſt duo circiter luſtra Ampurienſem dimiſiſſe Eccleſiam in medium vocari nequit, atque hoc præſtaſſe, quoniam e vita migravit, opinor.

XXXV. Gavinus II. Manca.

Fuit dubio procul Andreæ proximi ſui deceſſoris conſanguineus. Cathedram Ampurienſem conſcendit, uti ex Actis Conſiſtorialibus colligitur, anno MDCXLIV. decimo ſexto Calend. Novembris.

XXXVI.

(1) *Tom. I. delos Anales dela Corona de Aragon lib. 6. cap. 26. Fol. 30.*

(2) *Triumpho SS. Sardiniæ lib. 12. cap. 24.*

XXXVI. Gaſpar Litago.

Cum Boſanenſem Diœceſim ſeptennium circiter moderatus fuiſſet, anno MDCLII. ad III. Calendas Majas in locum Gavini lectus eſt.

XXXVII. Laurentius Sampero.

Primum inter Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ numeratus eſt, deinde anno MDCLVI. die 28. Auguſti aſſumptus fuit ad Populi Ampurienſis regimen.

XXXVIII. Petrus IV. de Alagon.

Non ſecus quam Laurentius Canonicus erat patriæ Eccleſiæ, nempe Calaritanæ, quando anno MDCLXIX. die 5. Auguſti creatus eſt hujus Eccleſiæ Pontifex. Nondum ſolido exacto triennio ad Sedem Archiepiſcopalem Arborenſem tranſiit.

XXXIX. Joseph I. Sanchiz.

Ex Ordine Beatæ Mariæ Virginis *de Mercede* Redemptionis Captivorum, Valentinus, patria Almocafenſis, egregius Concionator, Valentinæ Accademiæ Doctor, & Philoſophiæ *Cathedraticus*, Valentiæ Provincialis, Propoſitionum Fidei Cenſor, die 18. Octobris anni MDCLXIV. Granatæ electus eſt in Magiſtrum Generalem ſui Ordinis, quem ſexennio gubernavit. Poſt non multo anno ſcilicet MDCLXXII. die 22. Februarii Epiſcopatum Ampurienſem obtinuit (1), quem anno ſequenti cum Segobricenſi in Hiſpania commutavit. Tranſiit poſtea ad Eccleſiam Archiepiſcopalem Tarraconenſem, in qua obiit anno MDCXCIV. die 26. Martii. De iis quæ geſſit, maxime pro ſua ſocietate legendus eſt ejus ſodalis Antonius Bernal (2).

XL. Joannes Baptista Sorribas.

In Urbe Hiſpaniæ Valentia anno MDCXXXI. die 23. Junii venit in lucem. Ordinem Carmelitarum in Patria ingreſſus profeſſionem in eo emiſit anno MDCXLVII. die 27. præfati menſis. Completo ſtudiorum curriculo Madritum conceſſit, ubi moram trahens Regis Catholici Concionator inſtitutus fuit. Anno demum MDCLXXIII. die 25. Septembris electus eſt in Pontificem Ampurienſem, & anno ſequenti Calendis Aprilis inauguratus in Carmelo Ondæ per manus Anaſtaſii Vives Epiſcopi olim Segobricenſis, aſſiſtentibus Joſepho Sanchiz, de quo modo loquuti ſumus, novo Antiſtite Segobricenſi, & Joſepho Barbera Pontifice Maronenſi.

Neſcio qua diſtentus cauſſa, licet eodem anno, quo ordinatus eſt Præſul poſſeſſionem Epiſcopatus inivit per *Procuratorem*, tamen per ſeipſum non niſi anno MDCLXXV. die 10. Januarii Sponſam ſuam ſalutavit. Quod cum feciſſet confeſtim ſacram totius Diœceſis viſitationem aggreſſus eſt, quam die quarta Maii complevit. Abiit e medio circiter ann. MDCLXXIX. Plura de Joanne Baptiſta differunt PP. Daniel a Virgine Maria (3), & Coſmas de Villiers (4).

XLI. Josephus II. Accorra, et Figo.

Magnus Regis Catholici Eleemoſynarius, Patriæ Eccleſiæ, nempe Calaritanæ Canonicus, ac poſtea etiam De-

(1) Antonius Bernal, qui in Catalogo Magiſtro. Generalium ſui Ordinis præfixo Bullario *pag.* 34. plura de Joſepho diſſerit, haud narrat, Epiſcopum fuiſſe Ampurienſem. At hoc negari nullo pacto poteſt, ſiquidem apertè conſtat ex Actis Conſiſtorialibus, (2) *Loco indicato*.

(3) *Tom. II. Speculi Carmelit. pag.* 932. *num.* 3263.

(4) *Tom. II. Biblioth. Carmelit. col.* 932., *&* *ſeq.*

Decanus ſucceſſit defuncto Joanni Baptiſtæ anno MDCLXXIX. ſeptimo Calendás Octobris. Poſt annos ſex die 30. Aprilis Solium Arborenſe conſcendit.

XLII. Franciscus III. Sampero.

Cum eſſet Metropolitanæ Eccleſiæ Turritanæ Archipresbyter renuntiatus eſt Pontifex Ampurienſis anno MDCLXXXV. Calendis Octobris.

XLIII. Michael II. Villa.

Ex *Parocho* Eccleſiæ Sancti Apollinaris anno MDCLXXXVIII. die 19. Novembris creatus eſt hujus Sedis Antiſtes, cum detrectaſſet Ampurienſem conſcendere Sedem Georgius Sogia, qui Epiſcopus exiſtens Boſanenſis ad eandem electus jam erat. Anno MDCXCV. die 17., ac 18. menſis Aprilis Synodum Diœceſanam habuit, cujus Conſtitutiones poſt triennium Romæ editæ fuerunt.

XLIV. Didacus III. Pozuli.

Natione Sardus, & Ordinis Prædicatorum alumnus anno MDCCII. tertio Idus Decembris in locum Michaëlis ſuffectus eſt. Id non modo ex Actis Conſiſtorialibus, ſed etiam ex P. Dominico Ponſio (1), qui ſub nomine *Conradi Pii Meſſin* latere voluit, exploratum habeo.

XLV. Angelus Galcerinus.

Anno MDCLXI. nono Calend. Februarias ortus eſt Calari præclaro ſanguine. Inter Franciſcanos, quos in Sardinia *Clauſtrales* appellant cooptatus Philoſophiæ, Sacræque Theologiæ ſtudiis aſſiduam dedit operam, quorum abſoluto curriculo Doctor creatus eſt anno MDCXCVIII. menſe Aprili a Patre Magiſtro Franciſco Decori Saſſaritano Provinciæ Sardiniæ Miniſtro, atque in patrio Cœnobio *Regens*, ut ajunt, inſtitutus. Ob ſuam doctrinam meruit etiam publicam in Calaritano Lycæo Cathedram conſcendere.

In Comitiis Provincialibus die decima ſecunda, & duabus ſequentibus menſis Maii anni MDCCIX. Oriſtani habitis, Patres ſodales ſui in totius memoratæ Provinciæ Moderatorem communi ſuffragio elegerunt. Sed audire præſtat, quibus verbis ad piiſſimum Virum Bernardinum Angelum Caruccium univerſi Ordinis noſtri Miniſtrum, ſcripſerit hac de re Salvator Branca Saſſaritanus, qui eo tempore cum in Sardinia, tum in illis Comitiis ejuſdem vices gerebat: renuntiatus eſt, inquit, in Provincialem Miniſtrum *il P. Maeſtro Galſerino da Cagliari Teologo publico dell' Univerſità ſoggetto il più benemerito di tutti gli concorrenti, tanto per la dottrina, come anche per gli ſuoi buoni coſtumi, e gran religioſità con che ſempre è viſſuto, e il tutto accompagna la nobiltà della ſua naſcita; perilchè è ſtata una elezione* plenis votis, *con pace, e ſodisfazione di tutt' i Vocali, & edificazione del Popolo, ſecondo potrà V. P. Reverendiſſima chiaramente vedere negl' atteſtati degl' atti Capitolari, e lettere del Definitorio: & attendendo alle ſue coſpicue qualitadi poſſo aſſicurare V. P. Reverendiſſima, che ſarà un Superiore, che attenderà con gran zelo all' incremento di queſta ſua Provincia; che però la ſupplico con ogni oſſequio ad aver la bontà di ſpedirgli la ſua conferma, aſſieme con quella del ſuo Segretario, onorandolo parimente con quegl' onori, che hanno avuto i ſuoi anteceſſori, di Commiſſario Generale*. Hoc verò obtinuit

(1) *In Vita Antonini Cloche cap.* 8. *pag.* 212. *edit.* 1721.

tinuit ab eodem Caruccio octavo Calendas Julias (1).

Cum ſpem, quam Electores de illo conceperant non fefelliſſet, magnam non ſolum apud ſuos, verum etiam apud exteros æſtimationem ſibi conciliavit; hinc Victorio Amadeo Rege poſtulante a Benedicto XIII. P. M. hujus Eccleſiæ regimen demandatum ei fuit anno MDCCXXVII. decimo ſexto Calendas Junias. Poſt octo circiter annos obiit *Nulvi*, quod eſt Ampurienſis Diœceſis oppidulum, ac in Eccleſia S. Teclæ ab Patres Capuccinos ſpectante ſepultus jacet.

XLVI. JOANNES LEONARDUS SANNA.

Angelo vita functo Infulis Ampurienſibus decoratur Joannes Leonardus Sanna anno MDCCXXXVI. ſexto Calendas Octobris. In Oppido *Cularis*, quod ad Boſanenſem ſpectat Diœceſim natalem viderat lucem anno MDCLXXX. ſexto Idus Junii. Antequam Epiſcopalem honorem acquireret fuerat Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Urbis Calaritanæ, Vicarius Generalis Archiepiſcopi ejuſdem Civitatis, atque in toto Sardiniæ Regno Judex Apoſtolicus *Appellationum*, & *Gravaminum*. Modico tempore hac adminiſtrata Eccleſia translatus eſt ad Solium Boſanenſe.

XLVII. VINCENTIUS JOANNES VICO, ET TORRELLAS.

Calari ex Marchionibus *Solemini* originem traxit anno MDCCIV. decimo Calendas Octobris. Primo electus eſt in Archipresbyterum Cathedralis Civitatis Eccleſienſis; tum an. MDCCXXXVII. die poſtrema menſis Septembris in Epiſcopum hujus Sedis; deinde ferme poſt quadriennium in Pontificem Arborenſem.

XLVIII. SALVATOR ANGELUS CADELLO.

Patriam cum Vincentio Joanne communem habuit, & perinde ac ille ex conſpicua gente ortus eſt anno MDCXCV. Cum inter Canonicos Eccleſiæ Majoris Calaritanæ numeratus eſſet, anno MDCCXLI. quinto nonas Julii ad hujus Eccleſiæ Cathedram aſſumptus fuit, quam per hæc quoque tempora retinet.

(1) Conſtant hæc omnia ex *Regeſtis* Miniſtrorum Generalium, ex *Actis* Comitiorum Provinciæ Sardiniæ, & ex litteris P. Mag. Salvatoris Branca, in hoc totius Ordinis noſtri Tabulario apud SS. Apoſtolos aſſervatis.

ECCLE-

ECCLESIA BOSANENSIS.

BOSA Sardiniæ antiqua Civitas poſita eſt ad Occidentem Inſulæ inter Algherium, & Oriſtanum, paullulumque ab litore in mediterranea recedit. Quinque mille circiter habitatores continet. Ex veteribus hujus Urbis mentionem fecerunt Ptolemæus, Plinius, ac Antoninus (1).

De iſtius Epiſcopatus primordiis nihil certi definire audemus, tametſi, quantum conjecturis aſſequi licet, opinemur, Boſam circa Sancti Gregorii Magni ætatem proprium Antiſtitem agnoviſſe (2): ex quo forſitan factum, ut Boſanenſis Præſul antiquior inter Metropolis Turritanæ *Suffraganeos* habeatur, ſicuti in *Reſolutionibus* Sac. Congregationis Concilii Tridentini (3) legiſſe meminimus.

Cathedralis primò fuit Eccleſia Sancto Petro ſacra, nunc verò eſt Templum Sanctæ Mariæ *ad Nives* dicatum. Ejus *Capitulum* conflatum eſt ex Archipresbytero, tredecim Canonicis cum *Pœnitentiaria præbenda*, ſexdecim *Beneficiatis*, aliiſque Eccleſiaſticis. *Fructus*, prout in Actis Conſiſtorialibus videri poteſt, *taxantur ad florenos bis centum, aſcendunt autem ad mille, & octingenta ſcuta illius monetæ*.

Boſa Urbs quatuor habet Religioſorum domus, nempe PP. Carmelitarum, Capuccinorum, Societatis Jeſu, & S. Joannis *de Deo*.

Oppidula, & alia loca, quæ Boſanenſem Diœceſim conſtituunt plura ſunt. In his celebrius eſt *Cuiaris*, non tantum, quod Conventus PP. Servorum B. M. V., & Capuccinorum contineat, ſed maximè quod ex illo originem traxerint Lucia piiſſima fœmina Tertii Ordinis Servorum Mariæ, orta ex clariſſima *de Sartillas* gente (4), & Fr. Paulus *Laicus* Capuccinus non ita multum defunctus, *in quem a tempore, quo ſe .... Religioni ſacravit, Spiritus Dei influit in virtute, & vitam activam, & contemplativam in eo ita univit, ut, dum ex converſatione ſua inter homines adeptus eſt gloriam, mentis exceſſu, qui ſæpius ſuper eum irruit, Cœli delicias guſtaverit; & ſicut de illo in vita virtus, qua ſanavit, & mira patravit, exivit, & poſt mortem de ſicco illius cadavere egreſſus eſt ſanguis; ita illum populi opinio ſacri honoris dignum ſemper cenſuit, & Curia Epiſcopalis Boſanenſis tam vitæ, quam mortis mirabilia cenſorio examine propterea jam diſcuſſit* (5).

Non antea deſcendam ad Epiſcoporum catalogum contexendum, quam Lectorem commonefaciam, ex eo quod nonnulli Antiſtites appellentur *Roſſanenſes*, aut in Hiſtoriis, aut in aliis monumentis, perperam inferri ad hunc Sedem non ſpectare; nam Boſanenſis Eccleſia, ſive Amanuenſium, ſive Typographorum errore, ſive aliis de cauſſis, quas plus otii habentibus examinandas relinquo, *Roſſanenſis* quoque vocata

(1) Apud Cellar. *Tom. I. Geograph. Antiqu. l. 2. c. 11. pag. 773. edit. Schvvartz.*

(2) V. quæ diximus *Diſſert. prævia cap. 4. num. 4. pag. 52.*

(3) *Tom. II. pag.* 388.

(4) Confer Gianium *Tom. II. Annal. Ordinis Servorum B. M. V. cap. 12. pag. 143.*, & Garbium *in Acceſſ. ad eoſdem.*

(5) Verba ſunt P. Michaelis a Tugio *Tom. III. Bull. Capuccin. pag.* 228.

Digitized by Google

cata fuit in quibuſdam *Notitiis Eccleſiaſticis*, ac *Provinciali Romano*, ut eſt a Labbeo (1) Viro doctiſſimo animadverſum.

EPISCOPI BOSANENSES.

I. AGATHO, SEU VINCENTIUS.

Alterum iſtorum Epiſcoporum, ad quos ſcribit S. Gregorius Magnus (2), hanc rexiſſe Eccleſiam, alibi (3) nonnullis conjecturis perſuadere ſum conatus.

II. CONSTANTINUS.

Ante ſæculi undecimi medietatem nullus alter occurrit Epiſcopus, qui ne probabiliter quidem Boſanenſi Sedi addici queat. Medio ſæculo undecimo circiter, opinatur Vicus, vixiſſe Conſtantinum, quem eundem eſſe ac Conſtantinum poſtea a S. Gregorio VII. in Archiepiſcopum Turritanum electum propugnat. Hanc vero Eccleſiam adminiſtraſſe probat ex Inſcriptione, quæ ſaxo inſculpta exſtat in Eccleſia Sancti Petri, & ſic habet (4) „ Ego Conſtantinus de Caſtro Epiſcopus pro amore Dei, ad honorem S. Petri hanc Eccleſiam ædificare feci.

Aliqua mihi ineſt dubitatio, Conſtantinum, qui anno circiter MLXXIII. Turritanum conſcendit Solium, fuiſſe prius Pontificem Boſanenſem, quam alibi expoſui (5).

III. PETRUS I.

In iis refertur Epiſcopis, qui ſub anno MCVI. Eccleſiæ *de Sacargia* conſecrationi adfuere (6). Regebat hanc Eccleſiam anno quoque MCXII. pridie Calendas Majas; nam eo tempore, cum Conſtantinus Rex Turritanus PP. Camaldulenſibus dono dediſſet Cœnobium S. Petri *de Iſcanu*, eandem donationem ille confirmavit, *quemadmodum ex pagina ipſius regiæ largitionis conſtat ab ipſo Petro Epiſcopo ſubſcripta, quæ ſericis funiculis mira varietate, ac pulchritudine compactis regalis ſigilli formam appenſam retinet, & in Archivio diligenter aſſervatur* (7). Hanc vero *paginam*, ſeu diploma in lucem emiſerunt eruditiſſimi Annalium Camaldulenſium Scriptores (8).

IV. MARINUS.

Anno MCXVI. die 16. menſis Decembris rata habuit quædam privilegia ab Archiepiſcopo Turritano Patribus nuper citatis conceſſa (9).

V. JOANNES I.

Anno MCXXXVIII. ſubſcripſit diplomati judicium complectenti a Balduino Archiepiſcopo Piſano latum in controverſia, quæ Canonicos Piſanos inter, & Abbatem Monaſterii Sancti Luxorii in Sardinia verſabatur. Hujuſmodi diploma in lucem emiſſum eſt ab eruditiſſimo Grandio (10).

VI. GODEFRIDUS.

Ejus nomen inter eos Præſules legitur,

(1) *In Breviario Geograph. Epiſcop. c. 2. §. 2. exſt. in Appar. ad Concil. col. 9.*

(2) *Epiſt. 8. lib. 9. Indic. 2.* (3) *Diſſ. prævia c. 4. n. 4.* (4) Refertur a Vico *Par. 6. c. 15.*

(5) *In Hiſt. Archiep. Turrit. n. VI. in not.* (6) V. *eandem Hiſt. n. VII.*

(7) Auguſt. Fortunius Florentinus *Hiſt. Camald. l. 2. c. 3. pag. 146. ed. 1575.*

(8) *Tom. III. Annal. in Append. num. 161. pag. 233.*

(9) Hujus confirmat. monumentum refert Vicus *Par. 6. Hiſt. Sard. c. 18.*

(10) *Append. ad Epiſt. de Pandectis Piſanis Monumen. 19. pag. 181. edit. 1727.*

gitur, qui anno MCLXX. teſtes fuere diplomati, quo Albertus Archiepiſcopus Turritanus exemit Monaſterium Sancti Petri *de Nurchi* ab ſolutione cujuſdam cenſus. Diploma cum apud clariſ. Muratorium (1), tum apud Gattolam (2) exſtat.

VII. D.

Defuncto Godefrido ſucceſſit Epiſcopus, cujus nomen a littera *D* incipit. Anno MCLXXVI. interfuit conceſſioni, quam memoratus Albertus fecit domui hoſpitali Sancti Leonardi *de Stagno Piſano* (3).

VIII. N.

Pontifex Boſanenſis, cujus nomen ob caracterum lituram legere nequivit Cl. Muratorius, anno MCCXXXVI. die 17. Aprilis ſubſcripſit diplomati, quo Judices Ubaldus Galluriensis, ac Turritanus, & Petrus Arboreæ *de omnibus litibus, & controverſiis, quæ vertebantur inter eos, præſtito juramento hinc inde, & pæna duodecim millium Marcarum appoſita compromiſſerunt in Magiſtrum Alexandrum Capellanum, & Legatum Apoſtolicæ Sedis* (4).

IX. JACOBUS I.

Teſtis locuples eſt Alexander IV. Romanus Pontifex (5), circa annum MCCLIX. Abbatem *de Palude* deſignatum fuiſſe hujus Eccleſiæ Epiſcopum. Quo nomine vocatus ille fuerit ex litteris Alexandri haud apparet, ſed ſatis probabilis mihi ineſt opinio, eundem eſſe ac Jacobum Antiſtitem Boſanenſem, qui anno MCCLXVIII. octavo Idus Martii una cum Archiepiſcopo Arborenſi, & Epiſcopo Sanctæ Juſtæ Eccleſiam Bonarcadæ conſecravit (6).

X. MICHAEL I.

Patria Tridentinus, & Auguſtiniani Inſtituti profeſſus anno MCCLXXI. erat Tridentinæ Urbis Antiſtitis Suffraganeus, ſi qua Torello (7) fides. Quoniam in antiquis monumentis, ex quibus Michael innoteſcit, Epiſcopus vocatur *Roſſanenſis*, Herrera (8) Sedem ejus *in partibus* Infidelium exſtaſſe ſuſpicavit, ſuſpicioque in ipſo aucta eſt, quod legerit, præfatæ Civitatis Præſuli ſuppetias tuliſſe in propria adminiſtranda Eccleſia. Errat enim verò. Nam Sedes Boſanenſis nuncupata etiam aliquando fuit Roſſanenſis, ut antea narravi. Iis temporibus, quibus Michael vitam vivebat, & priuſquam Concilium Tridentinum celebraretur, frequenter ſolebat unius Eccleſiæ Epiſcopus alterius Præſuli in proprio gerendo officio auxilium præſtare.

Itaque nihil, ſi ſanus ſum, eſt, quod Michaelem huic Sedi abjudicemus, quod ſenſit tandem etiam Torellus, qui in *Acceſſionibus ad Tomum IV. Annalium Auguſtinianorum* (9) non *Roſſa-*

(1) *Tom. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ.* 32. *col.* 1051.
(2) *Par.* 2. *Hiſt. Abbat. Caſſ. inter Add., & Corrig. pag.* 931.
(3) Confer Alberti Epiſt. apud Wad. *in Reg. Pontif. pag.* 486. *Ed. Romæ*.
(4) Exſt. apud Murat. *Tom. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſ.* 71. *col.* 24.
(5) Conſule Alexand. Litter. incip. *Expoſita nobis* apud Wad. *ibid. pag.* 487.
(6) V. Vicum *Tom. II. Part.* 4. *cap.* 31. *fol.* 74. Idem ipſe Auctor *Par.* 6. *cap.* 82. *fol.* 110. ſcribit, hocce Templum anno 1263. conſecratum fuiſſe. Vel in primum, vel in ſecundum locum Typographi errorem irrepſiſſe certa res eſt, ſed ubi revera ſit, nulla aliunde accedente luce, me fugit.
(7) *Tom. IV. Sac. Aug. ad hunc an. n.* 4. *pag.* 760.
(8) *In Alphab. Auguſt.* ad verbum *Michael*.
(9) *Exſt. Tom. V. ejuſdem Opp. ad an.* 1274. *pag.* 678.

Roſanenſem, ſed *Boſſanenſem* Pontificem memoratum Michaelem appellavit.

XI. Bonifacius I.

A Torello Pontifex *Boſonenſis* dicitur. Fuit non ſecus, ac Michael profeſſione Auguſtinianus, ac Tridentini Antiſtitis *Coadjutor*. Anno MCCLXXXV. Tridenti exiſtens duo Altaria conſecravit in Templo S. Marci ſui Ordinis, pluresque *Indulgentias* conceſſit hæc viſitantibus. Tridento Bononiam acceſſit, cumque ibi moraretur anno MCCLXXXVI. *Indulgentias* contulit omnibus, qui ad Eccleſias PP. Carmelitarum (1) *gratia devotionis acceſſerint, vel ipſorum Capitula Generalia, ſeu Provincialia cum devotione, & charitatis ſubſidio viſitarint.*

Factus poſtea eſt Suffraganeus Eccleſiæ Baſileenſis, hocque munere fungebatur anno MCCXC., quo *Indulgentias* acquirere poſſe voluit Eccleſiam Colonienſem Auguſtinianorum viſitantes. Demum anno ſequenti extra fines Baſileenſis Diœceſis egreſſus in Civitate Colmar in Svevia die 25. Martii plura Altaria dedicavit in Templo Dominicanorum (2). Vereor tamen, ne mendum ſit apud Torellum, & Bonifacius fuerit Epiſcopus non Boſanenſis in Sardinia, ſed *Boſanenſis* in Provincia Boſſinæ. Hac de re Eruditi ferant judicium.

XII. Bonifacius II. de Sanctagustino.

Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis factus eſt hujus Eccleſiæ Paſtor circa initium ſæculi XIV. Certè anno MCCCIX. Eccleſiam conſecravit Sancti Laurentii *de Butrio* in Diœceſi Bononienſi ſitam. Alidoſius (3) aſſerit, hunc Epiſcopum fuiſſe *Bononienſem*, ſed in magnis erratis ejus ſententia eſt: primum, quoniam, teſte Garbio (4) monumenta Conventus Servorum Beatæ Mariæ Virginis Bononiæ, atque Scriptores communi ſuffragio Bonifacium Antiſtitem Boſanenſem vocant; deinde Eccleſiam Bononienſem gubernare non potuiſſe ex eo invicte demonſtratur, quod, ut Ughellius (5) tradit, ab anno MCCCI. ad MCCCXXII. hanc moderabatur Ubertus Placentinus.

Si temporis ratio habeatur, dubio procul Bonifacius noſter ille cenſendus eſt *Boſanenſis* Pontifex, quem Clemens V. anno MCCCVIII. vocavit (6) ad Concilium Viennenſe exacto triennio celebratum.

XIII. Stanangius.
XIV. Aymericus I.

Nullum auctorem, Vico excepto, videre potui, qui hos duos Epiſcopos Boſanenſi aſſignet Eccleſiæ. Primus ab eodem dicitur Paſtor an. MCCCXIX., & aſſumptus ex Ordine Franciſcano. Alter natione Aragonenſis, & deſigna-

(1) Confer P. Eliſeum Monſignanum *Tom. I. Bullar. Carmelit. pag. 39. ed. Rom. 1715.* Bonifacius, neſcio quo errore, Epiſcopus dicitur *Baſanienſis*. Civitas *Baſiana* vulgò *Poſega* eſt in Hungaria, olimque, Ferrario teſte *Lex. Geograph Tom. I. pag. 105. ed. 1677.* Sedes Epiſcopalis erat ſub Archiepiſcopo Colocenſi. Verumtamen hujus Antiſtes eſſe nequibat Bonifacius noſter, ſiquidem eum de Baſianenſi Eccleſia nec in *Notitiis Eccleſiaſt.* ſæculo 13. confectis, nec in Conciliorum Actis ulla habeatur mentio, arbitror jam tum abolitam fuiſſe.

(2) Conſule Torell. *Tom. V. Sæc. Auguſt. ad an. 1285. num. 17. & 19.*

(3) Apud Garbium *Tom. I. An. Ord. Servor. cap. 3. pag. 195.*

(4) *Ibidem.*

(5) *Tom. II. num. 70. col. 23.* V. etiam Sigonium *de Ep. Bon. l. 2. T. III. Op. pag. 441. ed. Argelati.*

(6) *Tom. VII. Concil. col. 1331.*

tus prioris ſucceſſor anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo quinto.

XV. JOANNES II. DE CLARAVO.

Catalaunus Hiſpanus „ Carmelitarum Ordinem aſſumpſit in Provincia „ Provinciæ, antequam in hanc, & „ Narbonenſem divideretur; Monſpeliique creatus Doctor Theologus in „ hujus Urbis ſtudio generali primus „ (primarium intelligo) Lector fuit. „ Anno autem MCCCXXI. Comitiis „ Generalibus ibidem habitis præfuit „ electus in iis primus Narbonenſis „ Provinciæ Præfectus. Quo quidem „ adminiſtrato per triennium munere „ non diù poſt, ſcilicet anno MCCC„ XXVII. a Joanne Papa XXII. aſſum„ ptus fuiſſe in Eccleſiæ Boſanenſis, „ quæ in Sardinia eſt, Pontificium di„ citur, atque in hac Sede diem anno MCCCXL. ſuum obiiſſe (1) „.

Joannis meminere item Lezana (2), & Poſſevinus (3), ſed per errorem eum dicunt Epiſcopum Boſnenſem, non quidem in Dalmatia ſub Archiepiſcopo Coloczienſi in Hungaria, veluti injuria eis affingit Coſmas de Villiers (4), ſed in Sardinia. Non modo dignitate, verum etiam doctrina reſplenduit. Opera, quæ immortalitati conſignavit, recenſent Nicolaus Antonius, P. de Villiers laudatus, & alii, quos, ne ſim longus, mitto.

XVI. AYMERICUS II.

Quiſnam mortuo Joanne renuntiatus fuerit Boſanenſis Præſul, Vicus etiam ignoravit, qui ab Aymerico ex eodem paullo ante relato nullum alium Antiſtitem agnoſcit ad annum uſque MCCCLXXXVII. Dubitari tamen non poteſt, Aymericum noſtrum ante præfatum tempus hanc Eccleſiam gubernaſſe. Nam electum fuiſſe Boſanenſem Epiſcopum anno MCCCLI. non tantum Ughellius (5), ſed, quod gravius eſt, litteræ Clementis VI. (6) apodicticum nobis ſuppeditant argumentum. Is, quantum conjectura aſſequimur, Gallus natione erat, cum, priuſquam Eccleſiæ Foroliovienſis regimen ſuſciperet, ex qua poſtea ad hanc tranſiit, fuerit Rector Paræciæ Sancti Joannis *de Porta* Æduenſis in Gallia Diœceſis.

An gregem ſibi concreditum unquam præſentia ſua ſit conſolatus, non ſatis liquet. Ego tamen ſententiam aſſerentem, nullo tempore Boſam petiiſſe ad veritatem propenſiorem eſſe exiſtimo; nam perſpectum habeo, anno MCCCLII. Aymericum fuiſſe *Vicerectorem* Provinciæ Romandiolæ, aliaque munia geſſiſſe ſibi commiſſa a Guillelmo Abbate, & Azone Regienſi Sedis Apoſtolicæ Legatis, quemadmodum ex catalogo diplomatum in S. R. E. Tabulario ſervatorum, an. MCCCLXIII. Urbani V. juſſu confecto (7), fit manifeſtum.

XVII. RAYNERIUS.

Epiſcopum fuiſſe Raynerium anno MCCCLXXIII. ſeptimo Idus Julii colligitur ex Gregorii XI. Epiſtola (8). In hac dicitur quidem Antiſtes *Roſianenſis*,

(1) Nicolaus Antonius *T. II. Biblioth. Veter. Hiſpan. l. 9. c. 5. pag. 107. ed. Cardinal de Aguirre*.
(2) *Tom. IV. Annal. Carmelit. ad an. 1328. num. 3.*
(3) *Tom. I. Appar. Sacri pag. 859. edit. 1608.*
(4) *Tom. I. Biblioth. Carmelit. pag. 825.*
(5) *Tom. II. in Epiſcop. Forolivienſ. num. 25. col. 579.*
(6) Exſt. apud Wad. *T. VIII.* incip. *In ſuprema dignitatis*, in Reg. Pontif. pag. 407. E. R.
(7) Apud Muratorium *Tom. VI. Antiq. Italiæ Medii Ævi Diſſert. 71. col. 171., & ſeq.*
(8) Apud eundem Wadin. *ibidem pag. 550.* incip. *Diſcretionem veſtram*.

ſis, ſed cum Pontifex ibidem loquatur de *Areſtanenſi* Sanctæ Claræ Monaſterio Inſulæ Sardiniæ (1), ſcribatque, præfatum Raynerium alloquuturum eſſe Abbatiſſam & Moniales laudati Monaſterii, eaſque latius informaturum, quis, amabo, eſt, qui non videat, errorem irrepſiſſe, & pro *Roſſanenſis* legendum eſſe *Boſanenſis*?

Vicus cujuſdam meminit Præſulis ad annum MCCCLXXXVII., quem lingua, ut opinor, vernacula vocat *Ramon*, eumque dicit natione Aragonenſem. Fortaſſis idem eſt ac Raynerius noſter, *Ramon*, ſcilicet Raymundus vocatus, aut ſcribæ, aut ipſius Vici culpa.

XVIII. ANTONIUS I.

Regebat hanc Eccleſiam anno MCCCXCI. De Antonio Vicus duntaxat, quod ſciam, mentionem facit.

XIX. PRIMUS.

Bonifacius IX. an. MCCCXCVIII. Idibus Octob. Epiſtolam dedit (2) Boſanenſi, Plovacenſi, ac Sorrenſi Inſulæ Sardiniæ Antiſtitibus, qua eis præcipiebat, ut ex conlecto e Sacerdotum vectigalibus auro, ſuppetias ferrent Artali *de Alagona* Comiti Molineti, quò Trinacriæ, & Sardiniæ Regna Martino Aragonenſium Regi, ejuſque Filio utriſque Schiſmaticis auferre poſſet. Quodnam iſtius Sedis Epiſcopi fuerit, nomen ex Pontificis Epiſtola haud conſtat. Si, quod ait Vicus, verum ponitur, nempe *Primum* Boſanenſem fuiſſe Paſtorem ante annum MCCCXCIX., illius nomen ſtatim innoteſcit.

XX. ANTONIUS II. DE LIOROS.

Dicitur a Vico natione Sardus, Archipresbyter Boſanenſis, ac demum Epiſcopus anno MCCCCII.

XXI NICOLAUS I.

Inter eos recenſetur Patres, qui Concilio habito Piſis anno MCCCCIX. interfuerunt (3).

XXII. ANTONIUS III. SANGUALUS.

Alias *de Molina* Civis Crotonenſis ſucceſſit Nicolao. Anno MCCCCXIII. Calendis Februarii translatus eſt ad Eccleſiam Strongylenſem, quæ eſt in citeriori Calabria ſita; poſtea an. MCCCCXXX. tranſiit ad Archiepiſcopatum Sanctæ Severinæ, ibique obiit anno MCCCCLIV. (4).

XXIII. ANTONIUS IV. STAMINGUS.

Per translationem Antonii Sangua-li ad Sedem Strongylenſem electus eſt poſt novem dies Epiſcopus Boſanenſis, aſſumptus ex Franciſcanorum Familia. Conſtat id vero ex Wadingo (5), qui tamen, cum ſcribat renuntiatum fuiſſe per obitum Antonii, leviter errat. Sed non proinde dicam ei impingendam eſſe cenſemus, nam in his parvis vel homines doctiſs. opus longum ſcribentes errare

Scimus, & hanc veniam petimuſque,
damuſque viciſſim (6)

Dimiſſa hac Eccleſia anno MCCCCXVIII. octavo Calendas Aprilis, judice Ughellio (7) ad Sedem Marturanenſem in

(1) Confer *Conſtitut.* 48. *Urbani V.* apud Wad. *ibidem pag.* 518.
(2) Exſt. apud Raynald. *Tom. VIII. ad eum an. num.* 39. *pag.* 41. *edit. Manſianæ.*
(3) Lege ejus Acta apud Hard. *Tom. VIII. col.* 101.
(4) Confer Ughell. *Tom. IX. in Ep. Strung. num.* 14., *&* in *Arch. S. Sever. num.* 26.
(5) *Tom. IX. Annal. Min. ad ann.* 1413. *num.* 6. *pag.* 356.
(6) Horatius *de Arte Poet. verſ.* 11.
(7) *Tom. IX. in Epiſcop. Marturan. num.* 20. *col.* 280.

in Calabria (1) tranſiit, inque ea anno MCCCCXL. *ſuperis conceſſit ab oris.*

XXIV. LUDOVICUS GOMEZ.

Natione Hiſpanus appellatur a Vico. Fuit is ex Ordine Prædicatorum, & deſignatus eſt Epiſcopus anno MCCCCXVIII. die 14. Maii. Commiſſum ſibi gregem ſanctè, prudenterque gubernavit annos quinque, deinde vita functum aſſerit Fontana (2) libro *Proviſionum Prælatorum* innixus. De Ludovico agit quoque cl. Bremondius (3).

XXV. JOANNES III. DE CASA-NOVA.

Ex clariſſimis Parentibus Barcinone intravit in vitam. Ætate jam maturus die 8. Julii MCCCCIII. in Patria S. Dominici habitum induens, poſt non multos annos inſignis evaſit Theologus. Primò electus fuit ad Confeſſiones Sacramentales Aragoniæ Regis, Alphonſi nempe Magni, audiendas; deinde ejus fama longius, latiuſque diffuſa Martinus V. Pontifex Maximus anno MCCCCXVIII. illum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum inſtituit, pluresque alios favores contulit, de quibus loquitur cl. Catalanus (4).

Præclaræ animi dotes, quas in eo gerendo munere pandit Joannes ad tantum induxerunt amorem Martinum, ut is huic Eccleſiæ eundem præfecerit, teſte (5) S. Antonino, anno MCCCCXXIV., quam cum vix integrum annum rexiſſet, dimiſit, & acceſſit ad Helenenſem ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi, non quidem anno MCCCCXXIX., ut opinatur cl. Echardus (6), ſed anno MCCCCXXV. die 28. Novembris, ut doctiſſimis Maurinis (7) arridet. Quinquennio poſt S. R. E. creatus eſt Cardinalis (8) „ at cum morte præventus, *ait idem ipſe Echardus*, Martinus V. 20. Februarii MCCCCXXXI. eam creationem non publicaſſet, Eugenius IV. Martii ſequentis quarta electus, in Conſiſtorio Cardinalium publicè declaravit, addita inſuper Epiſcopatui Helenenſi perpetua Eccleſiæ Gerundenſis adminiſtratione. „

Echar-

(1) Tametſi, Nicolaum, aliosque duos Antonios Boſanen. rexiſſe Eccl. ex monumentis adeo certis appareat, ut iis adimere auctoritatem velle, hominum eſset non veritatis amore, ſed contentionis ſcribentium, tamen Vicus nullum eorum unum numerat. Hic enim poſt Antonium *de Ligros*, ait electum fuiſſe anno 1406. *Benedictum* Abbatem S. Euphemiæ de Villa nova, & paullo poſt *Bartholomæum*, tandem anno 1418. *Ludovicum*. Cum minus veriſimile videatur, paucorum annorum intervallo tot Præſules hanc gubernaſſe Eccleſiam, Benedictum, nec non Bartholomæum recenſere omiſi. Quoniam hic auctor parum accuratus cum in Chronologia, tum in Hiſtoria non ſemel deprehenſus a me fuit, leviter ambigo, an hi unquam gregem Boſ. rexerint, eos verò penitus rejicere non audeo, maximè ubi recogito de ſchiſmate omnium, quæ hactenus Eccleſiam turbarunt, teterrimo, ac etiam longiſsimo, quippe quod ab anno 1378. ad an. 1429. perduravit; immo tunc haud impoſsibile duco, quod ipſi ſi non minus Solium conſcenderint, at declarati fuerint. Nam temporibus, quibus plures erant Pontifices, plures quoque Epiſcop. uni Eccleſ. datos ſimul fuiſſe, neminem fugit.

(2) *Theat. Domin. pag.* 145.

(3) *Tom. II. Bullar. O. P. pag.* 701.

(4) *De Magiſt. Sac. Pal. Apoſt. lib.* 2. *pag.* 84.

(5) *Hiſt. Par.* 3. *tit.* 23. *cap.* 11. §. 1. *fol.* 178. *edit.* 1543.

(6) *Tom. I. Script. O. P. pag.* 791.

(7) *Tom. VI. Galliæ Chriſt. in Epiſcop. Helen. col.* 1061.

(8) Echardus *ibidem*.

Digitized by Google

Echardum eiſdem ferme verbis exſcribit Vir certè eruditus paullo ante memoratus Hieronymus Catalanus. At ego his non planè aſſentior; nam compertum habeo, non poſt initium menſis Novembris, uti Echardus, & Catalanus citati, nec non Oldoinus, Bremondius, & alii exiſtimant, ſed menſe Octobri creatum fuiſſe Cardinalem: a Martino V. publicatum: & priuſquam tantam obtineret dignitatem non Epiſcopi, ſed Adminiſtratoris perpetui Eccleſiæ Helenenſis munere geſſiſſe: en ipſius Epiſtolæ verba anno MCCCCXXX. die 28. menſis Octobris ſcriptæ, quæ ſingula hæc extra omnem dubitationis aleam ponunt: *Joannes miseratione Divina S. R. E. Presbyter Cardinalis Eccleſiæ Elenenſis perpetuus Adminiſtrator, & Cappellanus major Eccleſiæ Collegiatæ S. Joannis Baptiſtæ Matricis omnium Eccleſiarum Villæ Perpiniani* (1). Quamobrem opinor, quod Joannes ab Eugenio IV. accepit, non fuiſſe honoris acquiſiti promulgationem, ſed rubrum Pileum, & S. Sixti titulum ei quarto nonas Julii collata (2).

Quod anno MCCCCXXXVI. diem obierit ſupremum, omnes conveniunt Hiſtorici, de loco autem digladiantur inter ſe, nonnullis Florentiæ, aliis Barcinone mortuum aſſerentibus. Hac de re legendi ſunt Nicolaus Antonius (3), Echardus (4), in primis verò Auguſtinus Oldoinus (5). Quædam ſcripſit opera, quorum & Nicolaus Antonius, & Echardus laudati meminere.

XXVI. Julianus.

Niſi Boſanenſis Sedes, poſt translationem Joannis ad Eccleſiam Elenenſem, decem ſaltem annos ſine proprio extiterit Paſtore, fateri cogor, me ignorare proximum illius ſucceſſorem. Etenim poſt memoratam translationem nullus mihi occurrit Epiſcopus præter Julianum, qui, uti ex Conſtitutione Eugenii IV. (6) apparet, ex Antiſtite Laodiceno hujus Eccleſiæ renuntiatus eſt Pontifex anno MCCCCXXXV. Cum Epiſcopalem dignitatem decennio obtinuiſset e vita diſceſſit (7).

XXVII. Thomas Rubius.

Thomam inter Epiſcopos, qui ex inclyta Prædicatorum Familia aſſumpti ſunt, minimè referunt Hiſtorici Dominicani Diago, Plodius, Fontana, & Cavalerius. Verum injuria; nam Eugenius IV. (8) teſtis omni exceptione major aperte tradit, ſe hunc Pontificem Boſanenſem conſecraſſe tertio nonas Decembris anno MCCCCXLV. De anno, quo inauguratus eſt, idém ſentit Vicus, qui inſuper eum appellat inſignem litteratum, & Sacerdotem a ſacris Confeſſionibus Alphonſi Regis Aragonenſium.

XXVIII. Joannes IV.

Ordinis Carmelitarum electus eſt in Epiſcopum Boſanenſem 2. nonas Februarii anno MCCCCL. Ita quidem legitur in libro *proviſionum Prælatorum* ſub Nicolao V., teſte P. Daniele a Virgine Maria (9). Arbitror, Joannem

(1) Exſt. apud Petrum de Marca *in Append. Marcæ Hiſpan. col.* 1227.
(2) Confer Maurinos Patres *loco indic.*
(3) *Tom. II. Biblioth. Vet. Hiſpan. pag.* 155.
(4) *Ibidem.*
(5) *Tom. II. Vitar. Pontif. col.* 864.
(6) Exſt. apud Wad. *Tom. X. pag.* 545. *in Reg. Pontif.* incip. *Paſtoralis Officii debitum*.
(7) Vide Conſtitut. incip. *Dudum ſiquidem* apud Bremondium *Tom. III. Bullarii O. P. pag.* 233.
(8) Confer *Conſtit. cit.* apud Bremond.
(9) *Tom. II. Speculi Carmelit. pag.* 939.

nem hunc illum ipſum eſse, cujus meminit Vicus, aitque obiiſse, antequam a ſua creatione ſolidus interceſſiſset annus.

XXIX. FRANCISCUS I. MELONI.

In locum defuncti Joannis lectus eſt. Cum diù, multumque Epiſcopalem obtinuiſset dignitatem, obiit circa annum MCCCCLXX.

XXX. BERNARDUS I.

Renuntiatus dicitur Epiſcopus anno nuper indicato.

XXXI. JOANNES V. DE SALMIS AUREIS.

Ordin. Minorum ex Antiſtite Othanenſi electus eſt hujus Eccleſiæ Paſtor anno MCCCCLXXI., aliis MCCCCLXXVI. Plura dè Joanne alibi narrabuntur (1).

XXXII. GALCERANUS ALBA.

Joannem excepit Galceranus anno MCCCCLXXXIII. Antea Cathedralis Boſanenſis Canonicus erat.

XXXIII. PETRUS II. DE SENA.

Patria Calaritanus regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit anno MCCCCXCVI. Poſt tredecim annos pridie Cal. Aprilis Valliſoleti in Hiſpania rebus Fratres Minores *Conventuales* inter, & *Obſervantes* compoſitis, Julius Secundus P. M. quoſdam ſelegit Epiſcopos, qui curarent, ut executioni mandarentur, quæ Raynaldus Gratiani noſtri Tiberiacenſis Conventus alumni S. T. M., & univerſæ Minoritarum familiæ Miniſter Generalis pro nobis, & Martialis Boulier *Obſervantium* Vicarius Generalis pro eiſdem conſtituerant. In illis eſt Antiſtes Boſanenſis (2), cujus nomen, quamquam expreſsum non ſit, tamen habito ad tempus, quo hæc facta ſunt, reſpectu, vix, ac ne vix quidem ambigo, fuiſse Petrum cognomento *de Sena*.

XXXIV. JOANNES VI. DE SEIR.

Sacris Inſulis anno MDXXIII. decoratus eſt.

XXXV. BERNARDUS II. GENTILIS.

Ex *Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*, ſi Fontanæ (3) fides, conſtat, a Clemente VII. P. M. anno MDXXXIII. die 10. Februarii elatum fuiſse ad Solium Boſanenſe *Bernardum Gentilem* profeſſione Dominicanum. Vicus memoriæ prodidit, munus exercuiſse *Capellani*, & Hiſtorici Caroli V. Imperatoris.

XXXVI. NICOLAUS II.

Per mortem Bernardi, quæ accidit circa annum MDXXXVII. declaratus eſt Pontifex Nicolaus natione Aragonenſis. Fuerat in Urbe *Rotæ Auditor*, & *utriuſque Signaturæ Referendarius*.

XXXVII. BALTHASSAR DE EREDIA.

De Balthaſsare multa diſserui in Archiepiſcopis Calaritanis (4), ſed quoniam, quæ ad aſsumptionem ad Boſanenſem Epiſcopatum attinent, extremis tantummodo digitis ibidem attigi, oportet, ut iterum de ipſo ſermonem inſtituam. Ergo Balthaſsar profeſſione Dominicanus, Cirinenſis Eccleſiæ in Inſula Cypri ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi creatus eſt Præſul anno MDXXXV.

(1) *In Epiſcop. Othan. num. XI.*

(2) Hæc omnia planè liquent ex Conſtit. Julii II. incip. *Viſis, & diligenter conſideratis*, cujus exemplar in hoc totius Ordinis noſtri Tabulario ad SS. Apoſtolos inter alias præfati Pontificis aſſervatur.

(3) *Theat. Domin. pag.* 143.

(4) *Num.* 46.

DXXXV. ſexto Calendas Martii (1). Anno MDXLI. die 6. Julii translatus fuit ad hanc Sedem (2), atque poſt ſeptennium tranſiit ad Calaritanam.

XXXVIII. VINCENTIUS I. LEO.

Seu *de Leone* Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, patria Catanenſis, Sacræ Theologiæ Doctor, in Academia Catanenſi publicus *Profeſſor*, & Provinciæ Romanæ *Prior* inſtitutus eſt Boſanenſis Pontifex anno MDXLVIII. die 16. Novembris. Obiit verò MDLVI. Bis interfuiſſe Concilio Tridentino, anno nimirum MDXLVI., & anno MDLI., litteris conſignarunt Daniel a Virgine Maria (3), & Coſmas de Villiers, aliique apud ipſum (4).

XXXIX. ANTONIUS V. PINTOR.

Calari hauſit lucem. Epiſcopatum acquiſivit poſt mortem Vincentii, nempe circa annum MDLVII.. Demiſsè de ſeipſo ſentiebat, & adeò deditus erat vitæ egenti ducendæ, ut ſingulos proventus propriæ reliquerit Eccleſiæ, & elegerit dies tranſigere inter ſuos Clericos non ſecus, atque unus ex illis.

Cum Presbyter Nicolaus Bois duos obtineret Canonicatus alterum Romæ, alterum Boſæ, hoc, in quo reſidere nequibat, privatus ab Antonio eſt. Confugit idcirco ad Romanam Sedem opem poſtulans a Pio IV., qui ut ſequens Epiſtola ad præfatum Antonium anno MDLXV. ſexto Idus Aprilis ſcriberetur, in mandatis dedit (5) ,, Re-
,, verendiſſime Domine. Presbyter Ni-
,, colaus Bois familiaris Illuſtriſſimi Do-
,, mini Cardinalis Piſani (6) a Sanctiſ-
,, ſimo Domino noſtro opem petiit,
,, quod cum in Canonicatu S. Marci,
,, quem Romæ obtinet, reſideret, &
,, ab Amplitudine tua citatus eſſet,
,, ut ad reſidentiam in iſto Canonica-
,, tu, quem habet in Eccleſia Boſsa-
,, nenſi, veniret, cum in hoc Urbano
,, Canonicatu reſideret, te nulla præ-
,, terea re eidem Canonico Presbyte-
,, ro ſignificata privaſſe ipſum Canoni-
,, catu Boſſinenſi (*leg. Boſanenſi*), eum-
,, que alteri dediſſe, poſtea illum ro-
,, gaſſe per litteras, ne rem moleſte
,, ferret; quare cum ille in digniori
,, Canonicatu reſidere videatur, & ex
,, declaratione a SS. D. N. facta ſatis ſit,
,, ſi alterius Canonicatus, cui non in-
,, ſervit, diſtributiones quotidianas a-
,, mittat, cauſſa ſubeſſe non videtur,
,, quamobrem Nicolao ſpoliato ejus
,, Canonicatu, eum in alterum confer-
,, re debueris, quod ſi & ad privatio-
,, nem deſcendendum fuiſſet, non vi-
,, deris progreſſus eſſe eo ordine, qui
,, hujuſmodi rei negotio a Tridentino
,, Concilio præſcriptus eſt. Itaque ſi
,, res ita ſe habet, mandat tibi Sua
,, Sanctitas, ut quod æquitas, & pie-
,, tas poſtulat, Presbyterum hunc Ni-
,, colaum ad Boſsanenſis Canonicatus
,, poſſeſſionem, unde dejectus eſt, velis
,, reſtituere, & quotidianæ ejus diſtri-
,, butionis amiſſione per id tempus,
,, quo ibi non reſederit, contentus eſſe,

 ,, cui

(1) V. Conſtitut. Pauli III. apud Bremond. *Tom IV. Bull. O. P. pag. 676.*

(2) Confer Conſtit. ejuſdem, quæ incipit: *Dudum ſiquidem*, apud ipſum *pag. 680.*

(3) *Tom. II. Speculi Carmelit. pag. 957. num. 3371.*

(4) *Tom. II. Biblioth. Carmelit. pag. 865.*

(5) Hujuſmodi Epiſtola exſcripta eſt ex codice chartaceo Sbaraleano, quem aliàs citavi.

(6) Duo per ea tempora vivebant Cardinales ex Nobiliſſima Gente Piſana Patricia Veneta, Franciſcus nimirum Patruus, & Aloyſius nepos, de quibus anno 1570. vita functis plura tradit Cl. Oldoinus *Tom. III Acceſsion. ad Hiſtor. PP.*, & *CC. Ciaconii col. 412. & 949. edit. 1677.* Cujus familiaris fuerit Nicolaus, haudquaquam liquet.

„ cui incolumitatem, & ſalutem pre-
„ cor. „

XL. FRANCISCUS II. DE MELLIS.

Ex Fratrum Minorum Ordine ad Epiſcopatum Boſanenſem aſſumptus eſt anno MDLXXII. decimo tertio Calendas menſis Decembris. Illuſtriſſimus Rodulphius noſter (1) hunc Antiſtitem *Roſanenſem*, Petrus *de Alva* Epiſcopum *Baſſanenſem* appellant. Verum ſolemne fuiſſe multis hujus Eccleſiæ Epiſcopum *Roſſanenſem* vocare, alibi animadverſum a me fuit. Civitas Baſſanenſis ſpecialem Pontificem nunquam habuit. Itaque nulla ratio eſt, quamobrem Franciſcus Boſanenſi Sedi abjudicetur, maximè cum iſti aſſignet Vicus, qui licet in multis peccet, tamen in iis, quæ ferme ſua ætate acciderunt, ei ſine gravi cauſſa fides neganda eſſe non videtur.

XLI. JOANNES VII. SERRA.

Succeſſit Franciſco anno circiter MDLXXV. Patria fuit Valentinus, profeſſione Auguſtinianus. Quo tempore Epiſcopalem dignitatem obtinuit, erat *Prior* ſui Ordinis in tota Sardiniæ Provincia, Theologus, & Sacerdos a Sacris Confeſsionibus Proregis Inſulæ (3). Non eſt hic ſilentio prætereundum, Joannem noſtrum (quod in maximum ejus honorem cedit) ſumma S. Thomæ *a Villanova* familiaritate uſum eſſe, prout Michaël Salonius in ſcriptis reliquit (4).

XLII. NICOLAUS III. CANELLES.

Ex Canonico Calaritano creatus eſt Boſanenſis Pontifex anno MDLXXVII.

XLIII. JOSEPHUS ANGLES.

Ordinis Minorum *de Obſervantia*, natione Hiſpanus, patria Valentinus, Provinciæ Sancti Jacobi alumnus, Sacræ Theologiæ Lector emeritus anno MDLXXXVI. Calendis Octobris inauguratus eſt Boſanenſis Epiſcopus uti Rodulphius (5), & Petrus *de Alva* (6) litteris conſignarunt. Vir fuit maxime Theologia ſatis eruditus, & quædam opera in lucem emiſit, quæ refert Wadingus (7). Hunc memorat etiam Vicus, ſed vocat *Joannem Annales*, aitque Romæ paullo poſt ſuam electionem obiiſſe.

XLIV. N.

Anno MDLXXXVIII. electus eſt Antiſtes quidam Vir Religioſus Ordinis SS. Trinitatis, uti teſtatur Vicus, qui tamen ejus nomen ſe neſciviſſe indicat. Boſam petens ad poſſeſsionem Eccleſiæ ineundam una cum ſuis domeſticis naufragium fecit.

XLV. JOANNES FRANCISCUS FARA.

Saſſaritanus, Juris utriuſque Doctor, & patriæ Eccleſiæ Cathedralis Archipresbyter eligitur anno MDXC. in locum defuncti Epiſcopi Anonymi. Omnium Sardorum primus brevem Hiſtoriam ſcripſit ſuæ gentis, in qua tamen mare Cœlo, vera falſis miſcet.

Eam

(1) *Hiſtor. Seraph. Relig. lib. 3. fol. 235.*
(2) *In Indic. Bull. Seraph. ad eum annum num. 10. Par. 2. pag. 239.*
(3) Torellus *Tom. VIII. Sac. Auguſt. ad eum an. num. 13.* atque Herrera *Tom. I. Alphab. Auguſt. pag. 443.*
(4) *In Vita S. Thomæ cap. 5. pag. 844.* apud Bollandianos *Tom. V. Septembris ad diem* 18.
(5) *Opp. & loco indic. modo.*
(6) *In Indiculo Bull. Seraph. Par. 2. pag. 258.* Eum tamen *Angelum* pro *Angles* appellat.
(7) *Catal. Script. Ord. Min. pag. 230.*

Digitized by Google

Eam ad ſæculum uſque nonum perduxit; ſtatuerat ipſam narratione rerum ſuæ ætatis terminare, ſed ob mortem, quæ poſt annum circiter a ſua electione accidit, id perficere nequivit, quod animo complectebatur. De Fara plura loquitur ejus indigena Franciſcus Vicus a nobis non ſemel citatus.

XLVI. Antonius VI. Atzori.

Decanatum Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ obtinebat, cum anno MDXCI. ſucceſſor datus eſt Joanni Franciſco Faræ. Spiritum duxit ad annum uſque MDCIV.

XLVII. Gavinus I. Manca.

Saſſari ex parentibus illuſtribus ortus eſt. Primò in Patria Canonicus, & Vicarius Generalis fuit, deinde anno MDCV. acquiſivit Epiſcopatum Boſanenſem. Interfuit Concilio Provinciali ab Archiepiſcopo Turritano MDCVI. celebrato. Gregem ſibi concreditum gubernavit per ſexennium, poſtea tranſiit ad Eccleſiam Algarienſem, ac tandem ad Turritanam, ut alibi diximus.

XLVIII. Joannes Baptista I. de Aquena.

Poſt Gavinum regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit Joannes Baptiſta de Aquena. Saſſaritanus. Hoc vero paucis diebus obtinuit, per cujus mortem, auctor eſt Vicus, Pontificem Boſanenſem nominatum fuiſſe a Rege Catholico Joannem *de Albaro Bernardo* Abbatem *de Bervela* in Regno Aragoniæ; ſed priuſquam Romanus Pontifex Regiam electionem ratam haberet, adeptum eſſe Eccleſiam Solſonenſem, ſeu Celſonenſem in Catalaunia ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi.

XLIX. Vincentius II. Baccallar.

Patria fuit Calaritanus. Eum circa annum MDCXIII. renuntiatum Antiſtitem exiſtimo. Raro exemplo Eccleſiam gubernavit. Unus fuit ex Theologis ab Archiepiſcopo Calaritano Franciſco de Eſquivel adhibitis, ut judicium ferrent de Reliquiis B. Luciferi Calari repertis (1).

L. Joannes VIII. Atzori.

Cum dignitates *Archipresbyteratus* Ampurienſis, & *Decanatus* Calaritani geſſiſſet, maximam Epiſcopatus ei contulit an. MDCXXIV. Urbanus VIII. Romanus Pontifex. Paucos poſt dies a ſua electione vitam cum morte commutavit.

LI. Sebastianus Carta.

Sardus in oppidulo *Sorgano*, ſeu *Sorgunu* ad Arborenſem Diœceſim ſpectante natus. In relatione (2) inventionis Corporis B. Luciferi Pontificis Calaritani, anno MDCXXIII. die 29. Junii dicitur Epiſcopus Eccleſiæ *Madaurenſis* in Numidia ſitæ (3): Conſiliarius Regius, Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ Calaritanæ, & in ſpiritualibus Vicarius Generalis. Triennio poſt renuntiatus fuit hujus Sedis Antiſtes.

Is laudatur a P. Vitali ſcriptore contemporaneo, qui item admonet, fuiſſe ejus *opera*, *diligentia*, *cura ſanctuarium Calaritanum elaboratum*, *Sanctorum Corpora*, *quo jacebant ab æterni oblivii prorſus injuriis vindicata*; *ad auras evocata*, *dignisque fidelium honoribus obſequuta* (4).

(1) Apud Papebroch. *T. V. Maii ad diem* 20. *cap.* 8. (2) Apud Papeb. *loco nuper citat.*
(3) Vide Dupinum *in Not. ad geſta Collat. Carthag.* 1. *pag.* 263. *edit.* 1702.
(4) *In Appar. ad Ann. Sard. col.* 34.

LII. Michael II. Pirella.

Natione item Sardus, & in pago Diœceſis Algarienſis, quem *Nuoro* appellant, ortus, creatus eſt Epiſcopus anno MDCXXXI. Anno MDCXXXIII. ad Sedem Alenſem tranſiit.

LIII. Joannes Maria Olmo.

Nationem cum Michaele, cui ſucceſſit, communem habuit, patriam diverſam, quippe is Saſſari in lucem prodiit. Magna pietate, & virtute claruit, ſed in Epiſcopatu non diù vixit.

LIV. Vincentius Augustinus de Claveria.

Aragonenſis, priuſquam regimen Eccleſiæ Boſanenſis anno MDCXXXIX. ſuſciperet, fuerat Vicarius Generalis, & Proviſor Archiepiſcopi Panormitani, itemque Epiſcopi Malacenſis Gabrielis Treſſii, ſeu *de Trejo* Cardinalis; fuerat quoque *Coadjutor* Epiſcopi Valentini, ac titulum obtinebat Pontificis Eccleſiæ *Petrenſis* in Arabia poſitæ (1).

LV. Gaspar Litago.

Anno MDCXLIV. die 17. Septembris Vincentio Auguſtino de Claveria ad Sedem Algarienſem translato, electus eſt in hujus Eccleſiæ Præſulem anno MDCXLV. die 24. Aprilis Gaſpar cognomento Litago. Poſt ſeptennium ad Solium Ampurienſe, ac demum ad Turritanum, ut ſuis locis dictum jam eſt, acceſſit.

LVI. Franciscus III. Camps.

Cum duos ferme annos vacaſſet Eccleſia, Franciſcus, qui Canonicus erat, ad dignitatem Epiſcopalem aſſumptus eſt anno MDCLIV. pridie Idus Januarii.

LVII. Jacobus II. Capay Castaner.

Franciſcum excepit Jacobus anno MDCLVIII. quarto Calendas Februarii, atque Dignitatem *Decanatus* Eccleſiæ Uſellenſis, quam ad uſque illud tempus obtinuerat, dimiſit.

LVIII. Gavinus II. Cattayna.

Ordinis Carmelitarum ab anno MDCLXIII. ad annum MDCLXXI. hanc moderatus eſt Eccleſiam. De Gavino plura diſſeruimus in Archiepiſcopis Turritanis (2).

LIX. Franciscus IV. Lopez da Urraca.

Deo in Ordine Sancti Benedicti ſe a pluribus annis devoverat Franciſcus, cum anno MDCLXXII. die 15. Januarii ad Boſanenſem regendam Diœceſim acceſſit. Hanc ſolidum luſtrum, & ultra moderatus eſt, poſtea ad Eccleſiam tranſiit Algarenſem, ut in illius Pontificum Hiſtoria narravi.

LX. Seraphinus Esquirro.

Anno MDCLXXVII. ſexto Idus Novembris in locum Franciſci Lopez ſubrogatus eſt. Antequam Epiſcopatum acquireret, inter Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ primas obtinebat.

LXI. Georgius Socia.

Saſſaritanus, Ordinem Servorum B. M. V. ingreſſus, ac inſignis factus Theologus, plures annos munus *Regentis* Studiorum Romæ apud Sanctum Marcellum obivit. An. MDCLXXVIII. in Comitiis Generalibus Romæ habitis ele-

(1) Confer Lequienium *Tom. III. O. Chriſt. col.* 1306.

(2) *Num.* 57.

electus eſt in Priorem Generalem, *cujus electio in urbe paſſim* (verba ſunt Patris Garbii (1)) *ab Eruditis maximè, & Aulæ Romanæ proceribus haud mediocri plauſu excepta fuit, potiſſimum verò a Summo Pontifice, qui præ magna doctrinæ opinione, quam de Georgio conceperat, ſummam ordini noſtro ex ejus regimine proſperitatem augurabatur, ex quo proinde Patribus omnibus vocalibus rara commendatio acceſſit.*

Gratiſſimus quoque fuit Religioſiſſimo Viro Principi Coſmo III. Magno Hetruriæ Duci, a quo proinde anno MDCLXXX. delatum ei erat honorificum munus publicè Theologiam docendi in celeberrima Piſana Univerſitate, quod tamen aggredi nequivit, eo quia paullo poſt Carolus II. Hiſpaniarum Rex ipſum Boſanenſem Epiſcopum deſignavit. Romam profectus, ut ab Innocentio XI. Sacro Chriſmate liniretur, indeque reverſus Florentiam adventavit, ubi non ſemel Pontificalia munia exercuit. An. MDCLXXXIX. promotus fuit ad Eccleſiam Ampurienſem, qua ſe ſponte abdicavit. Anno demum MDCCI. electus eſt in Archiepiſcopum Turritanum, ſed antequam poſſeſſionem iniret, obiit eodem anno 19. die Novembris (2).

Atque hic tantus Vir, tantiſque curis diſtrictus nonnihil temporis tribuit litteris. Namque aliquot ejus libri ſunt latino ſermone confecti, ac editi, qui hoc ordine a Garbio numerantur „ Quæſtiones diſputatæ in Prologum Sententiarum juxta Doctrinam „ Henrici Gandavenſis. Pars prima, „ & ſecunda de S. Theologia, ejuſque locis, & argumentis, ubi de „ auctoritate S. R. E., Summi Pontificis, & Conciliorum. Pars tertia „ de S. Scriptura, & ejus ſenſibus, „ deque cenſuris propoſitionum ei oppoſitarum. Quæſtiones diſputatæ in „ primum, & ſecundum Librum Sententiarum, de Deo, Diviniſque „ Perſonis, & Angelis. Quæſtiones diſputatæ in tertium, & quartum Librum Sententiarum. De Chriſto, ſeu „ de Incarnatione Verbi Divini: de „ Beatis, ſeu de Viſione Dei, & Beatitudine noſtra. Opuſcula tria Theologica de Sacroſancta Trinitate, de „ Generatione Divini Verbi, & de „ Proceſſione Spiritus Sancti. „

LXII. GAVINUS III. DE AQUENA.

Ad Turritanam Eccleſiam translato Georgio Sogia hujus Eccleſiæ Pontifex renuntiatus eſt anno MDCCIII. decimo tertio Calendas Januarii Gavinus de Aquena, qui tum erat Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ Canonicus *Magiſtralis*.

LXIII. NICOLAUS IV. CANI.

Meminit hujus Epiſcopi ex Familia Dominicana Cl. Bremondius (3), aitque fuiſſe Sacræ Theologiæ Magiſtrum, Provinciæ Sardiniæ alumnum, renuntiatumque Præſulem an. MDCCXXVII. die 27. Martii. Reliqua mihi ex Actis Conſiſtorialibus perſpecta in medium nunc profero. Natus erat in Civitate Eccleſienſi. Fuit Verbi Dei Concionator, *Examinator Synodalis* Archiepiſcopi Calaritani, *Qualificator*, ut ajunt, Sancti *Officii*, bis ſui Ordinis *Prior* Provincialis, atque electus in Pontificem quinquagenario major.

LXIV.

(1) *Tom. III. Annal. Ord. Servor. B. M. V. lib. 3. Cent. 5. pag. 306.*

(2) V. Garbium *pag. 327., & 411.*

(3) *Tom. VI. Bullar. O. P. pag. 710.*

LXIV. JOANNES LEONARDUS SANNA.

Eccleſiam Ampurienſem cum Boſanenſi commutavit an. MDCCXXXVII. ſecundo Calendas Octobris. Poſt non multò Paſtoralem Viſitationem aggreſſus cum deprehendiſſet, Eccleſiam *Parochialem* S. Petri *de Eſcano* Didaci Santucchi ejuſdem *Parochi* negligentia omni ferme ſuppellectili carere, atque reparatione indigere, ſequeſtrata, ut ajunt, quarta parte fructuum decimalium (1), ut reſtauraretur, & omnia neceſſaria ei ſuppeditarentur, curavit.

LXV. FRANCISCUS BERNARDUS DE CESPEDES.

Natus eſt in Urbe Algarienſi. Anno MDCCXLII. die 28. Februarii hunc Epiſcopatum obtinuit plenus quidem meritis; nam antea fuerat Decanus Eccleſiæ Cathedralis, Diœceſis Vicarius Generalis, atque ante electionem ſui deceſſoris Vicarius *Capitularis*.

LVI. ANTONIUS VII. AMAT.

Urbs Saſſaritana fuit illi Patria. Primò *Decanatum* Eccleſiæ Cathedralis Turritanæ obtinuit, deinde in Antiſtitem Boſanenſem electus eſt anno MDCCXLVI. decimo quarto Calendas Januarii.

LXVII. JOANNES BAPTISTA II. MACHIN, ET SPIGA.

Succeſſit Antonio eo tempore, quo munere fungebatur Archipresbyteri, & Canonici Cathedralis Civitatis Eccleſienſis, anno nempe MDCCXLVIII. quarto Nonas Decembris.

LXVIII. RAYMUNDUS QUESADA.

In Civitate Saſſaritana venit in lucem anno currentis ſæculi tertio. Presbyter factus inſtitutus eſt *Parochus* Eccleſiæ Oppidi Plovacenſis, quod olim proprium habebat Epiſcopum, nunc Pontifici Turritano obtemperat. Boſanenſi Eccleſia ſuo orbata Paſtore ei datus eſt Raymundus anno MDCCL. die 19. Junii. Vivit.

(1) Confer *Theſaurum Reſolut. Sacræ Congreg. Concilii Tom. unic. ad an.* 1741. *pag.* 30.

ECCLE-

ECCLESIA CASTRENSIS.

UBinam gentium ſitum fuerit oppidum, quod *Caſtrum* appellabatur, diù, multumque apud Geographos cujuſcunque ætatis fruſtra hactenus quæſivimus. Anonymus Ravennas (1) unus ex omnibus inter Sardiniæ oppida *Caſtra felicia* recenſet, ſed in qua Inſulæ parte poſita, & an eadem fuerint, atque Caſtrum, de quo in præſentia loquimur, neque ab eodem, neque ab eruditiſſimo Porcheronio, qui ipſum illuſtravit, diſcere potuimus.

In Annalibus Genuenſibus (2) hæc leguntur: *eodem anno* (MCCLVI.) *Vir nobilis Ælianus Marchio Calaritanus Caſtrum, quod appellatur Caſtellum de Caſtro ſitum in Sardinia in Judicatu Calari, Communi Januæ donavit*. Porrò hujuſmodi Caſtellum Genuenſis Reſpublica modico tempore poſſedit; nam anno MCCLVIII. *per obſidionem arctiſſimam factam a Piſano Communi, cujus Capitaneus fuit probus, & ſapiens Vir D. Oddo Gualducci, pervenit denuò in dominium Piſanæ Civitatis* (3). Utrum hoc *Caſtellum de Caſtro* idem ſit atque Caſtrum, quod olim Sedes Epiſcopalis fuit, aliquis forſitan dubitabit.

Ego tamen diverſum eſſe cenſeo; ſiquidem primum exſtabat *in Judicatu Calari*, alterum in Provincia vel Turritana vel Gallurienſi fuiſſe ex eo, niſi me fallo, colligitur, quod ejus Epiſcopus primæ ex præfatis Provinciis Metropolitæ obtemperaverit; primum a Piſana Republica poſt ſæculi decimitertii initium conſtructum fuit, prout ex illius Annalibus conſtat (4): *anno MCCXVII. Piſani ædificaverunt Caſtellum Caſtri in Kallari*; alterum longe ante ſuam habuerat originem, cum jam inde ab initio ſæculi duodecimi proprium obtineret Epiſcopum; primum ſitum fuiſſe ad mare hauritur cum ex Annalibus Genuenſibus (5) paullò ante laudatis, in quibus eſt, quod *ad dictum Caſtrum accipiendum, & muniendum fuerunt miſſæ* (a' Januenſibus) *galeæ undecim*, tum clarius ex Joanne Villanio (6) ita ſcribente: *Don Amfus* (Aragoniæ Rex) *poſe l'aſſedio per terra, e per mare al Caſtello di Caſtro*; alterum, ſi qua Vico (7) fides, erat in regione *Montiſacuti*, quæ niſi me fallit Sardiniæ Chorographia, quam Petrus Vanderaa P. Vitalis Annalibus (8) præfixit, eſt in mediterraneis potius, quam circa oram maritimam, ac in Provincia Turritana.

Itaque cum *de Caſtro* Urbe olim Epiſcopali omnes omnino Geographi, atque Hiſtorici optimæ notæ, quod viderim, altiſsimè ſileant, ac proinde ejus certus ſitus ſciri nequeat, ad res Eccleſiaſticas deſcendo. Epiſcopatus Caſtrenſis in Sardinia cum in *Libro Cenſuum* Sanctæ Romanæ Eccleſiæ a Cencio

(1) *Lib. 5. Geographiæ cap. 26.*
(2) *Lib. 6. col. 522.* apud Muratorium *Tom. VI. S. R. Ital.*
(3) Vid. *Annal. Piſani* apud eundem *Tom. cit. col. 191.*, & Ughellium *T. X. Ital. Sac. col. 122.*
(4) Apud Murat. *Tom. indic. col. 191.*
(5) *Loco paullo ante deſign.*
(6) *Hiſt. Fiorent. l. 9. cap. 236. pag. 549.* apud Murat. *T. XIII. S. R. Ital.* Confer etiam *cap. 259. pag. 559.*
(7) *Tom. II. Hiſt. General. Sard. Par. 6. cap. 14.*
(8) *In Theſauro Burmanniano Tom. XV.*

cio Camerario compoſito, & a Muratorio publici juris facto, tum in *Notitiis* Eccleſiaſticis, quas alibi exhibui, memoratur. De Romano Pontifice, qui primum Caſtrenſibus Epiſcopum dedit, nihil comperti habeo. Illud ſcio, ineunte ſæculo Eccleſiæ decimo ſexto hanc Eccleſiam alteri Sedi unitam fuiſſe. Vicus memoratus (1) litteris conſignavit, conjunctam eſſe Sedi *Othanenſi*, quæ poſtea Algherium, eodem teſte, translata eſt; cumque afferat, id conſtare ex Conſtitutione Alexandri VI. incipiente: *Æquum reputamus &c.* negare non auſim. Scire tamen vellem, quamobrem Ludovicus Gonzalez anno MDXIX. in quodam diplomate (2) ſe inſcribat Epiſcopum *Caſtri Januenſis*, *Ampurienſem*, & *Civitatenſem*.

Ubi primum hocce monimentum vidi, mecum cogitare cœpi, Ludovicum hujuſmodi titulum ſibi tribuiſſe, eo quia per ea tempora in Oppido *Caſtri Aragonenſis* reſidebat; ſed poſtea cum intellexiſſem, non niſi ultra Pii IV. ætatem illuc Antiſtitem Ampurienſem Sedem ſuam tranſtuliſſe; in ſcopulum impegi, quem prætervehi oratio mea non valet.

Tempore, quo Oppidum *Caſtrum* peculiarem habebat Pontificem, illius Cathedralis erat Eccleſia Beatæ Mariæ Virgini dicata, cui Archipresbyter, decem Canonici, aliique *Beneficiati*, & Clerici addicti erant.

Silentio prætereundum non eſſe cenſeo, in ea regione, in quam olim Caſtrenſis Epiſcopus ſuam exercebat juriſdictionem, exſtare *Montis Raſi* Cœnobiolum, quod jam inde a ſui conſtructione poſſident Minoritæ ſodales mei, atque prout Vicus (3) litteris conſignavit, *es uno de los mas antigos que ai en el Reyno*. In ejus Eccleſia quieſcit Corpus B. Joannis Parenti Florentini, illiuſque Imago multum antiqua conſpicitur depicta cum Laureolis, cæteriſque *Beati* ſignis. Arturus (4) Joannis noſtri memoriam celebrat calendis Januarii, perque ſummum errorem in Corſica eum ponit. Singulis Quadrageſimæ ſextis feriis, & die S. P. Franciſco ſacra multi ad præfatam Eccleſiam conveniunt homines Joannis apud Deum patrocinium imploraturi.

Memoratum Cœnobiolum ædificatum creditur ab eodem Joanne. Is enim dimiſſa ſuprema totius noſtri Ordinis dignitate non quidem anno MCCXXXVI., uti ſcribit Wadingus (5), ſed ante ſexennium, quemadmodum Azzoguidius (6) noſter oſtendit, in Corſicam profectus eſt (7). Inde in vicinam Sardiniæ Inſulam transfretaſſe Mſs. illius noſtræ Provinciæ monimenta tradunt. Quo anno hoc acciderit, reticent omninò, neque ex Ordinis Annalibus certò conſtat. Ego tamen (dummodò Joannes ipſe Franciſcanam Religionem illuc invexerit, ſicuti veriſimil-

(1) *Opere, & loco paullò ante indic.*

(2) Exſt. apud Vitalem *Tom. II. Annal. Sard. col.* 246.

(3) *Op. indic. Par.* 6. *cap.* 14. *num.* 4.

(4) *In Martyrologio Franciſcano ad diem* 1. *Januarii*. Arturo ſubſcribit Antonius a Terrinca *Theat. Etruſco-Minorit. Par.* 1. *tit.* 2. *pag.* 11. dicens; *B. Joannes Parens Florentinus* : . . . . *ſancto fine in Inſula Corſica, & Conventu S. Franciſci Ornani circa annum* 1250. *quievit in Domino*. At Sardiniæ Provinciæ monimenta Mſs. a cl. Azzoguidio noſtro laudata *op. mox citando pag.* 110. in errore verſari demonſtrant.

(5) *Tom. II. Annal. ad eum an. num.* 1. *pag.* 412.

(6) *In Notis eruditiſsimis in Vitam S. Antonii Patav. a Siccone Polentonio ſcriptam, ſeu potius in Chronicon* 24. *Miniſtrorum Generalium pag.* 104. *& ſeq.*

(7) Confer Wading. *ad an. cit. num.* 2.

Digitized by Google

millimum puto) ante annum MCCXXXVII. factum eſſe compertum habeo. Certè quidem per iſtud tempus Sodalitatis noſtræ alumnos præfata in Inſula extaſſe apparet ex *Inſtrumento* anno nuper memorato die 23. menſis Aprilis acto *in Palatio Regni Turritani de Ardera*, quo Legatus Pontificius Eccleſiæ Romanæ nomine Provinciam Turritanam Adelaſiæ Reginæ concedit, cui inter alios teſtes ſubſcribunt Paullus, & Joannes Ordinis Minorum (1).

EPISCOPI CASTRENSES.

BERARDUS, SEU BERNARDUS. Caſtrenſis hic Pontifex Conſtitutioni Leonis VIII. Romani Pont. (2), qua profitetur ſe reſtituere Ottoni Imperatori quæcumque Romanum Occidentale Imperium olim poſſidebat, & poſtea Eccleſiæ Rom. dono conceſserat, ſubſcripſit an. DCCCCLXIV. Franciſcus Vicus, cui ſentire placet, hanc Eccleſiam ante ſæculum undecimum ſuos habuiſſe Pontifices, eorundem ſeriem orditur ab eo, cujus nomen in citata Conſtitutione legitur, quem tamen, neſcio cur *Georgium* appellat.

Celeberrimorum Criticorum veſtigia legens alibi (3) aſſerui, ejuſmodi Conſtitutionem ſpuriam eſſe, & quoſdam exhibere Epiſcopos, qui aut nunquam fuerunt, aut ſaltem non illa ætate. Quocirca Vicus levi nimis ratione nititur ad probandum, ante finem ſæculi decimi Urbem Caſtrenſem ſuum peculiarem Pontificem habuiſse.

Verum liberalis eſse volo, æquo animo patior, ſin minus Conſtitutionem, at Epiſcopos, qui eidem ſubſcribunt, in dubium revocari non poſse; quid tum inde? nunquid ſequitur, Berardum hanc certò rexiſse Eccleſiam? minimè verò; nam non una tantum apud Scriptores numeratur Caſtrenſis Epiſcopalis Sedes (4), quod cum ignoraſset Vicus, ſtatim, ac in laudata Conſtitutione legit Antiſtitem Caſtrenſem, Eccleſiæ hujus nominis in Sardinia adjudicavit.

Ego, ut fatear ipſe, quod ſentio, lubenter eo in Ughellii opinionem, qui ſuſpicatur (5), fuiſse Præſulem Caſtrenſem in Hetruria, eundemque eſse, ac *Bernardum* illum præfatæ Urbis Pontificem, patria Balneoregienſem, qui inter Beatos relatus tanquam Patronus ab iis populis colitur, ejuſque Corpus hactenus incorruptum aſservatur. Itaque primus Epiſcopus, cujus ſtabilia monumenta ad noſtram manſerunt memoriam, eſt

I. N.

Antiſtes ille Caſtrenſis, quí anno circiter MCVI. (6) conſecrationi Eccleſiæ

Dd

(1) Diploma eſt apud Murator. *Tom. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſert. 71. col. 14.*

(2) Hanc exhibet doctiſſimus Baronius *Tom. XVI. A. E. ad an. 964. n. 25. pag. 151. edit. Lucenſ.*

(3) *In Archiepiſcop. Calarit. num. X.*

(4) Plures fuiſſe olim *Caſtelli*, & *Caſtri* Eccleſias cum in Africa, tum in aliis regionibus explorata res eſt. Confer Hard. *col. 686. Indic. Geograph. Epiſcop.*, ac Fabricium *Indice Geograph. Epiſcop. Orbis Chriſt.* exſt. ad calcem Operis, cui titulus: *Salutaris lux Evangelii &c.* Quæ ſæculo decimo ſupererant, duæ ſunt. Prima eſt in Hetruria, de qua Ughellius *Tom. I. Ital. Sac. col. 578.*, *& ſeq.*; altera, quæ *Caſtri Felicitatis* appellatur, ubinam terrarum fuerit; ſumma eruditione diſputat Guido Grandius *in Notis ad 1. diploma pag. 109.* ad calcem *Epiſtolæ de Pandectis Piſanis*.

(5) *Opere indic. col. 579.*

(6) Confer *Hiſt. Archiep. Turrit. num. VII.*

cleſiæ SS. Trinitatis *de Sacargia* interfuit, ſed ejus nomen compertum non habeo.

II. ATTHO.

Ex inclyta Camaldulenſi Congregatione anno MCLXIV. conceſſit GG. nempe Gregorio, prout eruditiſſimus Guido Grandius interpretatur, memoratæ Congregationis *Priori*, illiuſque ſucceſſoribus tres in Sardinia Eccleſias *cum omni jure, & pertinentiis ſuis* (1). Eodem anno ipſemet Atho quædam donavit Eccleſiæ S. Salvatoris Bariſone Judice Turritano, Petro Diacono Cardinali Sancti Euſtachii, aliiſque Præſulibus ſuadentibus, conſentiente verò Alberto Turris Archiepiſcopo (2).

Certiſſima monimenta a nobis alibi (3) indicata evidenter demonſtrant, præfatum Athonem anno quoque MCLXXVI. anima ſpiraſſe ſua.

III. TROGODORIUS.

Epiſcopus Trogodorius Caſtrenſem hanc Eccleſiam moderabatur an. MCCXXXVII. Per hoc tempus variis ſubſcripſit diplomatibus, quæ apud Antiquitatum Italiæ Magiſtrum (4) legi queunt.

IV. N.

Quidam Caſtrenſis Antiſtes, cujus nomen compertum non habeo, laudatur ab Alexandro IV. Pontifice Maximo (5), ex quo plane etiam liquet, Eccleſiam rexiſſe anno MCCLIX. quinto Calendas Aprilis.

V. CORNELIUS.

Hunc Epiſcopum, cujus patriam, inſtitutum, & electionis tempus me latere fateor, diem obiiſſe ſupremum ſub annum MCCCLXII. certa, explorataque res eſt.

VI. NICOLAUS DE VARIS.

Cornelium excepit Nicolaus Minorita. Is electus ab Innocentio VI. die 21. menſis Sextilis anni modò indicati, ab Urbano V. anno ſequenti ſexto Idus Novembris confirmatus eſt. Lucas Wadingus (6), qui monumentis Vaticanis innixus hæc narrat, cum non indicaverit, in qua Mundi Provincia ſita fuerit Eccleſia Caſtrenſis a Nicolao adminiſtrata, in cauſſa eſt, cur mihi immorandum pauliſper eſſe cenſeam in veſtigando, an hæc in Sardinia, an in alia regione exſtiterit.

Principio certum eſt, Nicolaum haud rexiſſe Caſtrenſes Eccleſias in Hetruria, ac in Provincia Salentina poſitas, nam quo tempore Nicolaus renuntiatus Epiſcopus dicitur, illæ ab aliis gubernabantur Præſulibus (7). Reſtat, ut quæramus, an moderatus ſit Caſtrenſem Diœceſim in Gallia ſub Archiepiſcopo Albienſi. Ita ſe rem habere arbitratur doctiſſimus Dionyſius Sammarthanus (8): *Epiſcopus Caſtrenſis*, inquit de ejus Antiſtitibus loquens, *alius nobis occurrit in Tabulario Vicecomitatus Narbonenſis, nomine Nicolaus de Vays, Caſtrenſem ſe præfatus Epiſco-*

(1) V. eruditiſs. Grandium *in not. ad monum.* 1., quod eſt ad calcem *Epiſt. de Pandectis Piſanis*.

(2) Turritani aſſerunt, ſe hujus donationis diploma in propriæ Eccleſiæ Tabulario habere. Adi Ambroſ. Machinum *lib.* 2. *Defenſion. Primat. Arch. Calarit. cap.* 38. *pag.* 171.

(3) *In Hiſt. Archiep. Turrit. num. XIII. pag.* 151.

(4) Murat. *Tom. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſert.* 71. *col.* 16. 18. 19.

(5) Lege *epiſt.* 61. incipit: *Expoſita nobis* apud Wadingum *Tom. IV. in Reg. Pontif. pag.* 487. *edit. poſtremæ*. (6) *Tom. VIII. ad an.* 1363. *num.* 21. *pag.* 166.

(7) Conſulito Ughell. *Tom. I. in Ep. Caſtrenſ. num.* 19. *col.* 580. *T. IX. in Ep. Caſtrenſ. n.* 9. *col.* 94.

(8) *Tom. I. Galliæ Chriſt. num.* 6. *col.* 70.

Digitized by Google

Epiſcopum anno MCCCLXIV. die 22. Octobris in pactis Matrimonii Aimerici Vicecomitis, ac Domini Narbonæ cum Beatrice filia Mariani Comitis Gothlan, & Vicecomitis de Baſſo, qui Nicolao ſuas vices, auctoritatemque hoc in negotio præſcripſerat die 25. Aprilis anno MCCCLXIV. Inde conjectamus, poſt Stephani Epiſcopi mortem plurimos de Epiſcopatu contendiſſe, ex quibus fuit Nicolaus de Vays, cui fortè pars Capituli in ſuffragiis faverat, qui etſi cedere coactus inanem, & vacuum Epiſcopi titulum retinere voluit.

Verum clariſſimus Author, & pace hoc dicam ſua, hallucinatur, quod ſic demonſtro. Wadingus laudatus ſcribit, Nicolaum noſtrum ſucceſſiſſe Cornelio, de quo tamen nulla mentio in Epiſcopis Caſtrenſibus Galliæ fit. Renuntiatum dicit an. MCCCLXII., quo tempore, ipſomet Sammarthano judice, Petrus Antiſtes erat. Prætereo, illius conjecturas falſas eſſe; nam ſi Nicolaus unus eorum fuit, qui de Caſtrenſi Epiſcopatu contendebant mortuo Stephano ante annum MCCCLIX., quæ ratio adduci poteſt, quamobrem non niſi poſt triennium in Pontificem eligeretur? Itaque concludamus oportet, Nicolaum hujus Eccleſiæ Præſulem fuiſſe: atque id, mea quidem ſententia, ex eo etiam colligitur, quod Nicolaus quidam Ordinis noſtri Epiſcopus Caſtrenſis in Sardinia anno MCCCLXIX. una cum Garſia *de Vila*, & Franciſco *Marraz* præfati Ordinis alumnis ſubſcripſerit diplomati cujuſdam donationis a Mariano Judice Arborenſi Sanctæ Claræ Monaſterio Urbis Oriſtani factæ (1).

Cujas fuerit Nicolaus deficientibus monimentis certò aſſerere non auſim. At ex iis, quæ eruditiſſimus Maurinus narrat, & ego paullo ante protuli, conjici poteſt, natione Gallum fuiſſe.

VII. SIMON.

Juxta id quod tradit Vicus, Simon Pontifex erat Caſtrenſis ante annum MCCCCI. Hoc eodem anno ad Eccleſiam Ampurienſem translatus eſt.

VIII. ANTONIUS I.

Quemadmodum conjicere licet, proximè ſucceſſit Simoni. Certum tempus, quo factum id eſt, neſcio. Illud ſcio, annum circiter MCCCCXII. e vita migraſſe, ſi verus eſt Wadingus (2).

IX. LEONARDUS I.

De Leonardo Saſſaritano idem Wadingus (3) tantum habet, fuiſſe Societatis Franciſcanæ alumnum, atque electum anno, quem nuper laudavi, ſeptimo Calendas Septembris. Major de illo loquitur Vicus, ac inter cætera ait, ad reformandum gregem ſibi commiſſum, convocata Synodo, quadraginta duas Conſtitutiones emiſiſſe: cum tamen reformaſſe maxime ſuo exemplo, quo omnes ad bene agendum trahebat.

X. LAURENTIUS I.
XI. CHRISTOPHORUS MANUS.

Uterque memoratur a Vico. Alter aſſeritur deſignatus anno MCCCCXXX. Alter, qui antea Canonicus Turritanus erat, anno MCCCCXXXIX.

XII. FRANCISCUS.

Ex *Priore* Eccleſiæ Bonarcadenſis Diœceſis Oriſtani in locum defuncti Chriſtophori ſubſtitutus eſt anno MCCCCXLV.

(1) Laudat hoc Vicus *Par. 6. Hiſt. Sard. cap.* 83. & 87.
(2) *Tom. IX. ad eum annum num. 2. pag.* 351.
(3) *Ibidem.*

CCCCXLV.. Hunc illum ipſum Franciſcum eſſe reor, qui, teſte Nicolao V. Romano Pontifice (1), abiit e vita anno circiter MCCCCXLVII.

XIII. JOANNES GASTO LEUZOL.

Fuit ex Ordine Minorum, & regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit anno modo laudato quinto Nonas Julii (2).

XIV. LEONARDUS II.

In Joannis locum ſuffectus eſt anno MCCCCLIX. Litteris conſignavit Vicus, Leonardum, priuſquam dignitatem Epiſcopalem obtineret, fuiſſe *Abad de San Miguel de Salvenari de la Orden de Valumbroſa*. Quod ad Leonardi inſtitutum attinet, ego Vico non planè aſſentior; non ſolum, quod ſciam, in eorum, qui ad Epiſcopatus ex præfato Ordine aſſumpti ſunt, Catalogo a Venantio Simio contexto deſiderari, ſed maxime, quod videam, Valliſumbroſæ Monachos jam tum Monaſterium S. Michaëlis *de Salvenero* amiſiſſe. Teſtis eſt enim Blaſius (3), qui ſub initium ſæculi decimi ſexti illorum Abbatis Generalis munere fungebatur, ab anno circiter MCCC. per Saracenorum irruptionem in Sardiniam factam ſingula Cœnobia, Monachis pleriſque occiſis, deſtituta penitus remanſiſſe.

Sex circiter annos Caſtrenſem adminiſtravit Eccleſiam Leonardus; nam ſub annum MCCCCLXV. e medio abiit, prout Lucas Wadingus (4) certiſſimis innixus monumentis poſterorum memoriæ mandavit.

XV. LAURENTIUS II. DE MONCADA.

Eodem anno, quo naturæ ſatisfecit Leonardus, Cathedram conſcendit Caſtrenſem decimo quarto Calendas Novembris Laurentius cognomento *de Moncada* Franciſcanus Sacræ Theologiæ Doctor (5).

XVI. BERNARDUS JOVERIUS.

Quæ de Bernardo mihi innoteſcunt, ſunt, fuiſſe patria Tarraconenſem, & renuntiatum Epiſcopum anno MCCCCLXXXIII.

XVII. JOANNES I. CRISPI.

Auguſtinianus profeſſione ſubrogatur Bernardo anno MCCCCXCI. Per tres annos Eccleſiam hanc rexit, poſtea tranſiit ad Uſellenſem, ut alibi dicam.

XVIII. MICHAEL DE TEMPS.

Unum ſcio, nempe quod electus eſt Paſtor anno MCCCCXCIV., præterea nihil.

XIX. JOANNES II.

Triennio exacto mortuo Michaële regimen Eccleſiæ ſuſcepit Joannes Ordinis Sancti Benedicti. Porrò illud obtinuit quadriennium; obiit enim anno MDI. (6).

XX. ANTONIUS II. DE TAURO.

Hiſpanus ex Ordine Minorum (7) eodem anno electus, quo abiit e medio Joannes, decimo Calendas Auguſti;

(1) Vid. *ejus Conſtit.* incip. *Apoſtolatus Officium* apud Wading. *Tom. XI. in Reg. Pont. pag.* 521.
(2) Confer *eandem Conſtitut.*
(3) *In epiſt. an.* 1513. *data*, quam exhibet Venantius Simius *in Catalogo SS. & plurium Virorum Illuſt. Congreg. Valliſumbr. pag.* 210. *edit. Rom.* 1693.
(4) *Tom. XIII. ad an.* 1465. *num.* 9. *pag.* 375.
(5) Conſulito Wading. *ibidem*.
(6) Vid. Wadingus *ad eum an. num.* 30. *Tom. XV. edit. Rom. poſtrema*.
(7) Adiſis Wading. *ibidem*.

ſti; poſtremus fnit Pontifex, qui Eccleſiam Caſtrenſem moderatus eſt. Unitam hanc fuiſſe alteri Sedi circa annum MDIII. jam vidimus; hinc oportet aſſeramus, non diù Antoninm noſtrum Caſtrenſem Epiſcopatum geſsiſſe. Nam hujuſmodi conjunctionem non niſi eodem defuncto, aut aliò translato accidiſſe quis ſibi non perſuadet?

ECCLESIA GIRACLENSIS.

QUÆ *de Giracla* Sardiniæ Urbe Epiſcopali, ut inchoatam perſequar methodum, dicenda ſunt, perquam obſcura mihi videntur. Clariſsimus Martinierus (1), qui unus inter omnes Geographos, veteres, ac mediæ, infimæque ætatis, quos legere licuit, de hocce oppido brevem ſermonem inſtituit, inquit, fuiſſe *dans la partie ſeptentrionale, pres de la Riviere de Coquinas a l' orient de Saſſari*, & forſan eo in loco, quo erat antiquum oppidum *Breſurgia*. Hoc ubi ſitum fuerit ex veteribus Geographis diſcere nequivi. Arbitror tamen idem eſſe ac *Breſargiam*, quæ in Charta Chorographica Petri Vanderaa in Dynaſtia Turritana ponitnr. Cum Martiniero Vicus (2) ſentire videtur, quippe aſſerit, Urbem Giraclenſem in agro Anglonenſi extitiſſe. Vitalis (3) autem ab utroque diſſentit; exiſtimat enim Giraclam ſeu Biſarchium idem eſſe ac oppidulum, quod nunc *Byrole* vocatur, *Byrole* verò à *Biora* non differre.

Quoniam intelligo, oppidulum *Byrole* ad Algarenſem Diœceſim ſpectare (4), ibi ſitum eſſe, ubi olim erat Biſarchium non eo inficias; at illud eſſe idem atque *Bioram* pugnaciſsime nego. Biſarchium ſpectaſſe inter ſeptemtriones, & occidentem ſolem, ac in Provincia Turritana fuiſſe nihil eſt, meo animo, quod inducere quempiam ad ambigendum poſsit. Porrò *Biora* in Provincia Calaritana extabat, vergebatque penitus ad meridiem, ſi verum eſt, quod Simlerus, atque Surita exiſtimant (5), nempe *Bioram* eſſe *Bioeam* a Ptolemæo (6) memoratam, nunc *Porto Bota* dictam (7); vel ſaltem inter meridiem, & ſolis ortum flectebat, & ab Urbe Calari millia paſſuum quadraginta duorum diſtabat, prout ex Antonino hauritur, qui ab *Ulbia* ad Urbem modò memoratam iter inſtituens hæc habet (8) „ ab Ulbia Cara„ lis m. p. CLXXIII. ſic. Caput Thyr„ ſi. m. p. XL. Sorabile m. p. XLVI. „ Biora. m.p.XLV. Caralis m.p.XLII. „

Quod ad res Eccleſiaſticas pertinet, illud compertum eſt, Giraclam circa initium ſæculi duodecimi ſpecialem habuiſſe Epiſcopum, quem obtinuit uſque, donec ineunte ſæculo decimo ſexto Giraclenſis Sedes unita eſt Othanenſi (9). Inter alia oppida, quæ Biſar-

(1) *Dictionario G. C.* ad verb. *Giſara*, & *Biſarchio*.

(2) *T. II. Hiſt. Sard. Par. 6. cap. 14.*

(3) *Appar. ad Ann. Sard. col. 29.*

(4) Coufer Vitalem *col. 34.*

(5) *In not. ad Itiner. Antonini pag. 81. edit.* Weſſelingii 1735.

(6) *Lib. 3. Geograph. cap. 3. fol. 51. ed. 1541.*

(7) Conſule Cluverium *Sard. Antiq. col. 18.*, & Baudrand. *Lex. Geograph.* ad verb. *Biota*.

(8) *Loco cit.* Weſselingius putat, nomeu *Biora*, non oppidum aliquod, ſed puteum ſignificare, eſſeque puuicum vocabulum.

(9) Legendi Vicus *ibidem*, & Martinierus *loco cit.*, & ad v. *Sardinia*.

ſarchienſem Diœceſim conſtituebant, erat *Ardera* (1): ibi conſuevit Epiſcopus morari; unde hujus Eccleſiæ Antiſtes *Arderenſis* quoque vocatus eſt, prout ex paullò poſt dicendis apertum fiet.

Magnifica Sancti Antiochi Eccleſia erat Giraclenſis Cathedralis, cujus *Capitulum* ex Archipresbytero, Decano, quinque Canonicis, aliiſque *Beneficiatis* conſtabat.

Illud, utpote neceſſarium ſilentio prætereundum non eſt, hanc Eccleſiam variis nominibus appellatam fuiſſe, nimirum Giraclenſem, Biſargenſem, Biſarchienſem, Guiſarchenſem, Giſarenſem, Gipharelenſem, Giſacenſem, Gravellenſem, & Giſardenſem.

EPISCOPI GIRACLENSES.

CONSTANTINUS MADRONA. Erat Pontifex Giraclenſis anno MCII., judice Vico. Ad fidem conciliandam Epiſcopis, quorum meminit, quique exitum ſæculi decimi tertii præceſſerunt, monumenta ſibi nota in medium ille proferre ſolet; at verò ad probandum, Conſtantinum hanc rexiſſe Eccleſiam nullum adducit; nemo ergo vitio mihi dabit, ſi aut nunquam Antiſtitem fuiſſe; aut ſaltem magnopere dubitandum eſſe, affirmavero.

I. PETRUS.

Anno MCXVI. die 16. menſis Decembris una cum aliis Sardiniæ Epiſcopis quædam privilegia Eccleſiæ, & Monachis Camaldulenſibus *de Sacargia* ab Archiepiſcopo Turritano conceſſa, confirmavit (2). Poſt triennium circiter Calendis Aprilis adſuit conſecrationi Templi S. Saturnini per Guillelmum Archiepiſcopum Calaritanum factæ (3).

II. MARIANUS THELLE.

Quo tempore in Epiſcopum electus ſit, mihi certò non conſtat. Verum, quantum conjicio, id poſt annum MCXXXVI. decimo tertio Calendas Junias factum eſt; nam in diplomate Conſtantini *de Athen* (4) pro Monachis Caſſinenſibus eo anno dato, ſit mentio de *donnu Mariane Thellæ*, qui dubio procul eſt idem ac Marianus noſter, & Presbyter tunc Eccleſiæ Turritanæ inſerviebat. Fortaſſis paullò poſt Epiſcopalem dignitatem obtinuit, hocque ex eo colligo, qnod inter teſtes, qui anno MCXXXIX. Ugonis Epiſcopi Otanenſis diplomati ſubſcribunt (5), numeratur Antiſtes *Marianus*.

Hic dicitur quidem Epiſcopus *Arderenſis*, ſed nulla ratio eſt, cur aliam Diœceſim præter hanc gubernaſſe, ambigam; in primis oppidum *Ardar*, unde Pontifex iſte denominatus creditur, erat in Diœceſi Guiſarchienſi, ut paullò ante obſervatum a me eſt; deinde exceptis Præſulibus Ampurienſi, Boſanenſi, & Caſtrenſi, qui certè nunquam hujuſmodi nomine appellati ſunt, ſinguli alii Turritani Archiepiſcopi *Suffraganei*, quorum nullus Antiſtes *Guiſarchienſis* dicitur, citato diplomati ſubſcribunt; tandem Eccleſiam, de qua in præſentia loquimur, an. MCXLVII. cir-

(1) Conſulito Vicum *op.*, & *cap. indic. Fol.* 54. *num.* 14.
(2) Monum. exſt. apud Vicum *Par.* 6. *cap.* 18. *Fol.* 68.
(3) Vid. *Guillelmi Diploma* apud Martene *Tom. I. Vet. Monum. col.* 658.
(4) Hoc exhibet cl. Gattola *Hiſt. A. Caſsin. Par.* 1. *pag.* 156.
(5) Exſt. *Tom. III. Annal. PP. Camald.* in *Append. num.* 247. *col.* 379.

circiter a Mariano adminiſtratam ſuiſſe explorata res eſt, cum in Epiſcopis, qui per illam ætatem Templi *de Bonarcanto* conſecrationi interfuerunt, recenſeatur *Marianus Thelle* Epiſcopus Guiſarchienſis (1).

Mariani Antiſtitis meminit etiam Vicus, ſed eum cognominat *Velle*, nec ei innoteſcit niſi ad annum MCLIII. Quot annos poſtea vixerit idem Marianus, me fugit.

Albericus Cœnobii *trium Fontium* Monachus in ſuo Chronico, quod primum in lucem emiſit Vir totius ævi memoria digniſſimus Leibnitius, narrat (2), quod *Admalbertus Monachus in Epiſcopum Giſardenſem electus, antequam conſecraretur, aſſumptus eſt in Archiepiſcopum Turritanum*, & quod *ante eum fuit ibi Epiſcopus Petrus*. Etſi Albericus citatus hæc ad annum MCCXI. recitet, tamen longe ante accidiſſe adeò certum eſt, ut nulla alia hiſtoria teſtatior eſſe queat (3). Quare exiſtimo, *Admalbertum*, ſeu *Albertum* in Præſulem Guiſarchienſem electum fuiſſe, licet non conſecratum, Mariano vita functo. De Petro, quem *ibi* Epiſcopum fuiſſe dicit, nulla inter hujus Sedis Antiſtites fit mentio, ſiquidem verba illa *ante eum fuit ibi Epiſcopus Petrus* non ad Giraclenſem, benè verò ad Turritanam Eccleſiam eſſe referenda, non una eſt ratio, quæ mihi perſuadeat (4).

III. JOANNES I. THELLA.

Monimenta, quæ vix, ac ne vix quidem in controverſiam venire queunt, evidenter oſtendunt, Joannem hanc Eccleſiam gubernaſſe, cum an. MCLXX., tum etiam poſt ſexennium (5).

Concilio Lateranenſi III. anno MCLXXIX. celebrato, prout ex illius Actis apparet, adſuit inter alios Patres Joannes quidam Antiſtes, ſed ejus Sedis nomen depravatum eſt apud Dacherium (6), Martene, & Durand (7), Harduinum (8), Coletium (9), ac etiam Manſium (10). Cum Epiſcopatus, quem ille geſſit *Adarenenſis*, ſeu *Aderenſis* vocetur, clariſſimus Ughellius (11) Eccleſiæ *Adjacenſi* in Corſica eumdem addixit; at ex eo, quod Joannes noſter Præſul in Sardinia dicatur ſub Archiepiſcopo ſive *Turrenenſi* juxta Monaſterii *Branenſis* codicem, quo uſus Lucas Dacherius eſt, ſive potius *Turrenſi*, uti habet codex Pariſienſis, quem Martene, & Durand adhibuere, nullus ſanè dubito, quin memoratus Ughellius hallucinatus ſit.

Nulla fuit in Sardinia *Adarenenſis*, ſive *Aderenſis* Eccleſia, proinde cenſeo, & legendum eſſe *Arderenſis*, quo nomine hujus Eccleſiæ Epiſcopum appellatum fuiſſe paullò ante obſervavi, & eundem eſſe, atque Joannem Thellam.

IV.

(1) V. *diploma Bariſonis Jud. Arborenſis*, quod eſt *Tom. cit. in App. num.* 286. *col.* 443.
(2) *In Chronico ad ann.* 1211. *pag.* 457. apud Leibnitium *Tom. II. Acceſsionum Hiſtoricarum edit. Lipſiæ* 1698.
(3) Confer, quæ dicemus *in Correct. & Addition. ad Hiſtor. Archiepiſc. Turrit.*
(4) Lege *eaſdem Correct. & Addition.*
(5) Præfata monimenta laudavi *in Catal. Archiepiſc. Turrit. num. XIII.*
(6) *Tom. I. Spicilegii pag.* 637. *edit. Pariſ.* 1723.
(7) *Tom. VII. Veterum Monumentor. col.* 82.
(8) *Tom. VI. Collect. Concil. Par.* 2. *col.* 2058. (9) *Tom. XIII. Concil. col.* 415.
(10) *Tom. II. Supplem. ad Concil. Veneto-Labbeana col.* 695.
(11) *Tom. III. in Epiſc. Adjacenſ. num.* 4. *col.* 494.

Digitized by Google

IV. JOANNES II.

Joannis nomen lego in quibuſdam *Inſtrumentis* apud cl. Muratorium (1). Ex his eſto nec annus electionis, nec emortualis deprehendi queat, tamen apparet, Sedem Giſarchienſem illum tenuiſſe anno MCCXXXVII., ſiquidem eo tempore præfata *Inſtrumenta* acta dicuntur.

V. GENTILIS.

Hic Giraclenſis Antiſtes memoratur a Franciſco Vico (2). Quo anno Eccleſiam rexerit Auctor noſter non indicat, ſed quantum conjectura ſum aſſequutus, poſt medietatem, & forſitan etiam ſub finem ſæculi decimi tertii Epiſcopale gerebat munus.

VI. BERNARDUS.

Scribit idem ipſe Vicus, Bernardum fuiſſe Antiſtitem anno MCCCIII.

VII. JOANNES III.

De Joanne, qui ex familia Franciſcana ad regimen hujus Eccleſiæ aſſumptus fuit, id unum ſcimus, circa annum MCCCL. vivere deſiiſſe (3).

VIII FRANCISCUS.

Ejuſdem Familiæ alumnus, cum *Superioris Localis* munere fungeretur in Conventu Caſtellionis Imperiarum Gerundenſis Diœceſis, datus eſt ſucceſſor Joanni anno MCCCL. ſexto Calendas Decembris (4).

IX. RAYMUNDUS.

Epiſcopus iſtius Eccleſiæ anno MCCCLXXXV. laudibus cohoneſtatur a Vico, ex quo duntaxat mihi innoteſcit.

X. JACOBUS.

Eccleſiam Sardenſem in Lydia Aſiæ Provincia cum hac commutaſſe Jacobum anno MCCCXCVI. Idibus Septembris ex *Regeſtis* Conſtitutionum Pontificum tradit Wadingus (5). Idem poſt Wadingum ſentit Lequienius (6), ſed is ingenuè fatetur, ſe neſcire in qua Mundi parte Sedes *Giraclenſis* poſita fuerit.

XI. SIMON CHRISTOPHORI.

In Dalmatia natus ex Ordine Dominicano Giraclenſem Epiſcopatum acquiſivit anno MCCCCXII. Hujus extat memoria in Mſs. Abrhami Bzovii, quæ judice Fontana (7) in ſui Ordinis Tabulario aſſervantur, his verbis: *Simon Chriſtophori de Jadra Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Giſarelenſis, ſeu Giſarchenſis in Sardinia Provincia Turritana a Joanne XXIII. Nonis Octobris anno III.*

ANTONIUS STAMINGUS. In locum Simonis ſubſtituit Vicus anno MCCCCXIX. Antonium Stamingum Franciſcanum. Mihi certò non conſtat, utrum is idem ſit ac Antonius Stamingus item Franciſcanus, qui anno MCCCCXIII. creatus Boſanenſis in Sardinia Pontifex, anno MCCCCXVIII. tranſiit ad Sedem Marturanenſem in Calabria; attamen cum

(1) *Tom. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſert. 71. col. 16. 18.*
(2) *Tom. II. Hiſt. Sard. Par. 4. cap. 33.*
(3) Conſule *Conſtit. Clementis VI.* incipit: *Apoſtolatus Officium* apud Wading. *Tom. VIII. in Regeſt. Pontif. pag. 400.*
(4) V. *Conſtitut. citatam.*
(5) *Tom. IX. ad eum ann. num. 3. pag. 131.*
(6) *Tom. III. Orient. Chriſt. col. 1067.*
(7) *Theat. Domin. pag. 198.*

cum ſimile habeat nomen, cognomen, inſtitutum, atque ætatem, in ea ſum ſententia, ut judicem non fuiſſe diverſum. Si rem acu tetigi, neceſſe eſt aſſeramus, Vicum ex ingenio in Præſulibus Giraclenſibus Antonium numeraſſe.

XII. Antonius I. Pinna.

Canonicus erat Turritanus, quando anno MCCCCXXI. creatus eſt Epiſcopus. Concilium Diœceſanum celebravit in Eccleſia Sanctæ Mariæ *de Ocier*, in quo viginti novem Conſtitutiones ad bonum totius Diœceſis regimen editæ fuerunt.

XIII. Antonius II. Cano.

Alteri Antonio jam vita functo ſucceſſit anno MCCCCXXXVI. Vicus memoriæ prodidit, duodecim annis hanc Eccleſiam rexiſſe, proinde Antonius ille eſt *Biſargenſis* Pontifex, ad quem anno MCCCCXLI. Eugenius IV. Papa Epiſtolam dedit pro translatione Sedis Turritanæ ad oppidum Saſſaritanum (1), cujus ipſe Archiepiſcopus electus fuit anno MCCCCXLVIII.

XIV. Sissinus.

Renuntiatus eſt Epiſcopus anno MCCCCXLVIII. Obiit verò Wadingo judice (2) anno MCCCCLXVI. Hic eſt Siſſinus ille, quem vidimus Eccleſias Sulcitanam, & Ampurienſem in Sardinia antea gubernaſſe.

XV. Ludovicus a Sancta Cruce.

Ordinis Minorum alumnus ſucceſſit Siſſino Nonis Julii. Wadingus memoratus (3) exiſtimat, Ludovicum Antiſtitem fuiſſe Biſacienſem in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Compſano. Verum multa ſunt, quæ oſtendunt, hanc moderatum eſſe Eccleſiam.

In primis Ughellius (4) inter Biſacienſes Epiſcopos Ludovicum non modo non agnoſcit, ſed inſuper refert Guillelmum, quem ab anno MCCCCXXVIII. ad MCCCCL. vixiſse ſcimus, cui mortuo ſtatim ſubrogatus eſt ex Actis Conſiſtorialibus Petruccius *de Migliolo*; tum dicitur ſuffectus Siſſino, qui certò fuit Guiſarchienſis Antiſtes; deinde præfatus *Annaliſta* ſcribit, ſub an. MCCCCLXXXV. naturæ ſatisfeciſſe Ludovicum quemdam (5) hujus Sedis Pontificem, quem alium non fuiſſe a Ludovico noſtro, cœcus eſt, qui non videt; tandem inter Guiſarchienſes Præſules memoratur a Vico, qui præterea ait, Eccleſiam Guiſarchienſem multum nobilitaſſe, ſiquidem renidebant in eo pietas non vulgaris, ac inſignis litteratura maxime Theologica.

XVI. Michael Lopre de la Sorva.

Item Franciſcanus renuntiatus eſt anno MCCCCLXXXV. (6). Ne integrum quidem annum fuiſse Giſarchienſem Antiſtitem tradit Vicus, nec tamen ſcribit, an mortuus, an aliò translatus fuerit. De tempore, quo Eccleſiam rexit, Vico aſsentitur Wadingus (7), ſed hic admonet, anno MCCCCLXXXVI. quarto Calendas Aprilis ad Sedem Rubicenſem in Inſulis Fortunatis tranſiiſse.

Ee XVII.

(1) Exſt. apud Vital. *in App. ad Annal. Sard. col.* 33.
(2) *Tom. XIII. Annal. Min. ad eum ann. num.* 5. *pag.* 387. *edit. poſtrema.*
(3) *Loco indicato.*
(4) *Tom. VI. num.* 16. *col.* 837.
(5) *Tom. XIV. ad eum an. num.* 15. *pag.* 399.
(6) Vid. Wading. *loco indic.*
(7) *Ad annum* 1486. *num.* 23.

XVI. GARSIAS QUIXADA.

Sacris Inſulis inſignitus dicitur ab eodem Wadingo (1) anno MCCCCLXXXVI. Non ſecus atque alii duo, quos nuper commemoravi, Ordini Fratrum Minorum ſe devoverat. Exacto quadriennio translatus eſt ad Guadicenſem Sedem in Betica nunc Granata (2). Anno verò MCCCCXCVIII. tranſiit ad Catanenſem in Sicilia (3).

Rochus Pirrus (4) hunc Epiſcopum *Franciſcum* appellat, *Garſiam* cognominat, nec eum Franciſcanum dicit. Quare doctus Annaliſta ita præfato Auctori ſubiraſcitur: *Denſæ hic tenebræ apud Rochum Pirrum in ſua Notitia Catanenſi. Garſiam cognomen facit Franciſci, & hunc ex Epiſcopatu Gandienſi in Regno Valentino ad Catanenſem translatum ſub annum MCCCCXCII. Varii ſunt errores perſonæ, temporis, & loci, ex quo facta eſt translatio: neque enim Urbs Gandienſis Valentina eſt Epiſcopatus: ſeries etiam Epiſcoporum ſequentium non cohæret.* Miror, clariſſimum Mongitorem, qui tertiam Siciliæ Sacræ editionem in pluribus emendavit, & auxit, hæc non vidiſse.

XVII. N.

Reverendiſſimus P. Magiſter Franciſcus Sampſonus Brixianus noſtri Senenſis Conventus Sancti Franciſci alumnus, ac univerſæ FF. Minorum Familiæ Miniſter Generalis an. MCCCCXCI. die undecima menſis Martii facultatem fecit Fratri Didaco *de Narclavis* Minoritæ petendi in Sardiniam ad quædam negotia Epiſcopi Biſarchienſis gerenda (5). Dummodo verum ſit, quod ex Wadingo nuper de tempore translationis Garſiæ ad Sedem Guadicenſem ſtatutum a me eſt, hic Epiſcopus a memorato Garſia diverſus cenſeri debet. Veriſimillimum item exiſtimo, fuiſſe non ſecus, atque proximum ſuum deceſſorem Sancti Franciſci Filium, ſiquidem ſui contubernalem Fratrem Minoritam adhibuit.

Pontificum Guiſarchienſium Hiſtoria ad umbilicum perducta jam eſſet, niſi Franciſcus Vicus nunc me cogeret ad quamdam ejus doctrinam ab illa, quam hactenus tradidi, penitus diverſam indicandam. Contendit is, Michaëlis ſucceſſorem, quem licet inſtituto Franciſcanum fateatur, peculiari tamen nomine non appellat, modico tempore in Epiſcopatu vixiſſe: huic ſubrogatum eſſe Martinum, qui anno MCCCCLXXXVII. Eccleſiam Guiſarchienſem cum Vigilienſi in Regno Neapolitano commutans ſucceſſorem habuit Bernardum antea Vigilienſem Pontificem.

Utrum ita ſe res habeat, videant, qui certiora nanciſcentur monumenta. Ego interea animadverto, quod Vicus narrat, non modo Wadingo Garſiam Eccleſiam hanc ante annum MCCCCXC. non dimiſiſſe ſcribenti, verum etiam Ughellio (6), ex Actis Conſiſtorialibus, memoratos Epiſcopos Biſacienſi Eccleſiæ ſub Metropoli Compſana adjudicanti eſſe contrarium.

ECCLE-

(1) *Ibidem*. (2) *Ad annum* 1490. *num.* 49.

(3) Lege Wad. *ad eum ann. num.* 27. (4) *Tom. I. Sic. Sac. pag.* 550. *edit. novæ*.

(5) In *Regeſtis* eorum temporum, ubi de Hiſpanica S. Jacobi Provincia agitur, in Ordinis Tabulario ad Sanctos Apoſtolos aſſervatis hæc leguntur „ conceditur F. Didaco *de Narclavis* „ licentia eundi in Sardiniam ad expedienda quædam negotia Epiſcopi Biſarchienſis, & in eo„ dem Regno morandi ſub cura, & obedientia Prælatorum Ordinis. Datum Romæ die 11. „ menſis Martii anno 1491.

(6) *Tom. VI. col.* 837. Ughellius ſecundum Epiſcopum *Bernardinum* vocat.

ECCLESIA OTHANENSIS.

ALtum eſt apud Geographos, & Hiſtoricos antiquos de Othana Urbe ſilentium. Octanum memoratur quidem in Chronico III. Piſano (1), ſed cum ibi *Villa* vocetur, opinor illud fuiſſe ab Othana, de qua in præſentia ſit ſermo, diverſum. Nam hæc iis temporibus, quibus Chronicum illud confectum fuit, non Villa, ſed Civitas erat Epiſcopalis. Recentiores vero Geographi quædam de Urbe Othana memoriæ prodiderunt. Martinierus enim (2) ſitam fuiſſe in parte Septemtrionali Inſulæ ſcribit. Martiniero præivit Ferrarius (3) qui præterea aſſerit, tredecim millia paſſuum *ab Ampurio* diſtaſſe. Hallucinatur tamen exiſtimans, Othanam eandem fuiſſe Civitatem ac *Othocam*, quam nunc vocari *Oſæam* opinantur (4) Joſias Simlerus, ac Petrus Weſſelingius.

Jam inde a pluribus annis diruta jacet, nihilque per hæc tempora manet, quam ſacra ædes campeſtris Beatæ Mariæ Virgini nuncupata, quæ olim Cathedralis erat, illiuſque *Capitulum* ex Archipresbytero, octoque Canonicis conſlatum erat. Ejuſmodi Epiſcopatus iu libro, ut loquuntur, *Taxarum*, *Ottatienſis*, ſeu *Octavenſis*, in eo vero, quem dicunt cenſuum S. R. E. a Cencio Camerario confecto (5) *Ozanenſis* appellatur. Epiſcopus autem vocatus etiam eſt *Ortillenſis*, eo quod in oppidulo *Ortilli* antiquitus morabatur. Hæc leguntur verba in quodam diplomate pro Monachis Camaldulenſibus anno MCXXXIX. ab Incarnatione dato: *Ego Ugo licet indignus Eccleſiæ S. Joannis Epiſcopus ſitæ in loco, qui dicitur Ortilli* (6).

Ortillum, ſeu *Orotellum* inter Diœceſis Algarienſis loca recenſetur a P. Vitali (7), cumque ſtatim poſt hoc numeret *Otanum* ſatis indicat, non multum inter ſeſe diſtare. Nuntiatum mihi a Sardis fide dignis eſt, alterum ab altero abeſse circiter millia paſsuum quatuor: Eccleſiamque S. Joannis adhuc exſtare. De tempore, quo hæc Sedes abolita, ſeu aliò translata fuit, in Eccleſiæ Algarienſis Hiſtoria diſputavi.

EPISCOPI OTHANENSES.

Georgius. Subſcripſit an. DCCCCLXIV. Conſtitutioni Leonis VIII. Romani Pontificis (8). Sententia eſt Vici (9), hujuſmodi Epiſcopum, quem tamen neſcio quo errore *Jacobum* appellat, omnium primum Othanenſem rexiſse Eccleſiam. Mihi opinio Vici minus arridet, tum quia nullum exſtat lit-

(1) Apud Ughell. *Tom. X. Ital. Sac. col.* 107.
(2) *Tom. VII. Dict. Geograph.* ad v. *Othana*.
(3) *Lexico Geograph.* ad v. *Othoca*.
(4) *In notis ad Itinerarium Antonini pag.* 84. *edit.* 1735.
(5) Apud Murat. *Tom. V. Antiq. Medii Ævi Diſſert.* 69. *col.* 825.
(6) Exſt. *Tom. III. Annal. Camaldul. in Append. num.* 247. *col.* 379.
(7) *Appar. ad Annales Sard. col.* 34.
(8) Hanc refert doctiſſimus Baronius *T. XVI. ad eum annum num.* 25. *pag.* 151. *edit. Luc.*
(9) *Tom. II. Hiſt. General. Sard. Par.* 6. *cap.* 13.

litteris antiquum teſtimonium, oppidum hoc ante ſæculum undecimum proprium habuiſse Antiſtitem demonſtrans, tum etiam quia Georgius non Othanenſis, ſed Ottenenſis Præſul vocatur.

Quum Urbs *Otthen*, ſeu *Ottonium* ſit in Inſula Daniæ, quæ Fionia dicitur, media inter Neoburgum ad ortum, & Mildeſariam ad occaſum (1), & olim Sedes fuerit Epiſcopalis, quemadmodum tradit Ferrarius, Georgium in Dania potius quam in Sardinia Epiſcopum fuiſse, dummodo umquam exſtiterit, ſatis veriſimile primò ducebam; verum cum poſtea Chorographicam Daniæ deſcriptionem a Pontano (2) adornatam pervolvens intellexerim, Daniæ Urbem *Otthonium* anno DCCCCLXIV. nondum in rerum natura fuiſſe, ut quæ conſtructa fuit a Rege Araldo Gormonis Filio Ottonis Imperatoris ætate, qui ab anno DCCCCLXII. ad ann. uſque DCCCCLXXIII. Imperii habenas eſt moderatus, cujus nomine etiam Rex inſignire eam voluit, ut gratiam Ottoni reſerret, a quo is ad ſacra Chriſtiana fuerat invitatus; fateri coactus ſum, me certò ignorare ad cujuſnam Urbis Epiſcopum ſolemnis impoſtor reſpexerit.

Fortaſſis hujus Epiſcopatus nomen depravatum eſt, ac pro *Ottenenſis* legi debet *Hortenſis*, ſeu *Ortonenſis*. Equidem Conciliabulo Romæ an. DCCCCLXIII. habito, cujus Acta poſt immortalem Baronium (3) referunt ſinguli alii Conciliorum Collectores, ſubſcriptum invenio Hortæ Etruriæ Civitatis Pontificem, licet quonam pacto vocatus ille fuerit, ex Actis laudatis non appareat, nec deprehendere quiverint Ughellius, Lucentius, Coletus, immo nec Fontaninus ipſe, qui de memoratæ Urbis Hiſtoria cum Civili, tum Eccleſiaſtica diligentius, atque eruditius, quam alii fecerint commentaria Romæ an. MDCCVIII. in lucem emiſit; quæ iterum poſt tria luſtra publicata fuerunt Amſtelodami in Theſauro Burmanniano.

I. JOANNES I.

Anno circiter MCVI. hujus Eccleſiæ Antiſtes conſecrationi Eccleſiæ SS. Trinitatis *de Sacargia* interfuit (4). De ejus nomine nihil certi exploratum habeo. Verumtamen opinor, appellatum fuiſſe Joannem, nec ab eo differre, qui anno MCXVI. die 16. menſis Decembris una cum aliis Sardiniæ Præſulibus quædam privilegia PP. Camaldulenſibus ab Attone Archiepiſc. Turritano, & Conſtantino Rege conceſſa tabulis firmavit (5).

II. UGO I.

Ugonem hanc Eccleſiam anno MCXXXIX.

(1) V. Ferrarium *in Lex. Geograph.* ad verb. *Ottonium*, & Baudrandium *ibidem*.

(2) *Pagina 721, edit. Amſtelod. 1631.* Joannes Meurſius *Hiſt. Daniæ lib. 3. pag. 48. edit. Amſtelod.* 1631. Urbem *Ottonium* ab Othino multò ante natum Ottonem ædificatam contendit. At licet hoc Viro eruditiſsimo do, non iccircò aliqua ineſt ratio, cur Georgium Otthonii in Dania Epiſcopum fuiſse exiſtimem; nam ante annum 964. nullum alium Epiſcopatum in Dania inſtitutum eſse apud Annales Eccleſiaſticos deprehendere potui, præter Sliavvichenſem, Ripenſem, & Arhuſienſem anno 949. erectos. Adeundi Viri eruditiſsimi Baronius *ad eum an. num. 3.*, & Pagius *ad cit. an. num. 2. Tom. XVI. pag. 68. 69. edit. Lucenſ.*

(3) *Tom. indic. ad eum an. num. 12. pag. 132., & ſeq.*

(4) V. Catalogum Epiſcoporum, quem exhibui *in Hiſt. Archiep. Turrit. num. VII.* In hoc hujus Eccleſiæ Præſul dicitur *Su Epiſcopu de Ortilen*, ex quo patet, non fuiſse primum Ugonem, qui *Ortilli* moram traxerit.

(5) Conſulito Vicum *Par. 6. cap. 18. fol. 68.*

Digitized by Google

CXXXIX. rexiſſe liquido conſtat ex illius temporis diplomate a clariſſimis Viris Mittarellio, & Coſtadonio (1) publicato, quo is Templum S. Petri *in Olim* Patribus Camaldulenſibus dono conceſſit.

III. Zacharias.

Memoratur in *charta* ab eruditiſſimo Muratorio (2) publici juris facta, qua Turritanus Pontifex Albertus Monachos Caſſinenſes a quorundam cenſuum ſolutione anno MCLXX. liberè exemit.

IV. Ugo II.

Epiſcopatum Othanenſem gerebat anno MCLXXVI., quo tempore adſuit conceſſioni a Turritano Præſule domui Hoſpitali S. Leonardi *de Stagno Piſano* factæ (3). In memorati Alberti litteris, ex quibus duntaxat hic Antiſtes nobis innoteſcit, quomodo appellatus fuerit, expreſſum non eſt; at cum per litteram U deſignetur, ſatis probabile mihi fit, Ugonem vocatum eſſe.

V. Gregorius.

Habetur de Gregorio mentio in Epiſtola Richi Archiepiſcopi Calaritani, qua ille notificat, ſe delectum fuiſſe ab Innocentio III. Rom. Pontifice ad conciliandos, & reipſa conciliaſſe Monachos Caſſinenſes Archiepiſcopo Turritano, qui ad annum uſque MCCV. tertio Nonas Maii, quando pacificatio facta eſt, diſſidentes inter ſe fuerant.

In præfata Epiſtola Gregorius Epiſcopus *Auttenſis* nuncupatur non modo apud Gattolam (4), qui primò eam edidit, verum etiam apud Manſium (5), qui iterum in lucem emiſit. Eccleſiam *Auttenſem* in rerum natura aliquando extitiſſe non conſtat; hinc firmiter teneo, lectionem eſſe depravatam, & loco *Auttenſis*, reſtituendum *Othanenſis* eſſe.

Gregorius noſter memoratæ reconciliationis princeps cauſſa fuit: en quibus verbis Richi Epiſtolæ finis imponitur: *hæc Acta ſunt in Eccleſia S. Mariæ de Ardrea* (Ardera), *ubi pro Concilio conveneramus. Teſtes donnus Gregorius* Auttenſis *Epiſcopus, qui hujus concordiæ auctor extitit principalis, & donnus Joannes Archipresbyter S. Gavini, & donnus Jorgius Scarpa Prior Sancti Gavini, & D. Raffael, & Jantus Merla. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo quinto, indictione ſeptima, tertio nonas Madii.*

VI. Constantinus.

Othanenſi præerat Populo ann. MCCXXXVII. Manifeſtum id eſt ex duobus diplomatibus Petri Judicis Arborenſis ab eruditiſſimo Muratorio (6) exhibitis.

VII. N.

Inter Antiſtites, qui Synodo Nationali Bonarcadæ in Sardinia anno MCCLXIII. celebrato adſuere, refertur quoque Epiſcopus Othanenſis, ſed illius nomen recitetur. Plura de hujuſmodi Concilio diſputata a nobis ſunt in Archiepiſcopis Turritanis.

VIII. Nicolaus.

Othanenſis Antiſtes anno MCCCC. Dia-

(1) *Op. & loco paullò ante indic.* (2) *Tom. II. Antiq. Medii Ævi Diſſert. 32. col. 1031.*
(3) Lege *Epiſt. Alberti* apud Wadingum *Tom. IV. in Regeſ. Pontif. pag. 486.*
(4) *Par. 1. Hiſt. Abbat. Caſſin. pag. 427.*
(5) *Supplem. ad Concil. Veneto-Labbeana Tom. II. col. 789.*
(6) *Tom. VI. Antiq. Ital. Medii Ævi Diſſert. 71. col. 16. & 18.*

Diaconatus Ordinem contulit B. Petro Congregationis Camaldulenſis natione Sardo. Hujus rei monimentum eſt in manibus eximii P. Abbatis Mittarellii, prout mihi ſignificavit per litteras.

IX. BLASIUS.

Teſte Franciſco Vico Eccleſiam hanc regebat an. circiter MCCCCVI. Nihil præterea de illo habet.

X. SIMON.

Blaſio ſucceſſit an. MCCCCXXIX., inquit idem ipſe Vicus, *Simon natural de la miſma* (Turritana) *Provincia, y Abad de San Miguel de Salvenaro de la Orden de Valumbroſa en la Dioceſis de Plovacen*, qui *con grande fama de Santidad* floruit. Simonem Abbatem fuiſſe S. Michaelis *de Salvenaro* non eo inficias, at Congregationis Vallis Umbroſæ alumnum extitiſſe non plane credo, ſiquidem hujus Sodalitatis Monachi jam a pluribus annis Sardiniam deſeruerant (1).

Quatuor luſtris Othanenſem Eccleſiam gubernavit; etenim e medio abiit, Wadingo (2) judice, anno MCCCCLIV. circiter.

XI. JOANNES III. DE SALMIS AUREIS.

Sardus non ſecus atque Simon, cum ſe Religioni Franciſcanæ devoviſſet, munuſque gereret Vicarii Generalis in tota Sardinia, an. MCCCCLII. adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitor in eadem Inſula inſtitutus eſt a Nicolao V., uti ex ejus Conſtitutione (3) fit manifeſtum. Biennio poſt Cathedram Othanenſem conſcendit (4), quam ſub annum etiam MCCCCLIX. obtinebat, quo in Hiſpania exiſtens, ob conciones, quas ibi recitavit hæreſeos inſimulatus eſt „ Fuiſſe etiam (*verba* „ *ſunt Wadingi*) Epiſcopum Othanen- „ ſem in Sardinia ſub Archiepiſcopo „ Turritano Fratrem Joannem de Sal- „ mis Aureis Minoritam, habeo ex „ relatione miſſa ad Rodericum S. Ni- „ colai in carcere Tulliano Diaconum „ Cardinalem S. R. E. Vicecancella- „ rium, Eccleſiæ Valentinæ admini- „ ſtratorem, quod prædictus Epiſco- „ pus in Civitate Valentina prædica- „ verit, S. Chriſtophorum altius por- „ taviſſe Chriſtum, quam portaverit „ B. V. Maria, & alia hujus generis; „ propter quod inſtabant aliqui, ut „ contra ipſum inquireretur (5).

Quid reipſa acciderit, an ſcilicet in Joannem quæſitum fuerit, ob monumentorum defectum definire non audeo. Illud compertum mihi eſt, Pium II. P. M. anno MCCCCLIX. decimo Calendas Auguſti adverſus Joannem litteras ſcripſiſſe, quæ in Tabulario Vaticano aſſervantur, teſte Petro *de Alva* (6), ſed quale crimen in illo eis reprehenderit Pontifex, hactenus ſcire cupio.

Plures annos hac adminiſtrata Eccleſia, translatum fuiſſe ad Sedem Boſanenſem aſſerit Vicus, qui de anno, quo hujuſmodi translatio evenit, pugnantia ſcribit, dummodo numeri Typographorum culpa vitiati non ſint. Nam in Catalogo Epiſcoporum Boſanenſium ab Othanenſi Eccleſia ad Boſanen-

(1) V. quæ hac de re diximus *in Epiſcop. Caſtrenſ. num. XIV.*

(2) *Ad eum annum num. 64.*

(3) Exſt. apud Wading. *ad eum an. num.* 30. *Tom. XII. pag.* 143. *edit. Rom.*

(4) Confer Wading. *ad eum annum num. 64.*

(5) *Ad annum* 1460. *num.* 34. *pag.* 166. *Tom. XIII.*

(6) *Indiculo Bullar. Seraph. Par.* 2. *pag.* 44. *num.* 51. incip. *Pia cunctis*: datæ dicuntur decimo Calen. Auguſti. Joannes mendoſe vocatur Epiſcopus *Octonenſis*.

ſanenſem tranſiiſſe an. MCCCCLXXVI. exiſtimat ; in ſerie Antiſtitum Othanenſium ait, hanc dimiſiſſe Sedem circa annum MCCCCLXXI.

Quonam pacto hæc inter ſe conciliari queant, videant alii. Interea admoneo, Wadingum in Annalibus hujus translationis non meminiſſe. At ejuſmodi prætermiſſiones in Viro alioquin erudito multum frequentes ſunt, uti vel ex hoc noſtro Opere quiſque percipere poterit.

XII. ANTONIUS.

Epiſcopatum acquiſivit an. MCCCCLXXI. Mortuus eſt an. MCCCCLXXIV. Wadingus (1) aut ignoravit, aut omiſit, cujus exſtiterit Antonius inſtituti, at Vicus in ſcriptis reliquit, ad Franciſcanam Familiam ſpectare.

XIII. HIERONYMUS SECCHIUS.

Is quoque Ord. Fratrum Minorum nomen dederat. Regimen iſtius Eccleſiæ ſuſcepit anno, quem modo indicavi, ſeptimo Idus Septembris (2).

XIV. LUDOVICUS CAMAYNAS.

Quartus eſt Epiſcopus, qui ſine ulla intermiſſione ex Franciſcana Societate aſſumptus fuerit ad Othanenſem moderandam Eccleſiam. Teſtatur Wadingus (3) renuntiatum fuiſſe Pontificem anno MCCCCLXXXI.

XV. DOMINICUS MILIA.

Saſſari in lucem prodiit. Ex Canonico Eccleſiæ Cathedralis patriæ ad Epiſcopalem dignitatem evectus perhibetur anno MCCCCLXXXVII.

XVI. JOANNES IV. PEREZ.

Poſtremus Epiſcopus hic eſt, qui Othanenſem Eccleſiam diviſim rexerit. Fuit natione Hiſpanus in Regno Caſtellæ natus, atque ex Rectore cujuſdam Paræciæ in Diœceſi Conchenſi ſitæ, Sacris Infulis inſignitus an. MDI. Triennio poſt vitam cum morte commutavit.

(1) *Tom. XIV. ad eum annum num. 19. pag. 112.*
(2) Confer Wading. *ibidem*.
(3) *Ad eum annum num. 22. pag. 172. Tom. citato.*

ECCLE-

ECCLESIA PLOVACENSIS.

PLovaca Civitas, quæ latinè *Plubium*, *Pluvium*, *Planatum* quoque appellatur, ponitur a Ptolemæo (1) in ora litorali Sardiniæ Boream verſus. De ejus determinato ſitu non una eſt Geographorum opinio. Ac Niger (2) quidem autumat, eo loci fuiſſe, quo nunc eſt oppidum Saſſaris; ſed, obſervante Ferrario (3), Niger turpiter errat, ſiquidem *Saſſaris* eſt Urbs mediterranea, *Plovaca* fuit maritima. Cl. Cluverius (4) e contrario, cui aſſentitur Baudrand (5), exiſtimat, Plubium ibi extitiſſe, ubi nunc reperitur pagus, qui *S. Reparata* nuncupatur.

Hanc Urbem fuiſſe olim Epiſcopalem Sedem exploratæ fidei eſt; id non modo Martiniero (6), & Laſor (7), verum etiam quod magis haberi debet, Cencio Camerario, & veteribus *Notitiis* Eccleſiaſticis, quas alibi memoravimus, teſtantibus. Sæculo Eccleſiæ decimo ſexto ineunte hujuſmodi Sedem ſuæ Metropolitanæ unitam fuiſſe communis eſt Auctorum ſententia; hinc Pontifex Turritanus in publicis diplomatibus Epiſcopum Plovacenſem ſemet appellat. *Capitulum* Eccleſiæ Cathedralis Deo ſub *S. Petri* invocatione ſacræ, ex Archipresbytero, & ſeptem aliis Canonicis conflatum erat.

Duo in Diœceſi Plovacenſi exſtabant Monaſteria digna, quæ hic a nobis memorentur; alterum eſt S. Michaëlis *de Salvenero*; alterum SS. Trinitatis *de Sacargia*. Primum ſub Gualdo Abbate Generali ad Monacbos Vallumbroſanos acceſſit (8), quibus Innocentius II. Pontifex Maximus anno MCXXXIX. illud confirmavit (9). Poſt eorum e Sardinia diſceſſum, quis præfatum Monaſterium ſtatim obtinuerit, mihi non conſtat. Litteris conſignavit Vicus, ſæculo decimo quinto S. Michaëlis *Abbates* fuiſſe Simonem, & Leonardum, quorum unus an. MCCCCXXIX. Othanenſem, alter anno MCCCCLIX. Caſtrenſem Epiſcopatum acquiſivit. Leonardo anno, quem modò citavi 18. Calendas Majas ſucceſſit F. Franciſcus *de Caſali* Minorita Conventualis Vir doctrina celebris, prout ex litteris (10) Pii II. ſit manifeſtum.

Secundum Monaſterium a Conſtantino Rege Turritano (11) an. MCXII. conceſſum PP. Camaldulenſibus fuit. Quando illud deſeruerint, examinandum relinquo Mittarellio, & Coſtadonio Viris eruditiſſimis. Huic Monaſterio aliud S. Petri *de Scano* in Diœceſi Boſanenſi poſitum ſubjectum erat, quod non ſecus, ac primum amiſerunt Camaldulenſes. De certo tempore, quo factum id eſt, nihil, quantum recordor, legi umquam. Illud tamen ſcio, medio ſæculo

(1) Apud Ferrar. *in Lex. Geograph.* ad verb. *Plubium*. (2) Apud Ferrar. *ibidem*.
(3) *Ibidem*. (4) *Sard. Antiq. col.* 24.
(5) *Lex. Geograph.* ad verb. *Plubium*.
(6) *Diction. Geograph.* ad verb. *Ploague*.
(7) *Tom. II. Univerſi Terr. Orbis* ad verb. *Plubium*.
(8) Confer Eudoxium Locatellum *in Vitis SS. Valliſumbroſæ pag.* 215.
(9) Vid. *ejus diploma* apud Fulgentium Nardum *in Tab. Chronol. pag.* 16.
(10) Lege Wading. *Tom. XIII. ad eum ann. num.* 33. *pag.* 133.
(11) V. *Hiſt. Archiepiſc. Turrit. num. VIII.*

lo decimo quinto circiter non amplius ad eos ſpectaſſe; nam compertum habeo, ad *Prioratum* redactum Calliſtum III. Summum Pontificem anno MCCCCLVI. quarto Calendas Auguſti illud conceſſiſſe F. Gregorio *Primæ* Minoritæ Conventuali non minus doctrina, quam nobilitate (erat enim Calliſti Nepos) illuſtri: *ut ſtatum* (his verbis Pontifex F. Gregorium alloquitur) *tuum decentius tenere valeas, pro quo dilectus filius nobilis vir Seraphinus Montagas Nepos noſter aſſerens te germanum tuum fore humiliter ſupplicavit &c.* (1).

EPISCOPI PLOVACENSES.

I. Jacentinus.

Jacentinum anno MXC. Epiſcopum fuiſſe, teſtis eſt Vicus (2), qui affirmat, Antiſtitum Plovacenſium catalogum ſe ex monumentis illius Eccleſiæ antiquis in Tabulario Saſſaritano aſſervatis decerpſiſſe.

II. Petrus I.

Unus eſt ex iis Pontificibus, qui anno MCXVI. die 16. Decembris confirmarunt quædam privilegia ab Archiepiſcopo Turritano Patribus Camaldulenſibus collata (3).

III. Constantinus I. de Vico.

Eccleſiam Plovacenſem moderabatur anno MCXXXVI. judice Franciſco Vico.

IV. Gualfredus.

Vidua facta per Conſtantini mortem hac Eccleſia in Epiſcopum electus Gualfredus eſt. Ejuſdem regimen tractabat anno MCXXXIX., quo donationi ab Ugone Præſule Otanenſi PP. Camaldulenſibus factæ interfuit (4).

V. Constantinus II. de Lella.

Meminit Conſtantini diploma in lucem a clariſſimo Muratorio (5) emiſſum, quo Albertus Turritanus Pontifex an. MCLXX. Monachos Caſſinenſes ab onere quorundam cenſuum abſolvit.

Fuit dubio procul Conſtantinus noſter patria Turritanus, atque Eccleſiæ Turritanæ Archipresbyter; nam Conſtantinus *de Athen* anno MCXXXVI. die 20. menſis Maii ſe nonnulla bona Monachis Caſſinenſibus dono dediſſe fatetur *cum voluntate deſſos Clericos de S. Gaviniu, deſſu Archipreite domnu Conſtantinu de Lella* (6). Porrò Conſtantinum hunc eumdem eſſe, ac Conſtantinum Plovacenſem Antiſtitem nomen, cognomen, ac tempus ſuadere videntur.

VI. J.

Conſtantino ſucceſſit Epiſcopus, qui, ſicuti ex Epiſtola memorati Alberti (7) exploratum eſt, in Plovacenſi Cathedra ſedebat anno MCLXXVI. Ejus nomen me omnino fugit, atque id unum ſcio, a littera I. initium ſumpſiſſe. Sat hoc eſt ad oſtendendum, veri-

Ff tati

(1) Adiſis Wading. *Tom. XII. ad cum an. num. 225. pag. 481.*
(2) *Par. 6. cap. 8.*
(3) Apud Vicum *Par. 6. cap. 18.*
(4) V. Hugonis diploma *Tom. III. Annal. Camald. in Append. num. 247. col. 379.*
(5) *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſ. 32. col. 1051.*
(6) Lege *ejus diploma* apud Gattolam *Par. 1. H. A. C. pag. 156.*
(7) Conſulenda *Alberti Epiſtola* apud Wadig. *Tom. IV. in Reg. Pontif. pag. 486.*

tati conſonum haud eſſe, quod ſcribit Vicus, nempe *Conſtantinum* anno quoque MCLXXXVII. Eccleſiam adminiſtraſſe.

VII. OBERTUS.

Quod exploratum de Oberto habeo eſt, anno MCCXXXVII. Plovacenſem gubernaſſe Eccleſiam. Atque id apparet ex diplomate Judicis Arborenſis, quod nuper laudatus Muratorius publica luce donavit (1).

VIII. RAINERIUS.

Raymundus Ceſco a Vico appellatur, electuſque perhibetur anno MCCXCV. Poſt quadriennium 4. Calendas Maii eumdem Archiepiſcopum declararunt Eccleſiarum Arborenſis, & Tyrenſis jam tum inter ſe unitarum Marianus Mainelli, & Marianus de Ruo Canonici, quibus a Cathedralis Arborenſis *Capitulo*, ad quod reipſa ſpectabat deſignatio, data erat facultas Præſulis eligendi. At verò cum ſupplicatum ab eiſdem fuiſſet nomine laudati *Capituli* apud Bonifacium VIII., ut electionem confirmare dignaretur, poſtulationis examine Epiſcopo Tuſculano, duobuſque aliis Cardinalibus commiſſo, hi ſtatuerunt, juſtis de cauſſis non eſſe ratam habendam; unde Pontifex alio in Epiſcopum electo, illarum Eccleſiarum proviſionem ea vice Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſervavit, ac inſuper decrevit, *ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hoc ſcienter, vel ignoranter a quoquam contingeret attentari*. Hæc omnia conſtant ex Bonifacii VIII. Conſtitutione, quam exhibet Lucas Wadingus (2).

IX. N.

Bonifacius IX. Pontifex Maximus anno MCCCXCVIII. Idibus Octobris, Raynaldo judice (3) Epiſtolam dedit Plovacenſi in Sardinia Antiſtiti, cujus tamen nomen neque ex Raynaldo memorato, neque aliunde diſcere potui.

X. PETRUS II.

Certum tempus Petri electionis in hujus Eccleſiæ Paſtorem minime liquet. Conſtat autem, eum anno circiter MCCCCXXX. obiiſſe (4).

XI. SANCTES.

Petrum excepit Sanctes anno nuper indicato die decima Februarii. Fuit ex Inclyta Prædicatorum Familia (5), atque,

(1) *T. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſertat. 71. col. 16.* (2) *T. V. Annal. Min. in Reg. Pontif. pag. 598. edit. Rom.* (3) *T. VIII. ad eum ann. num. 39. pag. 41. edit. Lucenſ.*

(4) V. *Conſtitut. 240. Martin. V. Tom. II. Bull. O. P. pag. 698.*

(5) Vir clariſſim. Antonius Bremondius *opp. cit. pag. 708.* Sanctem Epiſcopum facit Plocenſem in Polonia: *F. Sanctus de Ferraria, Epiſcopus Plovacenſis, ſeu Plocenſis, vulgo Ploczko, in Polonia inferiori, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi.* Colligitur ex hoc, juxta Bremondii mentem Petrum quoque fuiſſe in Polonia Præſulem, eum ex Conſtitut. Martini V., quam ille recitat, apertè conſtet, huic Sanctem proxime ſucceſſiſſe. Verum Bremondius, & pace hoc dicam ſua, vehementer errat, hoſque duos Præſules injuria Sardiniæ abjudicat. Etenim Eccleſiam, cujus ego hiſtoriam in præſentia ſcribo, rexiſſe plura ſunt argumenta, quæ oſtendunt. I. Martinus V. ſemel, iterum, ac etiam tertiò teſtatur, ſe eligere Sanctem in Epiſcopum Plovacenſem. *Plovaca* Urbs fuit in Sardinia. Civitas Poloniæ *Plocum* vocatur a Baudrand, Laſor, Martiniero, Cromero, Guagnino *in Deſcript. Sarmatiæ Europeæ Fol.* 37. aliiſque bene multis, quos mitto, ut qui aliò propero. II. Veriſimillimum eſt, hujus Eccleſiæ potius, quam Plocenſis in Polonia fuiſſe Epiſcopum, quoniam ex Sardinia oriundus erat, natus ſcilicet

que, ut in ſcriptis reliquit Vicus, Eccleſiam duodecim annis gubernavit. Poſtremo ſuæ vitæ anno Eugenius IV. ad eum Epiſtolam dedit de translatione Sedis Turritanæ ad Urbem Saſſaritanam (1).

XII. Marcus.

Cum eſſet Plovacenſis Eccleſiæ Archipresbyter, ejuſdem creatus eſt Pontifex anno MCCCCXLII.

XIII. Nicolaus Basone.

Defuncto Marco ſtatutum fuerat, ut Sedes Plovacenſis an. MCCCCXLIV., quemadmodum habet *Liber Taxarum*, ſuæ Metropolitanæ conjungeretur, ſed neſcio, qua de cauſa ea determinatio executione caruit; immo poſt triennium Epiſcopus renuntiatus eſt Nicolaus *Baſone*, qui antea Archipresbyter Othanenſis erat.

XIV. Basilius Gambone.

Sardus in Provincia Turritana natus proximè ſucceſſit Nicolao anno MCCCCLXVI. Priuſquam Epiſcopalibus Infulis decoraretur, Canonici Sorrenſis officium geſſerat.

XV. Joannes.

Cordubæ in Regno Valentiæ hauſit lucem. Ex Ordine Sancti Hieronymi ad hanc Eccleſiam regendam aſſumptus dicitur anno MCCCCXCV. Poſt illius obitum initio Pontificatus Julii Secundi Epiſcopatus Plovacenſis Sedi Turritanæ unitus eſt.

licet in oppido Ferrariæ, ut *ex cit. Conſtitut.* apparet, quod olim ea in Inſula exſtabat. Adeundi Cellar. *Tom. I. Geograph. Antiq. lib. 2. cap. 11. pag. 774. edit. Lipſ.* Cluverius *Sard. Antiq. col. 23.* Martinierus *Tom. IV. Diction. G. C.* ad verb. *Ferraria*, alii. III. Epiſcopis Plovacenſibus Sardiniæ eos inſerit Vicus, monumentis antiquis Saſſari aſſervatis innixus, quæ licet fabellis non paucis ſcatere patiar, tamen quod ad Epiſcopos attinet, qui poſteaquam Sardinia in Regum Aragoniæ poteſtatem ceſſit, vita vixerunt, non adeò fabuloſa perſpecta a me ſunt, ut illis etiam ſine ratione auctoritatem adimi poſse cenſeam. IV., illudque graviſſimum. Nullus inter Præſules Plocenſes in Polonia relictus eſt locus Petro, & Sancti. Atque, ut id demonſtrem, oportet, me Pontifices Plocenſes ſæculi 15. recenſere, qui mihi pervolventi Polonorum Hiſtorias (ſeriem enim eorundem, quam contexiſse Stanislaum Lubieskium ex Pagio *ad an. 965. num. 6.* intelligo, nunquam vidi) occurrerunt. Ergo anno 1425. electus eſt in Plocenſem Epiſcop. Stanislaus Pavvlovvsky per mortem Jacobi, qui triginta tres annos hanc rexerat Eccleſiam. Confer Martinum Cromerum *de Geſtis, & Rebus Polonorum lib. 15. pag. 361. edit. Baſil.* 1568. Joan. Dlugoſsium *Tom. I. Par. 2. lib. 2. Hiſt. Polon. ad eum an. pag. 487. edit. Lipſ.* 1711. Stanislao ſucceſsit Paulus Gizicius Canonicus Ploc. anno 1440. Cromer. *lib. 21. pag. 466.* Dlugoſs. *lib. 12. col. 720.* Paulo anno 1464. ſubrogatus eſt Stiborius, & huic anno 1471. Caſimirus Maſoviæ Dux decem, & octo annis natus. Dlugoſs. *Tom. II. Par. 1. lib. 13. col. 474.*

(1) Exſt. apud Vitalem *Appar. ad Annal. Sard. col. 33.*

ECCLESIA SORRENSIS.

PAgus *Sorris* in iis numeratur locis a Salvatore Vitali (1), quæ Diœceſim Calaritanam conſtituunt; verum illum non eſſe, de quo nunc agere aggredimur, certa res eſt. *Sorra* Civitas olim Epiſcopalis Sardiniæ ſex leucis a Saſſari diſtans ponitur a Martiniero (2), cui præivit Laſor (3), qui inſuper animadvertit, antiquitus *Sorram* appellatam fuiſſe *Sorrelapem*, *Sorobolam*. Fortaſſis *Sorra* eadem fuit, atque Oppidum *Sorabilis*, cujus meminit Antoninus, & a viris doctis illud ipſum creditur, quod a Ptolemæo vocatur *Saralapis*, inque mediterraneis, locis ſub inſanis montibus ab ipſomet numeratur (4).

Certè quidem *Saralapis*, ſi Saſſaris reſpiciatur, ſpectat in Auſtrum, & ortum Solis, interque *Torralvam*, & *Burutam*, ubi a Laſor ſita aſſeritur *Sorra*, videtur ille exſtare, quemadmodum Sardiniæ Deſcriptionem antiquam auctore Cluverio, & recentem a Petro Vanderaa Annalibus Salvatoris Vitalis præfixam (5), conſideranti patere poteſt.

Deſcendo ad res Eccleſiaſticas, ac principio obſervo, jam uſque ab initio ſæculi duodecimi ſuos habuiſſe Epiſcopos, apertè conſtare; tum Eugenium IV. an. MCCCCXLV. cum audiviſſet, quod hæc, Boſanenſiſque Eccleſiæ *adeo in ſuis facultatibus, & redditibus tenues, & exiles exiſterent, quod earum Præſules nequirent juxta Epiſcopalis dignitatis exigentiam commodè ſuſtentari*, præfatas Eccleſias in omne tempus ſimul unitas voluiſſe, hac tamen lege, ut *cedente, vel decedente altero Præſulum Eccleſiarum prædictarum ſuperſtes ex eis Boſanenſis, & Sorrenſis Epiſcopus exiſteret, & nominaretur*, tametſi poſtmodum perſentiens Pontifex, ex ea *unione* oritura eſſe ſcandala, & diſſenſiones inter illarum Eccleſiarum *Capitula*, denuo ipſas ab invicem ſeparavit, ac in ſtatum priſtinum reſtituit (6). Porro Sorrenſis in eo perſtitit uſque ad ſæculi decimi ſexti initium, quo Turritanæ Eccleſiæ conjuncta eſt, ut Martinierus, ac Vicus (7) memoriæ prodiderunt, & ex eo quoque colligitur, quod Archiepiſcopus Turritanus ſeipſum Epiſcopum Sorrenſem appellat.

Eccleſia Cathedralis magnificè conſtructa dicata erat *Sancto Petro* Apoſtolo. In ea quotidie divinas canebant laudes præter alios *Beneficiatos*, & Clericos Archipresbyter, decemque Canonici.

EPISCOPI SORRENSES.

I. Albertus.

Anno circiter MCVI. adfuit conſecrationi Eccleſiæ SS. Trinitatis de *Sacargia* (8). Erat hujus Eccleſiæ Paſtor anno etiam MCXIII. quinto Calendas menſis Novembris, prout ex antiquo

(1) *Appar. ad Annal. Sard. col.* 31. (2) *Tom. IX. M. D. G. C.* ad verb. *Sorra*.
(3) *Tom. II. Univ. Terr. Orbis* ad verb. *Sorra*. (4) Apud Cluv. *col.* 27.
(5) Utraque exſtat *Tom. XV. Theſau. Antiq. & Hiſt. Italiæ Burmanni*.
(6) V. Conſtit. Eugenii IV. apud cl. Bremond. *Tom. III. Bullar. O. P. pag.* 233.
(7) *Par.* 6. *cap.* 9. (8) Confer *Catalog. Archiep. Turrit. num. VII.*

tiquo diplomate, cui ille ſubſcribit, a clariſſimis Annalium Camaldulenſium Scriptoribus in communem uſum dato (1) ſit manifeſtum.

II. JACOBUS I.

Una cum aliis Sardiniæ Antiſtitibus anno MCXVI. die 16. Decembris quædam confirmavit privilegia PP. Camaldulenſibus ab Azzone Turritano Præſule conceſſa (2). Si qua Vico (3) fides anno etiam MCXXVI. Jacobus in vivis erat.

III. JOANNES I.

Summo amore Monachos Camaldulenſes proſequutus eſt, ejſque plura bona dono conceſſit: *Interea*, inquit Auguſtinus Fortunius, *proficientibus multum in Sardinia Camaldulenſium Congregationibus, ibique inſtar providentiſſimarum Apum Deo deſervientibus Joannes Epiſcopus Sorrenſis dilargitur Sacræ Eremo Cœnobium S. Nicolai in Trulla, S. Mariæ in Seguntia, S. Petri Archennorum, & S. Petri in Monticleta* (4).

Donationem hanc, ex cujus epocha tempus, quo Joannes Sorrenſem Eccleſiam gubernabat, dignoſcitur, anno MCXIII. factam eſſe legitur in Libro, cui titulus: *Bona Sardiniæ*; eſtque in Tabulario Monaſterij S. Michaelis *in Burgo* Piſarum (5). Fortunius vero (6), quem ſequitur Vicus (7), factam dicit anno MCXXXIII. Quod legitur in præfato Libro, falſum eſſe ex eo colligitur, quod in diplomate (8) Honorij II. anno MCXXV. ſingula Monaſteria, & Eccleſias PP. Camaldulenſibus confirmantis, de Templo S. Nicolai *de Trulla* ipſis dono conceſſo anno MCXIII. a Petro, Ithocor, Mariano, & aliis *de Athen* (9) ſit mentio, de cæteris verò non item.

Quod autem ait Fortunius, non video, quamobrem negari queat. Unum, quantum capio, opponi poſſet, nempe quod ſcribit de S. Nicolao *de Trulla*; ſed Fortunius non inquit, Joannem elargitum eſſe Eccleſiam S. Nicolai, bene vero Cœnobium; forſitan aut is, aut alter, poſtquam anno MCXIII. Eccleſia PP. Camaldulenſibus conceſſa fuit, Monaſterium circa eam conſtruxit; hocque Epiſcopus Sorrenſis illis anno MCXXXIII. dono dedit.

Scio quidem Mittarellium (10), cui ob vetera monumenta mihi communicata multum debeo, & ob ejus eruditionem maximi facio, in ea eſſe ſententia, ut credat, laudatam donationem poſt medium ſæculum duodecimum rejiciendam eſſe; ſed ei hac in re non plane aſſentior, idque ægrè haud laturum eſſe confido, ſiquidem

Diverſum ſentire duos de rebus iiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Ideo autem Vir clariſſimus in illa verſatur opinione, quoniam in quibuſdam *excerptis* in Monaſterii Fontis-boni Tabulario aſſervatis habetur, Joannem *de Sargio* ea bona Monachis dediſſe aſſenſu

(1) *Tom. III. in Append. n. 166. col. 243.*
(2) Adiſis vetus Monumentum apud Vicum *Par. 6. cap. 18. fol. 68.*
(3) *Par. citata cap. 9.*
(4) *Hiſtor. Camaldul. lib. 2. cap. 10. pag. 153. ed. Florent. 1575.*
(5) Vid. *Tom. III. Annal. Camaldul. ad an. 1113. num. 25. l. 25. pag. 153.*
(6) *Loco indic.* (7) *Loco, quem ſupra laud.*
(8) Exſt. *T. III. op. indic. in Append. n. 208. col. 306.*
(9) Confer. eorum dipl. *in Append. op. cit. num. 166. pag. 241. & ſeq.*
(10) *T. III. Annal. ad ann. 1113. num. 26.*

Digitized by Google

aſſenſu obtento a Bariſone Rege Turritano, qui non niſi anno circiter MCLIV. Regni clavum tenere cœpit (1). Verum cum ſciam ſingulis conſarcinatoribus parum deferre emunctæ naris Criticos, quippe variis temporibus facta, perinde ac ſi eodem tempore accidiſſent, narrare ſolent; quod feciſse etiam laudatorum *excerptorum* collectorem alibi (2) demonſtravimus: vix, ac ne vix quidem mente aſsequor, cur huic magis credendum ſit, quam Auguſtino Fortunio, qui memoratam donationem ad annum MCXXXIII refert, de ea loquens nihil veritati diſsonum ſcribit, Joannem Epiſcopum *de Sargio* non cognominat, illumque Bariſonis conſenſum exegiſse non aſserit.

Itaque nulla cauſsa eſt, quæ nos cogat ad præfatam donationem ab anno MCXXXIII. removendam, proindeque ad negandum, Joannem per illud tempus Eccleſiæ Sorrenſi præfuiſse. Anno MCXXXIX. teſtis fuit diplomati, quo Ugo Epiſcopus Otanenſis PP. ſupra citatis Eccleſiam S. Petri *in Olim* elargitus eſt (3). Comes etiam fuit Peregrinationum, quas piiſſimus Rex, & Judex Turritanus Gonnarius cum in Palæſtinam, ut Sacrum Chriſti Sepulcrum viſeret, tum in alia loca inſtituit. Videor mihi hoc colligere poſse ex eo, quod is diplomati ſubſcripſit, quo laudatus Gonnarius Hieroſolymis in Sardiniam rediens, ac *in domu Beati Benedicti* Montis-Caſſini exiſtens, *petitionibus Reverendiſſimi domni Raynaldi Cardinalis, & Caſſinenſis Abbatis, & Fratrum* ibi morantium omnia bona ab Avis ſuis, aliiſque ſubditis eiſdem dono data anno MCXLVII. confirmavit (4).

IV. JOANNES II. SARGA.

Hujus Antiſtitis nomen legitur in diplomate Alberti Archiepiſcopi Turritani ab eruditiſſimo Muratorio (5) publici juris facto. Ex hoc plane conſtat, Eccleſiæ Sorrenſi præfuiſse anno MCLXX. Celebres Annalium Camaldulenſium Auctores (6) Joannem hunc cum Joanne, de quo paullo ante verba feci, confundendum eſse exiſtimant. Vicus è contrario, qui eumdem anno quoque MCLIII. Epiſcopum facit, diverſum eſse opinatur. In hujuſmodi ſententiam ego magis propenſus ſum, etſi nihil definire auſim, non quidem ob Vici auctoritatem, quam pauci me habere non ſemel ſcripſi, ſed quoniam Joannes hic *de Sarga* cognominatur, non vero alter, neque a Fortunio, neque in aliis diplomatibus, in quibus pluries de illo fit mentio.

V. G.

In Joannis locum lectus eſt Epiſcopus, quem ſcimus unum fuiſse ex ſuaſoribus Alberto paullo ante citato, ut anno MCLXXVI. quamdam Eccleſiam concederet domui Hoſpitali S.Leonardi *de Stagno Piſano* (7), ſed ejus nomen nos ignorare fatemur.

VI. PETRUS I.

Sub anno MCXCIX. orto diſſidio inter Arborenſem Archiepiſcopum, & illius

(1) Adeunda *Hiſtoria Jud. Turit. n. VII.*

(2) *In Catalogo Archiep. Turrit. n. XI.*

(3) Eſt *in App. T. cit. n. 247. col. 379.*

(4) Gonnarij diploma exhibent Muratorius *T. I. Antiq. Medij Ævi Diſſert. 5. col. 245. T. II. Diſſert. 32. col. 1061.* & Gattola *Par. 1. Acceſſ. ad Hiſt. Abbat. Caſſ. pag. 255.* Obiter hic animadverto, Typographi culpa errorem in Annales Camaldulenſes irrepſiſſe *loco ſupra cit.* ubi legitur, quod Joannes noſter ſubſcripſit donationi Gunnarii Regis *ad ann. 1153.*

(5) *T. II. Antiq. M. Ævi Diſſ. 32. col. 1062.*

(6) *Loco quem indicavi.*

(7) V. Alberti litteras apud Wad. *T. IV. in Reg. Pontif. pag. 486.*

illius *Capitulum*, Innocentius III. Pontifex Maximus Epiſtolam dedit ad Archiepiſcopum Calaritanum, Epiſcopum Sorranum, ac electum Turritanum, ut cauſſam examinarent, & in priſtinam concordiam diſtractos reducerent (1). Memoratorum Antiſtitum nomina, aut legere nequivit eruditiſſimus Stephanus Balutius, qui eam Epiſtolam una cum pluribus aliis doctiſſimi Pontificis a Franciſco Boſqueto omiſſis omnium mortalium primus in lucem emiſit, aut quod probabilius eſt Innocentius ea minime indicavit. Nihilo tamen minus quod ad Præſulem Sorrenſem ſpectat, exiſtimo nuncupatum fuiſſe *Petrum*, illumque ipſum eſſe, qui anno MCCV. per ſuas litteras omnibus notum fecit, Nobilem Virum Comitam Judicem Turritanum, Turribus in Sardinia Monaſterii Ordinis Ciſtercienſis, ut ædificaretur, curaſſe (2).

Petrus poſt ſex circiter annos Epiſcopatui nuncium remiſit, ut colligitur ex Innocentio, qui anno ſui Pontificatus XIV. octavo Calendas Junii in in hæc verba ad Archiepiſcopum Turritanum ſcripſit (3) „ Supplicavit nobis venerabilis Frater noſter Sorranus Epiſcopus, ut ei cedendi licentiam concedere dignaremur. Quocirca Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi videris expedire, cum etiam dilectus Filius nobilis Vir Turritanus Judex ſæpius hoc per ſuas litteras nos rogavit, eidem auctoritate noſtra licentiam cedendi concedas, injungens eidem, ut ad Clauſtrum ſuum redeat, & ibidem ſuum impendat Domino famulatum. „

Ex his poſtremis verbis dignoſcitur, alicui Regulari Societati ante Epiſcopatum ſe devoviſſe, ſed quæ hæc fuerit, incompertum habeo. Cum Judex Turritanus *Comita* Antiſtiti noſtro commiſerit, ut ſingula, quæ ad citatum Monaſterium pro Patribus Ciſtercienſibus ædificandum neceſſaria erant, ſuo nomine ſuppeditaret, dici non improbabiliter poſſet, inter eoſdem olim numeratum fuiſſe, ſed neque Petri litteris, neque Angelo Manrique, cæteriſque Ordinis Scriptoribus hoc indicantibus, ita ſentire, fateor, divinare eſt.

VII. N.

Alexandri IV. ætate, anno ſcilicet MCCLIX. quinto Calendas Aprilis Sorrenſem regebat Eccleſiam Epiſcopus, cujus nomen nos latet. Averſiſſimo animo fuit a Monialibus omnium Sanctorum *de Ripa Arni Piſani* ex Ordine

(1) Confer *Epiſt. 329. Tom. I. lib. 1. pag. 183.*

(2) Litt. Petri exſtant apud Mart. & Durand *Tom. I. Vet. Anecdot. col.* 800. His verbis incipiunt; *Ego Petrus Dei gratia Sorenſis Epiſcopus notum facio præſentibus, & futuris, quod Nobilis Vir Comita Judex Turritanus devotionem concipiens ædificandi Monaſterium de Ordine Ciſtercienſi miſit ad Claram Vallem, omnimodis cupiens ex ea Monachorum, & Converſorum habere Conventum*. Constructum fuit hoc Monaſterium ſub invocatione Beatæ Mariæ Virginis. Memoratur ab Auguſt. Lubino *Brevi Notit. Abbat. Italiæ pag.* 272. *edit. Rom.* 1693. qui præterea obſervat, dictum illud fuiſſe *de Padulis*, idemque eſſe ac Cœnobium a P. Vitalii *de Paulis* appellatum, & ab eo in Diœceſi Calaritana poſitum.

(3) *Epiſt. 53. lib. 14. Tom. II. pag. 529. edit. Balut.* An Epiſcopus Sorrenſis, cujus meminit Innocentius, fuerit Petrus ex his litteris non apparet, ſed quantum veriſimillima conjectura aſſequor, diverſus certè non fuit; nam ab anno 1205., quo Petrus hanc Eccleſiam regebat, ad tempus quo Innocentii litteræ datæ ſunt, vix ſex anni interceſſerant; conſtat autem ex præfatis litteris, Antiſtitem Sorrenſem cum licentiam Eccleſiam dimittendi obtinuit, jam a nonnullis annis illam gubernaſſe, ſiquidem pluries eandem facultatem poſtulaverat.

dine Sanctæ Claræ , ſicuti ex litteris (1) , quæ ipſi præfatus Alexander dedit , explorata res eſt.

VIII. GREGORIUS.

Inſtituti Dominicani profeſſus diù Sorrenſi Eccleſiæ præfuit , anno verò MCCCXXII. octavo Idus Junii ad Sedes Bellunenſem, & Feltrenſem tranſiit . Diem obiit ſupremum anno MCCCXXVII Avenione , ubi tunc morabatur , cum jam eſſet Eccleſiæ Tergeſtinæ etiam adminiſtrator (2).

IX. PETRUS II. DE GARSINIS.

A nonnullis *de Graſſinis* appellatus , Ordinis Prædicatorum , ac Provinciæ Romanæ alumnus renunciatus eſt Pontifex anno circiter MCCCXXX. teſte Bremondio (3), qui id aſſerit teſtimonio innixus antiqui ſui Ordinis Scriptoris Bernardi Guidonis in Epiſcopis memoratæ Provinciæ. Decem, & octo annis hanc gubernavit Eccleſiam, poſtmodum tranſiit ad Anagninam, & anno MCCCLXIII. obiit , veluti ex catalogo Antiſtitum illius Eccleſiæ , ſi qua Ughellio fides, compertum eſt (4).

X. ARNOLDUS.

Sorrenſi Eccleſia ſuo viduata Paſtore ad ejuſdem regimen aſſumptus eſt a Clemente VI. anno MCCCXLVIII. ſexto Idus Decembris Arnoldus Ordinis item Prædicatorum, quemadmodum apparet ex libro quarto *proviſionum Prælatorum* , quem citat Fontana (5). Anno MCCCLXIII. decimo ſexto Calendas Majas ad Sedem Nuſcanam in Hirpinis (6) translatus fuit.

XI. FRANCISCUS.

Ex Epiſcopo Nuſcano anno, & die nuper indicatis , Ughellio (7) teſte, Antiſtes hujus Eccleſiæ deſignatus eſt.

XII. JANUARIUS.

Seu Gonnarius. A Franciſco Vico, cui hujus Epiſcopi notitiam debeo, Sorrenſem Eccleſiam gubernaſſe dicitur anno MCCCLXXXII.

XIII. JACOBUS II.

Succeſſit Januario, eratque Pontifex anno MCCCLXXXVII., quo tempore procurabat rationes, negotiaque Antonii *de Ilba* Abbatis Cœnobii *Montis-Chriſti* pro Eccleſia S. Mariæ *de Sialo diſtrictus Saſſari in Sardinia*. Patet hoc verò ex diplomate, quod in Monaſterii *Fontis-boni* Tabulario eſt, prout Mittarellius Vir clariſſimus ad me ſcripſit.

XIV. JOANNES III. DE MARTIS.

In Sorrenſi Cathedra ſedebat anno MCCCXCI. Vicus paullo ante laudatus Joannem a litteris, aliiſque virtutibus non parum celebrat ; loquens enim de hoc , & Januario (Jacobum namque non agnovit) ait , quod fuerunt *todos Varones inſignes , y que con ſus letras , y virtud iluſtraron a quel Obiſpado*.

XV. STEPHANUS.

Natione Sardus, Abbas Sanctæ Mariæ *de Padulis*, ſumma pietate præditus Epiſcopalem obtinuit dignitatem anno MCCCCXXXVIII. Biennio poſt efflaſſe

(1) Exſt. apud Wading. *Tom. IV. in Reg. Pontif. pag.* 487., incip. *Expoſita nobis*.
(2) Vid. Ughell. *Tom. V. in E. Bellun. num.* 41. *col.* 162.
(3) *Tom. II. Bullar. Ord. Præd. pag.* 214.
(4) *Tom. I. in Epiſc. Anagn. num.* 46. *col.* 320.
(5) *Theat. Domin. pag.* 298.
(6) Ughell. *Tom. VII. in Epiſc. Nuſcan. num.* 11. *col.* 537.
(7) *Ibidem*.

Digitized by Google

ſe animam teſtis locuples eſt Eugenius IV. Romanus Pontifex (1).

XVI. JOANNES IV. SANCIUS.

Stephanum excepit Joannes *Sancius* Ord. Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſter, quem P. Fontana (2) perperam *Sorrejum* cognominat. Electus eſt an. MCCCCXL. decimo quinto Calendas Junii, & priuſquam eligeretur, munus obierat minoris Pœnitentiarii Eugenii IV., ut ipſe Pontifex aſſerit (3), quod Fontana non obſervavit. Juxta id, quod tradit Vicus, Eccleſiam rexit ad ann. uſque MCCCCLXI., ſuaque ætate menſæ Epiſcopali unitæ ſunt, facultate a Romano Pontifice obtenta, Eccleſiæ Sanctæ Mariæ *de Sali*, Sancti Antonii *de Monte Caſtillo*, nec non Sancti Nicolai *de Carceto*.

XVII. JACOBUS III. POGIUS.

Poſtremus Sorrenſis Epiſcopus patria Saſſaritanus utriuſque Juris Doctor ob inſignem pietatem, & ſcientiam Sacris Inſulis inſignitus eſt ſtatim poſt Joannis obitum. Hanc rexit Eccleſiam XLIV. annis. Extremum diem morte confecit Saſſari, ac in Eccleſia Cathedrali in Sacello Sancti Salvatoris ſepultus fuit.

ECCLESIA ARBORENSIS.

NEmo unus, quod ſciam, ante ſæculum æræ Chriſtianæ decimum de Provincia, Urbeque Arborenſi mentionem facit. Verum quidem eſt, Arboreæ meminiſſe Acta S. Ephyſii ſub Diocletiano Imperatore Martyrio affecti (4), quæ a clariſſimo Bollando (5) in lucem emiſſa ſunt, ſed hæc non ſolum depravata, verum etiam poſt præfatum ſæculum ſcripta eſſe exiſtimant Viri eruditiſſimi (6). Itaque, niſi me fallo, omnium primus, qui Arboream nominat, eſt S. Gregorius VII. Pontifex Maximus in litteris an. MLXXIII. ad quatuor Sardiniæ Judices miſſis (7). Sitam fuiſſe in parte Inſulæ Occidentali inter Calarim ad Auſtrum, & Boſam ad Septemtriones, communiter ſentiunt Recentes Geographi (8), quibus nihil eſt, quod hac in re obſtem, etſi eis non planè aſſentior, dum ſcribunt, Arboream eandem fuiſſe ac Oriſtanum; nam ex diplomate a Bariſone Rege an. M-

Gg CLXIV.

(1) Conſtit. incip. *Eccleſiarum utilitati* apud Bremond. *Tom. III. Bullar. O. P. pag.* 226.

(2) *Loco nuper laud.* (3) *Conſtit. cit.* (4) Confer *Martyr. Roman. ad diem* 15. *Jaun.*

(5) *Tom. I. Januarii ad diem citat. cap.* 3. *num.* 14.

(6) Hujuſmodi Acta depravata eſſe ſcribit Papebrochius *Tom. VI. Maii ad diem* 28. *inter SS. prætermiſſos &c.*, ac poſt eum eximius Alexander Politus *in Comment. in Martyrol. Roman. ad diem* 15. *Januarii pag.* 249. Bollandus *loco cit.* ait, quod S. Ephyſii Acta *planè ſimilia ſunt Actis S. Procopii* a Metaphraſte confectis. Politus verò *loco indic.* ſcribit, compoſita ad exemplum omninò illorum eſſe. Atqui Metaphraſtes, ſi non vixit ſæc. 12., ut contendit Oudinus *Tom. II. Comment. de S. & ſcriptis Eccleſ. Diſſert. de ejus ætate, & S. cap.* 12. *& ſeq.*, ſaltem poſt medium ſæculum decimum e vita migravit. Adeundi Pagius *ad an.* 967. *num.* 12. *ad an.* 975. *num.* 10. Cave *Hiſt. Litter. ſæc. obſcuro pag.* 503. *edit. Genevæ* 1705., quibus accedunt Fabricius *Vol. VI. Par.* 2. *lib.* 5. *c.* 5. *Biblioth. Græcæ pag.* 709., & alii, quos mitto.

(7) *Epiſt.* 29. *lib.* 1. apud Hard. *Tom. VI. Par.* 1. *Concil: col.* 1219.

(8) Conſule Ferrarium *in Lex. Geograph.* Baudrandum *ibidem*; Laſor *T. I. Univerſi Terrarum Orbis* omnes ad verb. *Arborea*; ac Martinierium *in M. Dict. G. C.* ad verb. *Oriſtagni*.

CLXIV. pro Genuenſibus dato (1) colligi poſſe videtur, has duas Urbes fuiſſe inter ſeſe longe diverſas.

Quemadmodum de Arboreæ origine, certoque ſitu nihil firmè ſtatui poteſt, ita pariter de tempore, quo Epiſcopum primò obtinuit. Id verò ex eo factum, quod nemo hac de re commentaria publicaverit præter Franciſcum Vicum (2); atque hic breviſſimis verbis; unde eruditus Cantelius (3) non potuit, quin conquereretur dicens: *de Sede Arborenſi nihil fermè habeo, quod ſcribam: qui enim illius Urbis hiſtoriam attigerit præter Franciſcum de Vico, reperi neminem. Is verò, qui de Turritana Sede differit pluribus, in Arborenſi eſt breviſſimus.*

Ex litteris noſtri P. Magiſtri Salinas Oriſtanenſis Viri pietate, ac doctrina non vulgari, poſtquam opus jam excudi cœperat, intellexi, Antiſtitum hujus Eccleſiæ Catalogum, quem Franciſcus Maſones inſeri voluit Conſtitutionibus Synodalibus ab ſe anno MDCCXII. editis, initium ab anno MLXX. capere. Quoniam Conſtitutiones illas nec in Romanis Bibliothecis, nec apud Sardos, quos hic conveni, reperire licuit, nulla interpoſita mora ad P. Salinas reſcripſi eum orans, ut ſaltem per Epiſtolam mihi ſignificaret Præſules, qui in hac Cathedra ante ſæculi undecimi finem ſederunt, & monumenta, ex quibus apparent. Verum cum Tabellarii, qui litteris viciſſim deferant, non ſint; & vectoriæ, aut onerariæ Naves, quæ illorum defectum ſupplere queant, admodum raròe Sardinia Romam appellant; factum eſt, ut nondum reſponſum acceperim. Etſi de hujus Eccleſiæ Præſulibus nulla fiat mentio in S. Gregori VII. Epiſtolis, nulla in quibuſdam aliis monimentis a me lectis, & Vicus (4) afferat, ſe nullum Antiſtitem anno MCLXXXV. antiquiorem inveniſſe, tamen ſæculo undecimo ſuos Epiſcopos habuiſſe minus pugnaciſsimè nego, ſiquidem me non latet, jam tum Arborenſem regionem, ubi Oriſtanum eſt, unam ex quatuor Sardiniæ Provinciis fuiſſe (5).

De oppido, in quo olim Archiepiſcopus moram trahebat, non levior eſt difficultas. Idem ipſe Vicus (6) exiſtimat, primum reſediſſe in oppido *Tarros*, anno autem paullò ante indicato tranſtuliſse ſe Oriſtanum; loquens enim de præcipuis veteribus Civitatibus, quæ in Provincia Arborenſi exſtabant, ita ſcribit: *entre otras fue la primiera y mas antigua la de Terra, o Timis, que Antonio Pio llamò Tirſa, en una Ygleſia de la invocacion de S. Juan de Sinis, de donde ſe paſsò la Silla Archiepiſcopal, que deſpues ſe mudò en el anno* 1185. *a la de Oriſtan de la Invocacion de la Aſſumpta*. Per hæc eadem tempora ad Metropolitani honorem evectum eſſe ſcribit Cantelius (7), licet formidoloſè; enim verò ſubdit: *ſed hæc dubia ſunt, & incerta*.

Quod Antoninus *Tirſa*, ſeu melius *Caput Thyrſi* appellat, nec eſt, nec umquam, quantum ſcio, oppidum fuit, benè vero amnis (8). Itaque, mea ſenten-

(1) Exſt. apud Ughell. *Tom. IV. in Pontif. Januenſ. col.* 870.

(2) *Tom. II. Hiſt. Sard. Par.* 6. *cap.* 78. (3) *Hiſt. Metropolit. Urbium Par.* 3. *Diſſ.* 6. *cap.* 8.

(4) *Loco indic.* (5) Vide quæ diſputavimus *Diſſertat. prævia cap.* 2. *num.* 11.

(6) *Par.* 6. *op. cit. cap.* 90. *fol.* 112. *cap.* 77. *fol.* 105. *cap.* 78.

(7) *Loco, quem paullò ante indicavi.*

(8) Confer Cellarium *Tom. I. Geograph. Antiq. lib.* 2. *cap.* 11. *pag.* 775. Cluverium *Sard. Antiq. T. XV. Theſ. Burmanniani col.* 15. Ferrarium, Baudrandium *in Lex. Geograph.*, Hofmannum *Tom. IV.*

tentia, Vicus ſcribere volens, Sedem Archiepiſcopalem ab oppido *Tharros* Oriſtanum translatam fuiſse, & illud cum duobus fluminibus *Temo*, ac *Thyrſo*, & hæc inter ſeſe turpiter confudit. Memoratum oppidum, quod in nonnullis Antonini codicibus *Tharbos*, ac *Tarphos* vocatur (1), olim in Sardinia extitiſſe explorata res eſt: cujus certus ſitus etſi ignoratur (2), vix tamen, ac ne vix quidem in medium vocari poteſt, fuiſſe in ea Inſulæ parte, quæ ad Occidentem Solem vergit, ab Urbe *Boſa* 36. millia paſsuum in Auſtrum diſſitum (3). Ingens tamen mihi ineſt dubitatio, utrum ſæculo duodecimo ſuperfuerit, ſiquidem cum Annales Piſani, & Genuenſes, aliaque plura monimenta a me lecta altiſsimè ſilent, tum Sardi (4) Hiſtorici ex ejus ruinis Arboream conſtructam eſse fatentur.

Verum concedatur, jam tum ſolo æquatum non fuiſse, nego ab oppido *Tharros* Oriſtanum translatam hanc Sedem anno MCLXXXV., tuncque ad Metropolim evectam fuiſse; enim verò Antiſtes Eccleſiæ, de qua in præſentia loquor, anno MCVI., MCXLVII. MCLXIV. Archiepiſcopus *de Aureſtagno* (5) appellatur. Porrò Epiſcopi denominationem ſuam a Provincia, quam gubernabant, aliquando ſumebant quidam, ſed uſitatius a loco, in quo vitam tranſigebant; igitur iis temporibus Præſul Oriſtani morabatur; etenim nulla alia produci ratio poteſt, cur ita appellaretur, veluti conſideranti patet.

Anno MCXCIX. circiter Archiepiſcopus *Arborenſis* (6) dicitur; hinc probabiliter cenſeo, Arboream eo tempore translatam fuiſse Sedem, unde poſtea fortaſsis Civitate penitus exciſa (eam enim deſtruere anno MCLXIV. incœperant (7) Piſani) Oriſtanum, quod propter Arboreæ exitium creverat in multum populum, eadem Sedes tranſiit; ubi per hos dies quoque moratur, & nomen *Arborenſis* retinet.

Expugnata a Saracenis an. MCCXCI., ſeu potius uti Marinus Sanutus (8) ſcribit, a noſtris vacua Civibus ob eorundem timorem relicta Tyrenſi in Syria Civitate, hujus Sedes poſtmodum Arborenſi unita eſt. Clariſsimus Lequienius (9), qui de Tyrenſi Eccleſia ex inſtituto agit, nihil penitus habet hac

Gg 2 de

Tom. IV. Lex. Univerſ. pag. 445. *edit.* 1698., ac Laſor *Tom. II. Univer. Terræ. Orbis*: omnes ad verb. *Thyrſus*.

(1) Vide Simlerum, Suritam, ac Weſselingium *in not. ad Itin. Antonini pag.* 84. *edit.* 1735.

(2) Cluverius *op. cit. col.* 16. (3) Lege Antoninum *op. & pag. indic.*

(4) Salvator Vitalis *Tom. I. Appar. ad An. Sard. col.* 27. hæc ſcribit „ *Turrus* eruta, ejuſque „ lapidibus Arborea conſtructa, exſtat traditio, *portant a carrus, ſu perda de Turrus* „. Illud meæ doctrinæ opponi poſset, quod hujus oppidi meminit Anonymus Ravennas *lib.* 5. *Geograph. num.* 26.. qui ſæculo 12. floruit. Verum etſi hæc ſit de Anonymi ætate Caſimiri Oudini ſententia, tamen ei minus aſsentior, ac *in Hiſt. Eccleſ. Foro-Trajanenſis pag.* 115. pluribus oſtendi, longe ante, ſæculo nempe ſeptimo auctorem noſtrum vixiſse.

(5) Lege *Catalogum Arch. Turrit. num. VII.*; diploma Ugonis Epiſc. Ortillenſ. apud Annal. Camald. Auctores *Tom. III. in Append. num.* 247. *col.* 379.; nec non diploma Bariſonis *ſupra indicatum* apud Ugbellium.

(6) V. *Epiſt.* 329. *Innocen, III. lib.* 1. *Tom. I. pag.* 183. *edit. Balut.*

(7) Adiſis *Breviarium Hiſt. Piſanæ* apud Murat. *Tom. VI. S. R. Ital. col.* 175., *& ea, quæ ſcripſi in Differt. cap.* 2. *num.* 14.

(8) *Lib.* 3. *Secretorum Fidelium Crucis, ſeu Terræ Sanctæ Par.* 12. *cap.* 22. *pag.* 231. apud Bongarſium *Tom. II. Geſt. Dei per Francos edit. Hanoviæ* 1611.

(9) *Tom. III. Orient. Chriſt. col.* 1311., *& ſeq.*

de re, iccirco ſupervacuum haud fore ſentio, me hic inveſtigare, quo tempore præfatæ Sedes conjunctæ, & poſtea disjunctæ inter ſeſe fuerint. Itaque Eccleſia Tyrenſis cum Arborenſi unita eſt a Bonifacio VIII. Pontifice Maximo anno MCCXCVI. quarto Calendas Maii, teſte Wadingo (1) monimentis Vaticanis innixo. De anno, quo una Sedes ab altera ſeparata fuit, nihil certi invenire potui. Mea tamen ſententia eſt, ſæculo decimo quarto disjunctas fuiſse; etenim Bonifacius IX. in Epiſtola data Romæ Calendis Februarii anno MCCCC., qua bonorum ad Monachos Caſsinenſes in Sardinia

(1) Wading. *Tom. V. Annal. Ordinis Minor. ad ann.* 1299. *num.* 3. *pag.* 417. *Editionis poſtremæ*. Idem ipſe cl. Vir *ibidem* ſuſpicari videtur, Eccleſiam Tyrenſem in Sardinia extitiſse. De Urbe Tyri hæc literis conſignavit Vicus *T. II. Hiſt. Gener. Sard. Par.* 6. *cap.* 90. *fol.* 112., etſi fuiſse Sedem Epiſcopalem non aſserat, loquens de Civitatibus, quæ in Provincia Arborenſi olim erant: *la ſegunda Cindad ſue Tarcha, de la quala ſe haze mencion en la hiſtaria de S. Ephis con nombre Tirus, y ſe nombrò tambien Colſitana de los pueblos Colſitanos, que la habitaron*. Me his non aſsentiri, ſequentes rationes in cauſsa ſunt. Eccleſia Tyrenſis Arborenſi unita Metropolis erat, veluti Conſtitutionem 40. Bonifacii VIII. apud Wading. *Tom. V. in Reg. Pontif. pag.* 597. & *ſeq.* legenti conſtare poteſt. Verum in Sardinia præter Calaritanum, Turritanum, & Arborenſem Archiepiſcopat. alium item extitiſse, a nemine umquam memoriæ proditum eſt. In Provincia Arborenſi unum tantum, nempe Oriſtanenſem fuiſse Metropolitam anno 1164. in quæſtionem venire nequit; Bariſon namque ejuſdem Rex in diplomate, quod exhibet Ugbellius *Tom. IV. Ital. Sac. in Ep. Januenſ. col.* 870. hæc habet: *faciam jurare Archiepiſcopum de Aureſtagno, & Epiſcopos omnes Regni mei, & Prælatos Eccleſiarum . . . . . firmamentum pacti*, quod cum Genuenſibus ille inierat. Antiſtes Tyrenſis nec dedicationi Eccleſiæ *de Saccargia* anno 1106. circiter factæ, nec Synodo Bonarcadenſi anno 1263. celebratæ adfuit. Eccleſia Tyrenſis non memoratur inter alias Sardiniæ, nec in Libro Cenſuum S. R. E. apud cl. Muratorium *Tom. V. Antiq. Medii Ævi Diſſert.* 69. *col.* 895., quem exeunte ſæculo 12. Cencius Camerarius confecit, etſi Mſ., quo uſus Muratorius eſt, apographum ſit; prout cum idem Vir eximius *col.* 858., tum præſertim Maximus, Sapientiſsimuſque Pontifex Benedictus XIV. *Epiſt. data ad Capit., & Canonicos Eccleſ. Metropol. Bononienſis, cum anno* 1751. *die* 24. *Martii ad eos Roſam Auream miſerit*: Exſt. *Tom. III. Bull. pag.* 347. apertè tradunt: nec in *Notitia* Eccleſiaſtica a Milone Abbate anno circiter 1225. ſcripta; nec tandem in ea, quæ exſtat in celebri noſtra Conventus S. Crucis Florentiæ Biblioth., exarataque fuit ſub iis temporibus, quibus præfatæ Eccleſiæ unitæ dicuntur: cujus fragmentum a doctiſsimo Sbaralea noſtro acceptum *Diſſert. prævia cap.* 4. *num.* 11. *nota* 5. in communem uſum dedimus. Acta S. Ephyſii a Bollando edita, in quibus *loco ſupra cit.* Civitas *Tyri* memoratur, nullum mihi negotium faceſsunt, ſiquidem depravata eſse, & plura contra Hiſtoriæ fidem continere tradunt Viri eruditiſsimi Papebrochius, atque Polius *locis laud.* Diſsimulandum tamen non eſse cenſeo, anno 1139. Azzonem Archiepiſcopum Tyrenſem ſubſcripſiſse diplomati ſupra laudato Ugonis Antiſtitis Ortllenſis in Sardinia. Verum hunc Eccleſiæ Tyrenſis in Syria Pontificem fuiſse arbitror; etſi certò neſciam, quomodo Præſul Tyrenſis evaſerit, quaque occaſione nomen ſuum præfato diplomati appoſuerit. Clariſs. Annal. Camaldul. Scriptores *Tom. III. ad an.* 1139. *num.* 25. *lib.* 28. *pag.* 268. cum ſentirent, in hujus Eccleſiæ Præſulum catalogo a Lequienio *op. indic. pag.* 1312. ex Guillelmo Tyrio confecto, Azzonem locum non habere, ſuſpicati ſunt *vel Willelmum* 1. *vel Fulcherum binominem fuiſſe, & alterum Azzonis nomen tuliſſe*. Sanè ut conſtat tam ex S. Raynerii Piſani Actis apud Bolland. *Tom. III. Junii ad diem* 17. *cap.* 2. *num.* 26. *pag.* 431., quam ex veteri inſcriptione in Eccleſia S. Thomæ *in Parione* prope Januam ad dexteram ingredientium ſita, & a me propriis oculis inſpecta, Archiepiſcopus Tyrenſis anno paullò ante citato a propria Sede aberat, dieque 21. Decembris Romæ præfatæ Eccleſiæ conſecrationi adfuit: verumtamen Cl. VV. conjecturam non planè probo; nam primus Antiſtes ante

dinia ſpectantium patronos conſtituit Archiepiſcopos Piſanum tanquam Primatem, & Legatum totius Inſulæ, Turritanum, & Arborenſem (1) hunc *Tyrenſem* etiam Pontificem non appellat, ſicuti vocat Bonifacius VIII. (2).

Eccleſia Arborenſis nunc unum tantum Epiſcopum *Suffraganeum* habet, nempe Uſellenſem, ſeu Alenſem. Olim ei obtemperabant Antiſtites etiam Sanctæ Juſtæ, ac Terræ-albæ, non verò Terræ-novæ, prout litteris mandavit Cantelius (3). Sunt item, qui opinantur, idem ſentiendum eſſe de Pontificibus Civitatenſi, nec non Galtellinenſi, ſed hac de re opportunior alibi ſermo redibit.

Reſtat, ut de Urbe Oriſtani, ubi in præſentia Archiepiſcopus reſidet, breviter nonnulla decurram. *Oriſtanum Civitas Metropolitana ſita in ſolo plano, & parum diſtans a mari Portum habet Occidentem reſpiciens, eſtque aer in ea inſalubris ob paludes, & ſtagna, atque ob id non eſt multum populoſa* (4). Eſt in Actis Conſiſtorialibus, ſeptem mille circiter Cives continere. A Septemtrione Diœceſim Boſanenſem, ab Auſtro Provinciam Calaritanam attingit. Cluverius, Hoſmannus (5), & alii, Oriſtanum eſſe antiquam Coloniam *Uſellim* opinantur; ſed tota aberrant via, ut alio loco demonſtrabo. Eccleſia Cathedralis ſacra Beatæ Mariæ Virgini in Cœlum Aſſumptæ eſt. Unicam dignitatem habet, nempe Archipresbyterum, viginti, & duos Canonicos cum *utraque Præbenda*, alioſque Presbyteros, & Clericos. Annui *Menſæ* Archiepiſcopalis proventus ad *ſcuta* circiter 8000. monetæ Romanæ aſcendunt; ex iis quotannis *Cameræ* Apoſtolicæ eadem *Menſa* 350. *Florenos* ſolvit, ut eſt in Actis Conſiſtorialibus. Præter Cathedralem alia etiam exſtat *Parochia*: ac præterea Seminarium Tridentinum, & quinque hominum ſæcularium *Confraternitates*.

Plura etiam ſunt in Urbe, & circa ipſius mœnia Cœnobia, nimirum PP. Dominicanorum duo, Franciſcanorum *Conventualium*, Carmelitarum,

Obſer-

te ſex annos circiter obierat; ſecundus autem, mente aſſequi non poſſum, cur in laudata inſcriptione *Falcerus*, in diplomate *Azzo* vocetur. Fortaſſis vita functo Willelmo anno 1132., vel ſequenti in ejus locum Azzo ſuffectus eſt, qui inauguratus poſtea poſſeſſionem haud iniit. Piſis verò morabatur, vel quia ibi natus erat, vel ob ſummam neceſſitudinem, quæ inter Piſanos, & Tyrenſes intercedebat, uti colligitur ex *Actis S. Raynerii cit.*, nec non ex diplomate Conradi March. Montis Ferrati Filii apud Ughel. *Tom. III. in Archiep. Piſ. num.* 48. *col.* 415. Non eo tamen inficias, conjecturam hanc meam leviſſimam efficere memorati Tyrii ſilentium ſcriptoris ſupparis, & perquam diligentis. Utut ſe res habeat, illud certum eſt, Azzonem Præſulem in Sardinia non fuiſſe; idque non ſolum ex eo apparet, quod, ut probatum eſt, Eccleſia Tyrenſis nunquam in præfata Inſula fuit, verum etiam ex Ugonis diplomate colligitur; primum enim eidem ſubſcribit ipſemet Ugo, tum Archiepiſcopus Turritanus, deinde Antiſtites Plovacenſis, Sorrenſis, & Ardarenſis, tandem Balduinus *Piſanus Archiepiſcopus, & Romanus Legatus*; poſt ipſum verò *Azo Tyrenſis Archiepiſcopus*: ſi autem hic fuiſſet in Sardinia Pontifex, non poſtremo loco, ſed ante Epiſcopum Plovacenſem nomen ſuum appoſuiſſet, uti conſideranti patet. (1) Apud Gattol. *Par.* 2. *Acceſſ. ad H. A. C. pag.* 495.

(2) Confer *Conſtit.* 40. 41. apud Wadingum *loco poſtremò cit.* & Ughellium *Tom. VI. in Archiepiſc. Compſanis num.* 13. (3) *Op. & loco antea Indic.*

(4) Sigiſmundus Arquer *Brevi Hiſt. & Deſcript. Sard. pag.* 246. apud Sebaſt. Munſterum *lib.* 2. *Coſmographiæ Univerſ. edit. Baſil.* 1550.

(5) Cluverius *Sard. Antiq. col.* 16. Hoſmannus *Tom. I. Lex. Univerſ. pag.* 299.; quod ſanè falſum eſt, veluti alio loco oſtendemus. Interea legatur Martinerius *in Mag. Dict. Geograph. Crit.* ad verb. *Oriſtagni*.

Digitized by Google

Obſervantium duo, Capucinorum, Scholarum Piarum, S. Joannis *de Deo*, Monialium S. Claræ, & Capucinarum. Quoniam verò incidit mentio de Cœnobiis Oriſtanenſibus, ſilentio prætereundum non eſt, quod in noſtri Cœnobii Ecclesia Patriarchæ Franciſco Sacra reperitur *magna Crucifixi Statua aliquantulum vetuſta, quam ferunt factam a Nicodemo, atque ob id in magna eſt populi veneratione* (1), adeo ut die Aſcenſionis Domini ex univerſa fere Sardinia populi ad eam venerandam conveniunt. Exſtare item in memorata Eccleſia S. Baſilii Epiſcopi Cæſarienſis Caput, & Sardorum traditio fert, & litteris quoque conſignatum eſt (2). Non eſt etiam omittendum, hac in Urbe primam aſpexiſſe lucem Auguſtinum Pipiam Dominicanæ Familiæ, & Principum Cardinalium cœtus decus, ornamentumque anno currentis ſæculi trigeſimo vita functum, cujus laudes jure, atque meritò effert Vir eruditiſſimus Marius Guarnaccius (3).

ARCHIEPISCOPI ARBORENSES.

I. N.

Primus hujus Eccleſiæ Pontifex nobis cognitus eſt ille, qui anno circiter MCVI. Eccleſiæ SS. Trinitatis *de Sacargia* conſecrationi adfuit (4). Illius nomen incompertum habemus.

II. Comita de Laccone.

Natum eſſe præclaro Sanguine, habuiſſeque Judices Arborenſes aut Fratres, aut ſaltem multa propinquitate conjunctos ex eo conjici poteſt, quod agnomen illis commune ei fuerit. Anno MCXLVII. circiter Eccleſiæ S. Mariæ *de Bonarcanto* conſecrationi interfuit, & cuidam donationi eidem a Bariſone Rege factæ ſubſcripſit, prout conſtat ex diplomate ab Annalium Ordinis Camaldulenſis Scriptoribus (5) in lucem emiſſo. In hoc non *Comita*, ſed *Comes*, ſeu lingua veteri Sarda, *Comite* nuncupatur: *Donnu Comite de Laccone Arquipiſcobu Doriſtanes*. Verum quantum conjecturis aſſequor, iſta duo nomina promiſcuè uſurpabantur.

Plures annos Epiſcopatum geſſit; vivebat enim an. quoque MCLXXXII. (6); immò verò etiam poſt triennium, ſi fides adhibenda Vico (7) ſit.

III. Justus.

Si quis unquam poſt homines natos Antiſtes fuit, cui, quod potuit vis, & injuria, & ſceleratorum hominum furor detrahere, eripuerit, abſtulerit, diſſipaverit, is certè, mea ſententia cenſeri debet, de quo in præſentia lo-

(1) Verba ſunt Arquerii *op. cit. pag.* 247. Confer etiam Vicum *Tom. II. op. cit. Par. 6. cap.* 90. *fol.* 112., ac Vitalem *Tom. II. Annal. Sard. ad annum Chr.* 46. *col.* 237. *T. XV. Th. Burmann.*

(2) Hoc ex veteri monumento apparere ſcribit Vicus *loco cit.* Memini tamen me legiſſe apud Octavium Pancirolium in libro, cui titulus: *Teſori naſcoſti dell' Alma Città di Roma Rione VII. Chieſa II. pag.* 505. *edit.* 1625., S. Baſilii Ep. Cæſ. Caput in Templo S. Mariæ *Tranſpontinæ* eſſe.

(3) *Tom. II. Continuat. Vitarum PP., & CC. a Ciaconia ſcrip. col.* 449., *& ſeq.* Confer item Catalanum *de Secret. Sac. Congreg. Indicis lib.* 2. *cap.* 15. *pag.* 124.

(4) Lege *Catal. Archiepiſc. Turritan. num. VII.*

(5) *Tom. III. in Append. num.* 286. *col.* 443., *& ſeq.*

(6) V. *diploma Bariſonis* apud Murator. *Tom. II. Antiquit. Medii Ævi Diſſert.* 32. *col.* 1059.

(7) *Opere indic. Par.* 6. *cap.* 78. *fol.* 105.

loquor, quique ab Innocentio III. patria *Genuenſis* dicitur. Verum enim vero a Petro *de Staura* Clerico Arborenſi Canonicorum nomine accuſatus apud Romanum Pontificem eſt circiter annum MCXCIX. *ſuper homicidio, perjurio, excommunicatione, incendiis, incantationibus, lardatione hominis cum lardo, & cera, & quod a Nepote ſuo Sarracenis de Sicilia vendi conceſſerit Eccleſiæ ſuæ municipium Chriſtianum, & aliis enormitatibus, & capitulis . . . . tempore congruo proponendis* (1).

Quod pejus eſt illius æmuli contulerunt verba ad rem. Fœderati namque cum Gulielmo Judice Calaritano Eccleſiam Arborenſem ex parte diripuerunt, multaque alia ei abſtulere; immo a præfato Gulielmo fuit *equis propriis ſpoliatus, qui etiam inhibuiſſe dicitur, ut nullus eum in navi ſua reciperet ad Romanam Eccleſiam accedentem, & hoſpitalarium quendam, qui habebat veſtes ipſius Archiepiſcopi commendatas ad tempus, fecit in cuſtodia detineri: apponens etiam iniquitatem iniquitati per Judicem Turritanum eum capi fecit, & arcto carceri mancipari, longo tempore compedibus ferreis religatum* (2). Adverſarium item habuit Antiſtes noſter Piſanum Archiepiſcopum, qui utpote Primas Sardiniæ Judex in tali controverſia conſtitutus erat.

Verum multis injuriis jactata, atque agitata æquitas Romæ tandem coram Pontifice conſtitit, & confirmata eſt. Innocentius enim, cui oppreſſus Antiſtes omnia ſignificarat per litteras, ad Præſules Calaritanum, Sorrenſem, & Turritanum electum ſcripſit, eis mandans, ut ſi veritati conſona eſſent, quæ Archiepiſcopus Arborenſis expoſuerat, Judicem Calaritanum, Canonicos, alioſque compelleret pœnis etiam Eccleſiaſticis ad ea ſingula reſtituenda, quæ illi abſtulerant (3).

Quo nomine appellatus fuerit hic Antiſtes ex Romani Pontificis litteris non apparet; ſed memoriæ proditum a Vico eſt (4), vocatum fuiſſe *Juſtum*, & Eccleſiam Arborenſem ab anno MCXCII. adminiſtraſſe.

IV. HOMODEUS I.

Iſtius Archiepiſcopi nomen legitur in quodam diplomate in manibus clariſſimi Abbatis Mittarellii aſſervato, ut is per litteras mihi perhumaniter ſignificavit. Hujuſmodi diploma nullam anni, quo datum fuit, notam præſefert, ſed idem ipſe Mittarellius exiſtimat, ejus epocham anno circiter MCC. illigandam eſſe, adeoque per illud tempus Homodeum Arborenſem Eccleſiam gubernaſſe.

V. BERNARDUS I.

Multas Eccleſias confirmavit pro Monaſterio *de Bonarcanto* ad Monachos Camaldulenſes olim ſpectante. Hoc ſub annum MCC. accidiſſe VV. clariſ. Mittarellius, & Coſtadonius exiſtimabant (5), cum anno præterito tertium ſuorum Annalium Volumen publicarunt. Verum re melius conſiderata eorum primus ad me ſcripſit, præfatæ confirmationis epocham aut in annum MCXCVI. retrahendam, aut in annum MCCXI. rejiciendam eſſe; nam Bernardi diploma Indictione XIV. notatum eſt,

quæ

(1) Innocentius III. *Epiſtola 329. lib. 1. Tom. I. pag. 183. edit. Balutii.*
(2) Innocentius III. *in Epiſt. laud.* (3) V. *eandem Epiſtolam.*
(4) *Tom. II. Hiſt. Generalis Sard. Par. 6. cap. 22. fol. 51.*
(5) *Tom. III. Annal. Ord. Camald. ad an. 1147. num. 32. lib. 29. pag. 300.*

Digitized by Google

quæ his circiter temporibus, quibus vixiſſe Bernardum dubitari non poteſt, cum memoratis annis tantum concurrit. Anno MCXCVI. hanc Eccleſiam gubernabat *Juſtus*, ut ſupra dictum eſt; igitur aſſeramus oportet, præfatum Bernardum anno MCCXI. hanc Sedem occupaſſe.

Cum in Epiſtolis Innocentii III., tum Honorii item III. Romanorum Pontificum non ſemel mentio de Archiepiſcopo Arborenſi ſit, cui etiam multa committuntur; anno enim MCCXII. Innocentius ei præcepit, ut conſilium Judici Calaritano ſuper quoddam Arborenſe negotium (1) tribueret, ac de Matrimonio Guillelmum Judicem Calaritanum inter, & Guidonis Comitis Filiam non legitimè contracto inquireret (2): anno ſequenti idem ipſe Innocentius illi in mandatis dedit, ut ad Concilium Lateranenſe IV. poſt biennium celebrandum accederet (3). Honorius anno MCCXVII. Præſulem Arborenſem admonuit de miſerrimo ob Saracenorum impetum rerum Chriſtianarum in Palæſtina ſtatu, ſimulque juſſit, ut prima ſexta feria cujuslibet menſis ſolemnibus inſtitutis *Proceſſionibus* Deum multis precibus oraret, quò proſperare vellet Andreæ Hungariæ Regis, & Auſtriæ, Moraviæque Ducum arma, qui *ventit uſi felicibus litora Hieroſolymitanæ Provinciæ feliciter attigerunt* (4). Poſt triennium memoratus Honorius eidem prohibuit, ne ſuppetias ferret Ubaldo, & Lamberto Civibus Piſanis agrum Arborenſem invadentibus, cumque non obtemperaſſet, ipſum excommunicatione perculit, tametſi paullò poſt facti pœnitentem in Eccleſiæ ſinum reſtituit (5).

Quis hic fuerit Epiſcopus, cui hujuſmodi negotia commiſſa ſunt, ex litteris Pontificiis non apparet, verò tamen ſimile eſt fuiſſe Bernardum, maximè cum nullus alter Antiſtes Arborenſis per ea tempora nobis occurrat.

VI. Theodoricus.

Diœceſim Arborenſem moderabatur anno MCCXXV. Hac de re teſtis eſt Franciſcus Vicus, apud quem ſit fides.

VII. Doroodorius de Muru.

In quibuſdam diplomatibus *Trogodorius*, *Frodorius* appellatus, Archiepiſcopus erat anno MCCXXVIII., eoque tempore, uti poſt Vicum ſcribit Cantelius (6), Eccleſiam Cathedralem conſtruxit, ſibi ad magnum perficiendum opus auxilium præſtante Judice, ſeu Rege Arborenſi. Poſt biennium hunc Archiepiſcopum ſubſcripſiſſe cuidam diplomati, quo *Petrus de Baſſo* Judex Arborenſis Sylvam *de Querqueda* Monaſterio *de Bonarcanto* ad Monachos ſupra citatos ſpectanti, elargitus eſt, compertum habeo (7).

In vivis etiam fuiſſe anno MCCXXXVII.

(1) Confer *ejus Epiſt.* 102. *lib.* 14. *Tom. II. edit. cit.* Apud Franciſcum Boſquetum *lib.* 2. *Reg.* 14. *pag.* 248. *edit. Toloſ.* 1635. (2) V. *Epiſt.* 103. *lib. cit. edit. Balut.*

(3) Conſulito *Acta Concil.* apud Hard. *Tom. VII. col.* 9.

(4) Lege *Honorii Epiſt.* apud Raynaldum *Tom. I. ad eum an. num.* 27. *pag.* 411. *edit. Luc.*; & apud Coquelinea *Tom. III. novi Bull. Roman. num.* 16. *pag.* 191. *ſeq.*

(5) Adi Raynaldum *Tom. cit. ad eum an. num.* 25. *pag.* 476. *edit. cit.*

(6) *Hiſt. Metrop. Urbium Par.* 3. *Diſſert.* 6. *cap.* 8.

(7) Ex monimentis, quæ in Tabulario Monaſt. Sancti Michaelis Piſarum aſſervari Vir clariſſimus Mittarellius per litteras mihi ſignificavit.

Digitized by Google

XXXVII. certa res eſt, idque conſtat tum ex *charta* Petri *de Laccon* (1), tum ex diplomate Magiſtri Alexandri *Cappellani*, ac in Sardinia Sedis Apoſtolicæ Legati (2), quo eidem Archiepiſcopo Eccleſiæ Romanæ nomine die 22. Aprilis *Caſtrum Girapala* jure fiduciario conceſſit.

VIII. Homodeus II.

Franciſco Vico teſte hanc Eccleſiam regebat anno MCCLX.. Archiepiſcopus Arborenſis una cum duobus aliis Præſulibus anno MCCLXIII., ſeu potius MCCLXVIII. octavo Idus Martii Eccleſiam Bonarcadenſem conſecravit, prout ex ſequenti inſcriptione fit manifeſtum (3). „ Conſecrata eſt Ec„ cleſia hæc in honoremGlorioſiſſimæ „ Virginis Mariæ, & Sancti Zenonis „ Epiſcopi, & Confeſſoris, & Sancti „ Romoaldi Confeſſoris a Venerabili „ Paternitate Domino N. ſedente Ar„ chiepiſcopo Arboren., & a Venera„ bilibus Epiſcopis Dominis Fratre Ja„ cobo Boſano, & Mar. Sanctæ Juſtæ „.

Quamquam ex relato monumento quis fuerit Arborenſis Antiſtes, qui memoratam Eccleſiam conſecravit, non appareat, attamen idem ipſe Vicus (4) fuiſſe Homodeum litteris conſignavit.

IX. Petrus I.

Archiepiſcopus hic ex pluribus litteris dignoſcitur, quibus ipſe ſimul cum aliis Antiſtitibus variis Eccleſiis *Indulgentias* conceſſit. Anno MCCLXXXIX. cum Romæ verſaretur, ſub menſis Februarii finem elargitus eſt *Indulgentias* Eccleſiæ S. Salvatoris Monialium *Clariſſarum* oppidi S. Severini Diœceſis Camerinenſis die conſecrationis illius (5). Idibus Aprilis Romæ item exiſtens *Indulgentias* contulit Sancti Cuniberti Sacello *Bacheraci* ad Rhenum in Diœceſi Trevirenſi poſito, ubi S. Wernheri

(1) Ex litteris citatis iſtius chartæ *apographum* in manibus doctiſsimi Abbat. Grandi olim fuiſſe intelligo.

(2) De hoc Alexandri diplomate ex Tabulario Vaticano mentionem facit doctiſsimus Raynaldus *Tom. II. operis indic. ad eum ann. num.* 22. *pag.* 166. Muratorius autem illud in lucem emiſit *Tom. VI. Antiq. Ital. Medii Ævi Diſſert.* 71. *col.* 21., *& ſeq.* Non modò Vicus, ſed etiam cl. Bremondius *Tom. I. Bull. O. P. pag.* 113. in ſcriptis reliquerunt, anno 1236. in Arborenſem Pontificem electum eſſe Stephanum Hiſpanum O. P. alumnum. Bremondio præivit Fontana *Theat. Domin. pag.* 53., qui præterea ait, quod cum hanc Eccleſiam *pluribus annis rexiſſet, quievit in Domino*. Quoniam Dorgodorius anno quoque 1237. in vivis erat, hæc omnia falſa eſſe nemo non videt. Ego in ea verſor opinione, ut ducam, Stephanum, de quo in præſentis fit ſermo, eundem eſſe ac illum, quem anno 1238. Antiſtitem Turritanum creatum demonſtravi *in Arch. Turrit. num. XVIII.* In quam opinionem quidem magis confirmatum me ſentio, ubi obſervo, Taegium, & alios Dominicanos Scriptores dubios eſſe an Turritanam, an Arborenſem Cathedram conſcenderit Stephanus. Confer *Tom. I. Annal. O. Prædicat. ad an.* 1219. *num.* 38. *lib.* 2. *pag.* 544. *edit. Rom.* 1756.

(3) Hanc exhibet Vicus *loc. in Hiſt. Epiſc. Boſan. num. IX. nota 6. citat.*

(4) *Par. 6. op. alias indic. cap.* 82. *fol.* 110.

(5) *Indulgent.* litteras recitat doctiſsimus Abbas Camald. Maurus Sartius *in Hiſt. Epiſcop. Eugubin. num.* 32. *pag.* 161. Ego tamen Sartio non aſſentior, dum exiſtimat, has litteras menſe Majo datas fuiſſe; nam cum ſcriptæ dicantur Nicolai IV. anno 11., qui a die 22. menſis Februarii incipit, cumque Petrus, aliique Epiſcopi aſſerant, quod *tertia Dominica menſis Martii proximè venientis præfatam Eccleſiam* conſecraturi erant; quis amabò non videt, ad Februarii exitum eſſe retrahendas? Quicumque eaſdem legerit, dummodò in his rebus verſatus ſit, judicium ferre poterit, utrum *ad eorum temporum diſciplinam de Indulgentiarum œconomia demonſtrandam* conferant.

Corpus quieſcit (1). Eodem anno Reate moram trahens Indulgentias quadraginta dierum conceſſit pro *omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis*, qui ad SS. Morandi, & Chriſtophori *in Altirchen* Ordinis Cluniacenſis, Diœceſis Baſileenſis Monaſterium variis anni diebus cauſſa *devotionis* acceſſiſſent, aut eidem aliqua bona dediſſent (2).

Ad quem uſque annum vitam protraxerit Petrus ex monumentis, quæ pervoluta a me ſunt, haudquaquam apparet. Illud mihi conſtat ex *charta* a Martenio, atque Durand in lucem emiſſa (3), an. MCCXCV. in vivis adhuc exſtaſſe, & Romæ inter Bonifacii VIII. Romani Pontificis domeſticos moratum eſſe.

X. SCOLAY.

Ita quidem appellatur Archiepiſcopus, qui Petro ſucceſſit, in Conſtitutinne Bonifacii VIII. (4). Fortaſſis cognomen eſt, aut nomen corruptè juxta eorum temporum uſum, prolatum. Eccleſiam hanc gubernavit uſque ad annum MCCXCIX., quo diem obiit ſupremum.

XI. ALAMANNUS.

Ordinis Minorum Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac patria Balneoregienſis, uti ex *Teſtamento* Creſcentii Leonis Joannis Judicis acto Romæ die poſtrema Septembris anno MCCLXXI., cui ipſe ſubſcripſit, apparet (5). Anno MCCLXXXVIII. munus obibat ſumma cum laude Inquiſitoris Generalis in univerſa Romana Provincia (6). Septem poſt annos Alamannus ipſe, & Leonardus Provinciæ Romanæ Miniſter item Minorita a Bonifacio VIII. Legati miſſi ſunt, *ut leniter, ac ſuaviter Siculos ad Eccleſiæ obedientiam, & regimen reducerent*, pluraque alia erga ipſos præſtarent, quæ hic miſſa facio (7).

Tranſacto quadriennio in Archiepiſcopum Arborenſem, & Tyrenſem electus eſt quarto Calendas Maii ab eodem Bonifacio, cui cariſsimus erat, & ut ſumma pietate, & doctrina præditus, atque de Eccleſia optimè meritus dignoſcebatur, quemadmodum Pontifex Alamannum alloquens fatetur: *In te Fratrum Ordinis Minorum Profeſſorem, cui litterarum ſcientiam, honeſtatem vitæ, morum maturitatem, ſpiritualium & temporalium providentiam, aliaque virtutum merita grandia per familiarem experientiam novimus ſuffragari, quodque grata, & devota obſequia Apoſtolicæ Sedi circa executionem negotiorum ſub eadem Sede tuæ ſollicitudini commiſſorum noſceris impendiſſe, direximus oculos noſtræ mentis* (8).

Inauguratus fuit a Matthæo Aquaſpartano Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, & Epiſcopo Portuenſi Alamanno Inſtituto conjuncto; Pallium verò accepit per *Mattheum Sanctæ Mariæ in Porticu, Neapolionem Sancti Adriani, Guillelmum S. Nicolai in Carcere Tulliano, Franciſcum Sanctæ Mariæ in Coſmedin, Jacobum Sancti Georgii ad Velum Aureum, Petrum Sanctæ Mariæ No-*

(1) Vid. Bolland. Fratres *Tom. II. Aprilis ad diem* 19. *pag.* 716.
(2) Confer eoſdem *Tom. I. Junii ad diem* 3. *pag.* 343. (3) *T. I. Vet. Anecdot. col.* 1271.
(4) Exſt. apud Wading *Tom. V. in Reg. Pontif. pag.* 599. incip. *Ad regimen univerſalis &c.*
(5) Vulgatum fuit Teſtam. illud a Felice Nerinio *in Append. Monum. Hiſt. de Templo, ac Cœnobio SS. Bonifacii, & Alexii Rom. num.* 35. *pag.* 448. ſed in eo *Alamandus* dicitur.
(6) Confer Wading. *Tom. V. ad ann.* 1288. *num.* 22. *pag.* 181.
(7) V. eundem *ad an.* 1295. *num.* 2. (8) Conſule *Conſtit. cit.*

Novæ, *&* *Richardum Sancti Euſtachii Diaconos Cardinales* (1).

Alamannus nunquam ſuæ Eccleſiæ poſſeſſionem inivit: etenim eodem die, quo electus Archiepiſcopus Arborenſis, & Tyrenſis eſt, deſignatus quoque fuit Urbis Vicarius (2). *Sed parum his dignitatibus potitus eſt*, *nam in Epiſtola 376. data undecimo Calendas Decembris*, *qua in Archiepiſcopatu ei ſubſtituitur Frater Conſilius Ordinis Prædicatorum*, *refertur*, *Alamannum hunc in Curia obiiſſe* (3).

XII. CONSILIUS GATTUS.

Viterbii nobilibus Parentibus ortus, Ordinis Prædicatorum alumnus, olim Martini IV. *Cappellanus*, ac *Pœnitentiarius* ſucceſsit Alamanno, uti diximus. Paullò poſt ad Eccleſiam Archiepiſcopalem Compſanam in Regno Neapolitano tranſiit. Obiit anno MCCCVIII. in Patria, ſepultuſque fuit in Eccleſia S. Mariæ *ad Gradus* ſui Ordinis cum hoc Epitaphio. „ Fr. Cou- „ ſilius Gattus Viterbienſis Ordin. Præ- „ dicatorum Martini IV. Cappellanus, „ & Pœnitentiarius, Archiepiſcopus „ Arborenſis, & Conſenſis, ac Sacel- „ li Sancti Pauli in Conventu Funda- „ tor, hic jacet an. MCCCVIII (4).

XIII. LEONARDUS I.

Ordinis Minorum, & Provinciæ Genuenſis alumnus, cum eſſet Gerardi Blanci Cardinalis Sabinenſis Epiſcopi, & Legati Sedis Apoſtolicæ in Regno Siciliæ Pœnitentiarius, & a Secretis, anno MCCLXXXIV. a Martino IV. Eccleſiam Tricaricenſem in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Acherontino, & Materano conſequutus eſt (5).

Pluribus annis præfatam Eccleſiam rexit, deinde anno MCCCI. deſignatus eſt Archiepiſcopus Tyrenſis, & Arborenſis, prout non modo Vicus, ſed etiam Ughellius (6) memoriæ mandarunt. Suppleri itaque poterit Lucas Wadingus, apud quem fruſtra quæritur, Leonardum Sedem Tricaricenſem cum hac commutaſſe.

XIV. GUIDO I.

Natione Cyprius (7), Ordin. Prædicatorum Pontifex Arborenſis renuntiatus eſt a B. Benedicto hujus nominis XI. anno circiter MCCCIV., quemadmodum Plodius, Fontana, Cavalerius, atque Bremondius (8) litteris conſignarunt. Inter præfati Ordinis Præſules, qui Concilio Viennenſi adfuerunt, a Fontana citato (9) numeratur *Guido Cyprius Archiepiſcopus Arborenſis*, ſed auctor noſter turpiter errat, & ſibi non conſtat; nam prima illius Concilii *Seſſio*, judice Pagio (10), anno MCCCXI. die decima ſexta menſis Octob. habita eſt, quo tempore in Arborenſi Cathedra a tribus annis, prout ipſe etiam Fontana ſcribit (11), ſedebat Oddo Sala Piſanus, quem pariter inter Concilii Patres antea recenſuerat.

(1) *Verba ſunt Conſtit. memorata*.

(2) Lege Conſtitut. incip. *Eccleſiarum omnium &c.* apud Wadingum *loco citat.*

(3) Wading. *ad an.* 1299. *num.* 3. Confer item Theulium *Appar. Minor. della Provin. di Roma*; *lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 96.

(4) Lege-ſis Ughel. *Tom. VI. in Arch. Compſ. num.* 13.

(5) V. Conſtit. Mart. incip. *Ex parte tua* apud Ughel. *Tom. VII. in E. Tricar. num.* 7., & Wad. *Tom. V. pag.* 488.

(6) *Ibidem*.

(7) Vicus ait, Guidonem *Cyprianum* cognominatum fuiſſe, ac poſt Oddonem Salam Eccleſiam gubernaſſe.

(8) *Tom. II. Bullar. Ord. Præd. pag.* 102., ubi alios Auctores a me citatos refert.

(9) *Par.* 1. *Monum. Dominic. cap.* 12. *pag.* 164.

(10) *Tom. IV. Brev. PP. in Vita Clemen. V. num.* 44. *& ſeq.*

(11) *Theat. Dom. pag.* 53.

XV. ODDO I.

Guidoni ſucceſſit Oddo. Anno MCCCVIII. tertio Calendas Aprilis, auctore Ughellio (1), ad Eccleſiam Polenſem in Iſtria acceſſit.

XVI. ODDO II. SALA,

A quibuſdam Otto appellatur. Natus eſt Piſis in Thuſcia nobili genere. Ut primum ex ephebis exceſſit, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, Ordini Prædicatorum ſe addixit. Adeo apud ſuos inclaruit, ut maxima ſibi æſtimatione comparata delectus ad Cœnobium ſuæ Societatis Piſarum gubernandum fit. Nec ejus fama ſolis ſui Conventus parietibus definita eſt, ſed longe, lateque diffuſa ad Bonifacium VIII. pervenit, qua permotus Pontifex Oddonem in Epiſcopum Terralbenſem in Sardinia ſub annum MCCXCVII., & poſt luſtrum Epiſcopum Polenſem in Iſtria elegit (2).

Magis, magiſque percrebeſcente ejus nomine, anno MCCCVIII. Archiepiſcopatum Arborenſem obtinuit, quo adepto ſtatim Concilium Provinciale celebravit, inque eo Conſtitutiones variæ antiquæ confirmatæ, ac undecim novæ emiſſæ fuerunt, quæ Mſs. in Eccleſiæ Cathedralis Tabulario aſſervantur (3). Anno MCCCXII. ſexto Idus Maii tranſiit ad Sedem Piſanam, prout Ughellius (4) in Hiſtoria illius Eccleſiæ narrat, in qua animadverti t, renuntiatum poſtea fuiſſe Patriarcham Alexandrinum, & adminiſtratorem Eccleſiæ Caſſinenſis, pluraque de ejus nobilitate, prudentia, aliiſque virtutibus habet.

Interfuiſſe Oddonem Synodo Vienenſi anno MCCCXI. a Clemente V. habitæ, non modo aſſerit Fontana (5), verum etiam, quod magis eſt, ex Epiſtolis præfati Pontificis (6) colligitur, in quibus legitur, illum ad Concilium vocaſſe Archiepiſcopum Arborenſem, Epiſcopos Sanctæ Juſtæ, & Civitatenſem. Migravit è vita in *Monte Caſſino* non quidem anno MCCCXXIII., ut exiſtimavit Ughellius (7), ſed anno MCCCXXV., vel ſequenti quinto Nonas Julii, quemadmodum invictè probant Lucentius (8), & Gattola (9): hinc neſcio, quid ſit, quod eruditiſſimus Lequienius (10), licet poſt memoratos Auctores ſcripſit, de anno Oddonis emortuali non ſecus, atque Ughellius, & alii, erraverit.

XVII. GUIDO II. CATANUS.

Fuit is ex Ordine Minorum, ſi Vico fides. Quo anno regimen hujus Eccleſiæ ſuſceperit, neque ex Scriptoribus exteris, neque ex Wadingo, qui de hoc Antiſtite altiſſime ſilet, haurire potui. Compertum tamen habeo, anno circiter MCCCXXIII. Archiepiſcopum fuiſſe: eo enim tempore opuſculum confecit: *de uſu bonorum temporalium Chriſti, & Diſcipulorum ejus*, cui initium: *Sanctiſſime Pater*: exſtatque MS. in inſtructiſſima Veneta Bibliotheca S. Marci (11).

Per-

(1) *Tom. V. in Ep. Polenſ. num. 15. col.* 481. (2) Ughel. *ibid. num.* 14.
(3) Confer Vicum *Tom. II. Hiſt. General. Sard. Par.* 4. *cap.* 31.
(4) *Tom. III. num.* 55. *col.* 446. *& ſeq.* (5) *Loco nuper citat.*
(6) Apud Hard. *T. VII. Act. Concil. col.* 1331. (7) *T. I. in E. Caſſ. num.* 1. *col.* 775.
(8) *T. I. Ital. Sac. Reſtrictæ in Ep. Caſſ. col.* 880.
(9) *Par.* 2. *Hiſt. Abbat. Caſſ. pag.* 505.
(10) *Tom. III. Orientis Chriſt. col.* 1144. *in Patriarch. Alexand. Ritus Latini.*
(11) Confer *ejus Indicem vulgatum Ven. an.* 1741. *Cod. Theol.* 142. *pag.* 82.

Pervulgatiſſima eſt controverſia de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate an. MCCCXXI. excitata (1), cujus non ſine magno animi dolore recordamur, quippe tot rixas, tumultus, diviſioneſque in Ordinem noſtrum invexit. FF. Minorum plerique omnes Chriſto, atque Apoſtolis nihil fuiſſe jure proprietatis, & dominii neque in ſpeciali, neque in communi tutabantur: contra Guido oppoſitam propugnavit præfato in libro ſententiam, hinc inter eos, qui Joannis XXII. definitioni anno primum indicato Avenione adſtipularunt, numeratur. Eodem anno Idibus Aprilis una cum Neapolione Cardinali Urſinio interfuit ſponſioni factæ coram Pontifice Vitali Villanovæ Regis Aragoniæ Legato ab Ugone Sera Judice Arborenſi de inferendo bello Piſanis, qui in Sardinia Arces retinebant (2).

Narrat idem ipſe Vicus, quod anno MCCCXXVIII. ſimul cum Petro Judicis modo laudati Filio Coronationi Alphonſi Aragoniæ Regis adſuit. Joannes Pontifex anno MCCCXXXIII. decimo tertio Calendas Octobris Litteras dedit Archiepiſcopo Arborenſi, ne Fratres Franciſcanos moleſtia afficeret (3): Guido ne ille fuit, an alter Antiſtes? divinationi hic locus eſt.

XVIII. Nicolaus I.

Ex Squillacenſi in Calabria Epiſcopo renuntiatus eſt Pontifex Melphienſis in Apulia. Anno vero MCCCXLIX. duodecimo Calendas Novembris ad hanc modernam Eccleſiam acceſſit, prout ex *Regeſto* Vaticano hauſit Ughellius (4).

XIX. Gonnarius I.
XX. Gonnarius II.

Hos duos Arborenſes Antiſtites ejuſdem nominis, & ſibimetipſis proxime Succeſſores recenſet Vicus. Quo anno primus deſignatus fuerit Epiſcopus, non indicat, alter vero ait, quod anno MCCCLXXXII. dignitatem obtinuit.

XXI. Leonardus II.

Arborenſis Eccleſiæ regimen anno MCCCLXXXVIII. ſuſcepit. Tradit id Vicus laudatus, apud quem tantum, quod ſciam, ſit Leonardi mentio.

XXII. Conradus a Cloaco.

Patria Januenſis, poſt gubernatas Eccleſias Sulcitanam, & Amerinam, hujus Archiepiſcopus declaratus eſt anno MCCCXCII. In litteris Sancti Pii V. anno MDLXVII. die ſeptima Octobris datis, quibus ipſe Eccleſiam S. Martini extra mœnia Civitatis Arborenſis poſitam Patribus Dominicanis dono concedit (5), memoratur C. Archiepiſcopus Arborenſis, qui longe ante eam ætatem præfatam Eccleſiam olim ad Monachos Benedictinos, deinde ad Moniales ſpectantem, poſteaque ab omnibus derelictam in Paræciam erexerat.

Illum eſſe Conradum noſtrum ego reor. Equidem inito calculo ratio temporis in litteris expreſſa non obſtat; ſuffragatur aliunde littera C, a qua ejuſdem Antiſtitis nomen incipiebat, ut ibidem legere eſt. Anno MCCCXCVI.

ejuſ-

(1) Adiſa Nicolaum Minoritam illorum temporum Script. apud Baluzium *in Notis ad Vit. Pap. Avenion. col.* 598. *Ed.* 1693. Raynald. *ad an.* 1322. *n.* 53., *& ſeq.* Petrum Paulum Ginannium *in Not. ad expoſitionem in Pſalmum* Miſerere *ſub nomine F. Michaëlis a Caſena* apud Muratorium *T. III. Par.* 2. *S. R. I. col.* 515., *& ſeq.*

(2) Lege *Indic. Rerum ab Arag. Reg. geſt. pag.* 165. *T. III. Hiſpan. Illuſt.*

(3) V. Petrum de Alva *Part.* 1. *Indicis Bull. Seraph. pag.* 201. *n.* 72.

(4) *T. I. in Ep. Melphi. col.* 933. *n.* 22.

(5) Ext. *T. V. Bull. O. P. pag.* 175.

ad Sedem Naulenſem in Liguria tranſit, uti ſcribit Ughellius (1).

XXIII. Ubaldinus Cambi Bonamici.

Patria Cortonenſis ſucceſſit Conrado anno MCCCXCVII. cum antea Eccleſiam Turritanam rexiſſet. Plura de Ubaldino diſſerit Ughellius laudatus (2).

XXIV. Marinus Fabarius.

Poſt Ubaldinum regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit anno MCCCC. Fuit patria Neapolitanus, ſi Ughellio memorato (3) fides.

XXV. Paulus Oleni.

A Vico cognominatur *Oleni*. Renuntiatus eſt Pontifex Arborenſis anno MCCCCIII. ſeptimo Idus Aprilis teſte Wadingo (4). Antea Eccleſiam Chalcedonenſem rexerat, perque ea tempora ſummo honore cohoneſtatus a Bonifacio IX. Romano Pontifice fuit. Anno enim MCCCXCVIII. Calendis Aprilis idem ipſe Pontifex litteras ad eum dedit, quibus provinciam commiſit Sacram militiam prædicandi, propoſitis *Indulgentiarum* præmiis, in Bajazetem Turcarum Regem, qui ob partam de Hungaris Nicopolitanam in Bulgaria victoriam in ſuperbiam elatus Turcicorum armorum mole obruere Emmanuelem Imper.Conſtantinop.minabatur (5).

Idem munus impoſitum illi fuit anno ſequenti ampliori accepto diplomate, Nuntiuſque Apoſtolicus declaratus eſt (6). Vix, & fortaſſis etiam ne vix quidem Eccleſiam Arborenſem moderatum eſſe ſolidum annum ex mox dicendis perſpicua res fiet.

XXVI. Bartholomæus.

Senis natalem vidit lucem, Patremque habuit Ambroſium *Chinium*. Electus Arborenſis Pontifex uſque ad annum MCCCCIV. in ea Cathedra ſedit, quo ad Eccleſiam Maſſanenſem in Tuſcia (7) translatus fuit.

XXVII. Nicolaus II. Berutus.

Eccleſiis Tarviſinæ in Marca Tarviſina, & Maſſanæ in Thuſcia præfuerat, quando anno nuper indicato per commutationem cum Bartholomæo factam ad hanc moderandam acceſſit. Fuit ex Ordine Prædicatorum. Vicentius Maria Fontana (8) eum cognominat *Bonitum*, ſed hallucinari conſtat ex *Inſtrumento* poſſeſſionis traditæ Lotto *de Gambacurtis* Archiepiſcopo Piſano, quod exhibet Ughellius (9).

Anno MCCCCVI. die 29. Julii non amplius iſtius Eccleſiæ Antiſtes erat; unde denuo errare Fontanam teſtatæ res eſt, quippe inter Epiſcopos, qui ex citato ſacro Ordine ad Concilium Piſanum anno MCCCCIX. celebratum convenerunt, ab ipſomet recenſetur (10) *Nicolaus Bonitus Archiepiſcopus Arborenſis*.

XXVIII. Bertrandus.

In locum Nicolai lectus eſt anno MCCCCVI. tertio Calendas Auguſti. Inter-

(1) V. quæ diximus *in Ep. Sulcit. num. XVI.*
(2) *T. I. in E. Corton. n. 7. col. 617.*
(3) *Ibidem.*
(4) *T. IX. ad eum an. n. 6. pag. 260. Ed. Rom.*
(5) Confer Raynald. *T. VIII. ad eum an. n. 40. pag. 41. Ed. Lucen.*
(6) V. Eundem *ad eum an. n. 2. pag. 43.*
(7) Conſul. Ughel. *T. III. in E. Maſſ. n. 33.*
(8) *Theat. Domin. Par. 1. pag. 53.*
(9) *T. V. in Ep. Tarviſ. n. 58. col. 560.*
(10) *Op. indic. Par. 2. pag. 372.*

Interfuit Concilio Piſano, uti ex ejus Actis aperte liquet (1).

XXIX. HELIAS.

Franciſcanus. Lucas Wadingus (2) renuntiatum fuiſſe a *Capitulo* Arborenſi anno MCCCCXVIII. ſexto Calendas Auguſti narrat. Heliæ meminit etiam Vicus, ſed eum Fratrem Minoritam non dicit, ac præterea in annum MCCCCXV. illius electionem retrahit, dummodo error Typographi non ſit.

XXX. GREGORIUS ATTAECUS.

Teſtis eſt Ughellius (3), quod Eccleſiam Trivicanam cum Arborenſi commutavit anno MCCCCL. decimotertio Calendas Martii. De die translationis diſcrepat ab Ughellio Vicus aſſerens, Gregorium Arborenſe ſolium conſcendiſſe pridie Idus Octobris. Sed vereor, ne in errore verſetur, veluti reipſa verſatur, dum ſcribit, ex Canonico hujus Eccleſiæ ejuſdem creatum eſſe Archiepiſcopum.

XXXI. JACOBUS I. SANCTI ANGELI.

Hujus Eccleſiæ regimen ſuſcepit anno MCCCCLIV. Teſte Illuſt. Franciſco Gonzaga anno MCCCCLVIII. ab Archiepiſcopo Arborenſi *ædicula quædam Beatæ Mariæ Magdalenæ ſacra, atque duobus millibus paſſuum ab Oriſtano, ſive Arborea diſtans, quæ & Archiepiſcopalis Cameræ erat, oblata eſt* (4) Patribus Minoribus *Obſervantibus*. Hic vero Pontifex eſto a Gonzaga haud nominetur, certo fuit Jacobus, prout ex tempore, quo hæc facta ſunt aperte colligitur.

XXXII. FRANCISCUS I. ARNESTI.

Subrogatur Jacobo an. MCCCCLX.

XXXIII. JOANNES I.

Renuntiatus eſt Archiepiſcopus Arborenſis anno MCCCCLXX.

XXXIV. FERDINANDUS.

Patria Romanus aſſumptus dicitur anno MCCCCLXXXIV. De his Archiepiſcopis Franciſcus Vicus dumtaxat, quod ſciam, mentionem facit, ſed verbis pauciſſimis.

XXXV. JACOBUS II. SERRA.

Ab Ughellio (5), & Suareſio (6) *Joannes*, a Julio II. P. M. (7), Patribus Maurinis (8), Oldoino (9), ac in Sepulchrali inſcriptione, quam mox exhibebimus, *Jacobus* appellatur. Fortaſſis utroque nomine vocabatur. Patria fuit Catalaunus, aut Valentinus, ſed è Sardinia oriundus, quemadmodum doctiſſimi Maurini citati poſterorum memoriæ mandarunt. Anno MCCCCXCII. Arborenſis Antiſtes creatus eſt. Anno autem MD. cum eſſet etiam Urbis Vicarius ab Alexandro VI. inter Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales numeratus fuit, titulo S. Vitalis, ut ſentit idem ipſe Oldoinus, vel primum Sancti Stephani, paulloque poſt Sancti Clementis, ut arridet Ughellio.

Plurium Eccleſiarum adminiſtrator extitit, quas hoc ordine recenſet Oldoinus

(1) Apud Cl. Manſium *T. III. Suppl. ad Concil. Veneto Labb. col.* 1079.
(2) *T. X. ad eum an. n. 36. pag.* 16. (3) *T. VIII. in E. Trivic. n. 13. col.* 384.
(4) *Par. 3. Hiſt. Seraphicæ pag.* 1257. *Ed. Ven.* 1603.
(5) *T. I. in Epiſcop. Præneſt. n. 71. col.* 219.
(6) *Præneſtes Antiq. l. 2. c. 16. col. 125. T. VIII. Par. 4. Theſauri Petri Burmanni*.
(7) *In ejus Epiſt.* apud Petrum de Marca *in Append. Mar. Hiſp. col.* 1483.
(8) *T. VI. in Epiſc. Hel. col.* 1065. (9) *Hiſt. PP. & CC. T. III. col.* 1921

doinus citatus: *Adminiſtravit Eccleſias Elnenſem, & Licopienſem: Legationis munere functus eſt Peruſii, in Piceno, & in Umbria: Epiſcopatum Albanenſem primo, mox Tuſculanum ſub Julio II., & Præneſtinum ſub Leone X. rexit: Epiſcopum inſuper Calaguritanum eundem inſtitutum ſcribit Filiuccius*. Ughellius, & Suareſius addunt Epiſcopatum etiam Segobienſem obtinuiſſe.

Mortem oppetiit Romæ die 15. Martii anno MDXVII., ejuſque Corpus in Sancti Jacobi Hiſpaniarum Templo in Sacello a ſe erecto cum ſequenti Epitaphio humatum fuit.

D. O. M.

„ Jacobo Serræ Epiſcopo Præneſtino
„ S. R. E. Cardinali Arborenſi. Ant.
„ de Monte Card. S. Praxedis execu-
„ tor ex Teſtamento P.

XXXVI. PETRUS II. DE SERRA DE MOGNOS.

Dimiſſo Arborenſi Epiſcopatu a Jacobo ante mortem ſuam (1) in ejus locum ſuffectus eſt Petrus. Anno MDXII. interfuiſſe Concilio Lateranenſi a Seſsione quarta uſque ad octavam ex illius Actis (2) compertum habeo.

XXXVII. JOANNES II. BRISELOTUS.

Valentianæ in Comitatu Hannoniæ obſcuris natus Parentibus, vel a teneris, ut Græci ajunt, unguiculis magnum in ſcientiarum ſtudium ſe mente, & voluntate conjiciendi argumentum prætulit. Carmelitarum Ordinem ingreſſus, anno MDII. Sacræ Theologiæ Doctor Pariſienſis, poſtea Monaſterii Valentinianenſis *Prior*, Caroli V. Cæſaris a Confeſsionibus, & Conſiliis electus fuit, cujus liberalitate die 8. Aprilis anno MDVI. *Abbatiam* Sancti Petri Altimontenſis Ordinis Sancti Benedicti, annoque ante Epiſcopatum Berytenſem *in partibus* obtinuit, ac præterea ſuffraganeus Cameracenſis, ut Pontificalia munia in Urbe, & Diœceſi Cameracenſi exercere poſſet, declaratus eſt. Anno MDXVII. Arborenſem Archiepiſcopatum acquiſivit, prout conſtat ex Actis Conſiſtorialibus Leonis X., in quibus hæc leguntur: *R. P. D. Joannes Epiſcopus nuper Berytenſis, Sereniſſimi Regis Catholici Confeſſor, & Conſiliarius translatus eſt ad Eccleſiam Metropolitanam Arborenſem in Sardinia die Mercurii 23. Dec. MDXVII.* (3).
„ Verum, cum magis neceſſarius
„ Bel-

(1) Quo anno Jacobus Eccleſiæ Arborenſis regimen dimiſerit, mihi non liquet. In *Regeſtis* P. Magiſtri Raynaldi Gratiani noſtri Tiberiacenſis Conventus alumni, univerſæ Minorum Familiæ Miniſtri Generalis, in hoc Ordinis Franciſcani Tabulario ad SS. duodecim Apoſtolos aſſervatis pag. 5. hæc verba leguntur: *Reverendiſſimo Domino Cardinali Arborenſi conceditur, ut poſſit retinere ad ſui ſervitium F. Baptiſtam de Sancta Agata, ubi magis ſuæ Dominationi placuerit. Romæ 29. Januarii MDX.* Cum Jacobus Card. Arborenſis dicatur, probabile eſt, anno nuper indicato nondum Archiepiſcopatui ceſsiſſe. Verum pro certo aſſerere non auſim, ſiquidem intelligo, etiam in Epitaphio anno 1517. ejus Tumulo inſculpto eodem titulo decorari.

(2) Apud Harduin. *Tom. IX. col. 163. & ſeq.*

(3) Ea vidit P. Daniel a Virgine Maria, refertque ex ipſis laudata verba *Tom. II. Speculi Carmelit. num. 3269. in Indice Epiſcop. ſui Ordinis*. Ex his patet, errare doctiſs. Dionyſium Sammarthanum ſcribentem *Tom. III. Galliæ Chriſt. in ſerie Abbatum Altimontenſ. col.* 118., Joannem noſtrum deſignatum Archiepiſcopum Calaritanum fuiſſe. P. Fontana *Theat. Domin.* pag. 54. ait, conſtare ex Actis Conſiſtorialibus Leonis X., anno 1517. in Antiſtitem Arborenſem electum eſſe Joannem quemdam Ordinis Prædicatorum, a Sacris Confeſsionibus Reg. Cathol.

„ Belgio videretur, ad eam Italiæ Inſulam nunquam appulit, Vicario Archiepiſcopali uſus Magiſtro Joanne Fabri Presbytero ad Sanctum Germanum in montibus Canonico. Dein annuentibus Leone X. Pontifice, ac Carolo V. Cæſare Archiepiſcopatum hunc (ſolo contentus titulo) ceſsit, reſervatis ſibi medietate fructuum ejuſdem menſæ, & collatione beneficiorum, & denominatione Archiepiſcopi, die Lunæ 16. Aprilis, MDXX. (1)„. Eodem anno die undecima Septembris obiit vir in omni diſciplinarum genere peritiſſimus, quemadmodum oſtendunt tot Opera, quæ ipſe confecit a Coſma Villiers (2) numerata. Suæ ætatis litteratis, maxime Deſiderio Eraſmo eorum omnium ſine controverſia Principe uſus familiariſſime eſt.

Sepultus eſt in *Choro* Eccleſiæ Cœnobii Altimontenſis, cujus erat Abbas, propè Altare majus. Super *Sacriſtiæ* portam viſitur ſequens Inſcriptio „ Hic jacet R. in Chriſto Domino Joannes Briſelot Sacræ Theologiæ Profeſſor, Dei gratia Arborenſis Archiepiſcopus, ac hujus Cœnobii Abbas, atque Sereniſſimi Imperatoris Caroli V. Confeſſor: qui obiit anno D. vigeſimo ſupra milleſimum quingenteſimum menſis verò Septembris die 11. circa 5. poſt mediam noctem. Orate pro eo.

XXXVIII. JOANNES III. DE CLARAY.

Natione forſitan Gallus, ex Canonico Cameracenſi, ſi qua Vico fides, electus eſt Arborenſis Paſtor anno MDXX., poſteaquam nimirum Joannes Briſelotus nuncium remiſit, a quo nominatum fuiſſe credimus.

XXXIX. AUGUSTINUS GRIMALDUS.

Lambertum *Monæci* Principem nobiliſſimum patria Genuenſem, & Claudiam ejuſdem Familiæ germen Parentes habuit. Ob deceſſum Joannis Andreæ item Grimaldi Epiſcopi Graſſenſis in Provincia, & Abbatis Sancti Honorati Lirinenſis, cujus ille antea fuerat *Coadjutor*, in plenam poſſeſſionem cum illius Epiſcopatus, tum Abbatiæ laudatæ venit anno MDV. Cum a Gallis ad Hiſpanos is defeciſſet, Carolus V. primò ad Eccleſiam Majoricenſem, poſtea etiam ad Arborenſem eumdem

Ii

Cathol., natione Hiſpanum, qui antea Epiſcopus erat *Beitenſis*. Fontanæ accedit Bremondius *Tom. IV. Bull. O. Præd. pag* 397. *&* 40., atque Joannem Antiſtitem fuiſſe *Britenſem*, ſeu *Britonenſem*, *Britinienſem*, *Bretonienſem* in Hiſpania Tarraconenſi ſub Archiep. Compoſtellano ait. Verum Joannes hic aut ſtatim electus nuncium remiſit, aut idem eſt ac Joanne *Briſeloth*. Hoc ad veritatem propenſius videtur. Re quidem vera probabile eſt, Fontanam, Actis Conſiſtorialibus per tranſennam lectis, judicaſſe Joannem ex ſua ſocietate ad Solium Arborenſe aſſumptum eſſe, idipſumque duxiſſe Bremondium ſequutum bona fide Fontanam, & ita utrumque furto a culpa caſto Præſulem hunc PP. Carmelitis abſtuliſſe. Ad ipſos enim ſpectare nullo pacto in medium vocari poteſt: nam ut mittam, illis adjudicari a Sammarthano *loco cit.*, a P. Le Long *Tom. II. Biblioth. Sacræ pag.* 651. *edit.* 1723., Poſſevino, aliiſque, quos numerare brevitas a me exacta non ſinit; Frater Carmelita appellatur in *Martyrol. Capituli S. Petri Altimontenſis*, *in Catalogo Abbatum Altimontenſium* apud P. Danielem *numero* 3270., nec non in Actis Conſiſtorialibus Julii II.: *Joannes Briſeloth Prior domus Carmelitarum Valencenenſis Sacræ Theologiæ profeſſor, & Ordinem ipſum expreſſe profeſſus electus eſt Epiſcopus Berytenſis in partibus Infidelium per obitum quondam Ægidii de Marlca, & inſtitutus ſuffraganeus Cameracenſis, ut poſſit exercere Pontificalia in Urbe, & Diœceſi Cameracenſi*, die *Veneris* 4. *Aprilis* 1505.

(1) Coſmas de Villiers *Tom. I. Biblioth. Carmelit. col.* 802.

(2) *Ibidem*.

dem deſignavit, quas annuente Pontifice obtinuit.

Monaſterium Lirinenſe ipſo procurante ad ſeveriores leges redactum unitum Cœnobio Patavino Sanctæ Juſtinæ PP. Benedictinorum Caſſinenſium fuit. Selectus erat ad Sacram Purpuram, ſed ob mortem, quæ accidit an. MDXXXII. die 12. Aprilis non ſine veneni ſuſpicione, eam acquirere non potuit. Doctiſſimus Cardinalis Jacobus Sadoletus ſumma amicitia eum coluit, veluti ex litteratiſſimi viri Epiſtola quarta decima libri quarti data Carpentorati anno MDXXIX. fit manifeſtum. Non pauca, quæ hic de Auguſtino miſſa facio, ex animadverſionibus in veterem Galliam Chriſtianam eruditiſſimi Stephani Balutii deprompta exhibet Vir cl. Dionyſius Sammarthanus (1), quem conſulas velim.

XL. CAROLUS DE ALAGON.

Succeſſit in Auguſtini locum, ſi Vico fides. Orto diſſidio inter Archiepiſcopum Calaritanum, Canonicoſque Eccleſiæ Cathedralis ex una, Civitatis Conſiliarios, & nobiliſsimam fœminam Mariam de Cardona Proregis Conjugem ex altera parte de conſtruendo Calari Monialium Clariſſarum Monaſterio, quod nunc *Sanctæ Luciæ* appellatur, Paullus III. Romanus Pontifex anno MDXXXIX. controverſiæ definiendæ Judices Archiepiſcopum Arborenſem, & Epiſcopum Uſellenſem conſtituit, quorum auctoritate tandem opus completum eſt.

Wadingus (2), qui factum narrat, aut ignoravit, aut ſaltem omiſit indicare, quis extiterit Pontifex Arborenſis, cui Paullus litis deciſionem commiſit, ſed dubio procul Carolus fuit.

XLI. ANDREAS SANNA.

Ex Epiſcopo Uſellenſi, & Terralbenſi electus eſt in hujus Eccleſiæ Antiſtitem. Hujuſmodi electionem anno MDLIV. factam eſſe non modo ex Vico, ſed etiam ex Actis Conſiſtorialibus exploratum habeo.

XLII. PETRUS III. SANNA.

Vicus memoratus ſtatim poſt Andream refert Petrum, quem *de Sevia* cognominat. Huic ſucceſsit, ipſo teſte, *Joſſa Pugaſons*. De tempore, quo hi tanto honore decorati ſunt, altiſsimè ſilet. Ex Actis Conſiſtorialibus clare patet, mortuo Andrea, anno MDLVI. quarto Nonas Majas Arborenſem Cathedram conſcendiſſe Petrum *Sanna*, qui tum Eccleſiæ Calaritanæ Canonicus erat: Petro ſubrogatum fuiſſe Hieronymum, cujus mox meminero; unde hic non ſecus atque pluribus aliis in locis Auctor noſter mendacem ſe prodit.

Vincentius Coronellius (3) Antiſtitem Oriſtani facit *Albertum Cenari*, ſeu *Robertum Cenali*, quem his temporibus vixiſſe ſcribunt Hiſtorici; ac inſuper tradere hoc Geſnerum aſſerit. Quoniam ego non multum Coronellio fido, adii Geſnerum ipſum exploraturus, an ita ſe res haberet: deprehendi tamen, Scriptorem nunc laudatum (4) non Oriſtanenſem, ſed Abrincenſem (eſt verò hujuſmodi Epiſcopatus in Gallia Celtica ſub Metropoli Rotho-

ma-

(1) *Tom. III. Galliæ Chriſtianæ in Epiſcop. Graſſenſ. col.* 1173. Confer etiam P. Aurelium Genuenſem Ord. Capuc. *in Chron. Urbis Genuæ ad an.* 1506. *pag.* 467., qui breviter de hoc Antiſtite agit, eumque *Antonium* appellat.

(2) *Tom. XVI. Annal. Minor. ad eum ann. num.* 34.

(3) *Tom. II. della Bibliot. Univerſ. ad verb.* Alberto.

(4) *Biblioth. Univerſ. Script. Fol.* 584. *edit. Tigurinæ* 1545.

magenſi) Pontificem dicere Robertum. Conſentiunt Geſnero Antonius Poſſevinus (1), Spondanus (2), & Fratres Sammarthani (3).

XLIII. HIERONYMUS BARBERANI.

Arborenſe Solium aſcendit anno MDLXV. die 19. Januarii. Iſtius Præſulis tempore Eccleſiam univerſam gubernante Pio V. Patres Dominicani Templum Sancti Martini circa Oriſtani mœnia poſitum, ut ibidem Monaſterium quoque conſtruere poſſent, obtinuerunt. Ii venire in poſſeſſionem tentantes non modo prohibiti, ſed etiam excommunicationis pœna perculſi a Hieronymo ſunt. Hanc ob rem Archiepiſcopus magnam ſuſcepit offenſionem apud Pontificem, qui anno MDLXIX. die 4. Maii, & Patres Prædicatores ab omni cenſura abſolvit, & præterea in mandatis dedit Antiſtiti Calaritano, aliiſque Perſonis Eccleſiaſticis, ut quoſcunque moleſtias præfatis Religioſis inferrent, per cenſuras, *aliaque opportuna juris, & facti remedia*; invocato etiam, ſi opus fuiſſet, *brachio auxilii ſecularis* compeſcerent (4). E vita migravit Calari anno circiter MDLXXI., quemadmodum ex Sancti Pii V. litteris (5) clare patet.

XLIV. PETRUS IV. BUERBA.

Mortuo Hieronymo ſubrogatur Petrus Canonicus Regularis Sancti Auguſtini. Franciſcus Vicus Præſulem hunc anno MDLXXIV. renuntiatum dicit, ſed ex Actis Conſiſtorialibus planè liquet, ante biennium quarto Calendas Novembris electum Arborenſem Antiſtitem fuiſſe.

XLV. FRANCISCUS II. SIOO.

Fuit Patria Saſſaritanus. In Petri locum ſucceſiſſe dicitur anno MDLXXVIII.

XLVI. ANTONIUS I. CANOPOLUS.

Eandem atque Franciſcus ſortitus eſt Patriam. De hac præclarè meritus evaſit. Nam anno circiter MDCXIV. a ſua ad Archiepiſcopatum aſſumptione 26. in ipſa Seminarium pro adoleſcentibus Eccleſiæ addictis fundavit, hac tamen lege, ut inter alumnos recipi perpetuò deberent tres ex Archidiœceſi Oriſtani, quos Archiepiſcopus nominaſſet (6). Electus poſtea in Pontificem Turritanum fuit.

XLVII. LAURENTIUS NICTUS.

Cum Eccleſias Uſellenſem, & Algarenſem rexiſſet anno MDCXXI. electus in Antiſtitem Arborenſem eſt. Poſt non multo inter Laurentium, & Patrem Rectorem memorati Seminarii turbæ ortæ ſunt, de quibus ſermonem inſtituit Julius Cordara vir eruditiſſimus (7).

XLVIII. GAVINUS MALLANI.

Laurentium excepit Gavinus Mallani anno MDCXXVII. cum eſſet Eccleſiæ S. Lazari *Prior*. In Pedemontio natus is erat judice Franciſco Vico non ſemel citato.

(1) *Tom. II. Appar. Sacri pag. 279. edit. Mediolan. 1613.*
(2) *Tom. II. Contin. Annal. Eccleſ. ad an. 1548. num. 7. pag. 516. edit. Pariſ. 1647.*
(3) *Tom. II. Gallia Chriſt. in Epiſc. Abrincenſ. pag. 10. edit. 1656.*
(4) Confer Conſtitut. incip. *Decet Romanum Pontificem* apud Bremond. *T. V. Bull. O. P. pag. 213.*
(5) Exſtant apud Joan. Dexart *lib. 2. Capitulorum Regni Sard. tit. 1. cap. 1. pag. 336.*
(6) Conſule Cordaram *Par. 6. Hiſt. Societ. Jeſu lib. 7. num. 14. pag. 384.*
(7) *Ibidem.*

XLIX. Petrus V. Vicus.

Neſcio an ob Senectutem, an ob aliud impedimentum Gavinus ad Pontificalia munia exercenda inhabilis factus *Coadjutorem* accepit Petrum Vicum, *Capituli* Calaritani Decanum, qui hac eadem occaſione Epiſcop. *titularis* Amyclenſis inſtitutus eſt (1). Anno MDCXXXVI. ab Urbano VIII. adminiſtrationem generalem Eccleſiæ cum futura ſucceſſione obtinuit. Anno vero MDCXLI. vita functo Gavino is ſolus Arborenſem Diœceſim regere cœpit, & poſt luſtrum Concilium Diœceſanum celebravit.

L. Alphonsus de Sotomajor.

Ex Ordine Beatæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, patria Carmonenſis, Conventus Hiſpalenſis alumnus præcipua ſuæ Societatis munia geſſit; fuit enim Provincialis Vandaliæ, ac etiam Magiſter Generalis anno MDCLII. tertio Calendas Februarii Barbaſtri in Hiſpania electus. Nondum Officium expleverat ſuum, cum anno MDCLVII. die 24. Septembris creatus Archiepiſcopus Arborenſis eſt. Poſt ſex circiter annos ad Barchinonenſem Eccleſiam tranſiit, in qua è vita migravit anno MDCLXXXII. menſe Junio. De iis, quæ antea, & poſtquam Sacris Infulis decoratus eſt, fecit, diſſerit Antonius Bernal (2).

LI. Bernardus II. Cotoner.

Per tranſlationem Alphonſi ad Sedem Barchinonenſem hujus Eccleſiæ regimen commiſſum Bernardo eſt anno MDCLXIV. 9. Calendas menſis ſextilis. Majoricæ venit in lucem. Ex Actis Conſiſtorialibus liquet, Eccleſiæ Cathedralis illius Urbis ante Epiſcopalem obtentam dignitatem fuiſſe Canonicum, ac etiam Pontificem, cum antea nonnullos annos Diœceſim Arborenſem rexiſſet.

LII. Petrus VI. de Alagon.

Poſt adminiſtratum Ampurienſem Epiſcopatum anno MDCLXXII. decimo octavo Calendas Februarii renuntiatus eſt Pontifex Arborenſis. Exacto quinquiennio Synodum Diœceſanam celebravit, deinde, licet non ſtatim, ad Eccleſiam Majoricenſem tranſiit.

LIII. Josephus Accorra, et Fioo.

Anno MDCLXXXV. die 30. Aprilis Petro ſuffectus eſt. Antea Eccleſiam Ampurienſem rexerat, quemadmodum in illius Hiſtoria narravi.

LIV. Franciscus III. Masones y Nin.

Cum eſſet Eccleſiæ Uſellenſis Decanus, ejuſdem primum renuntiatus eſt Antiſtes, deinde illa dimiſſa hanc obtinuit anno MDCCIV. die 15. Septembris. Oriſtani pro Clericis Seminarium inſtituit, & anno MDCCXII. Synodum Diœceſanam habuit.

LV. Antonius II. Nin.

Calari ortus eſt, Parenteſque habuit nobilitate claros. Ex Canonico patriæ Cathedralis Eccleſiæ Archiepiſcopus inſtituitur Arborenſis anno MDCCXXVI. die 16. menſis Decembris. Anno ſequenti quinto Calendas Martii Benedictus XIII. Epiſcopum Solio Pontificio aſſiſtentem eum declaravit. In Eccleſia Cathedrali, ut duo Sacella ex marmoribus conſtruerentur, curavit, alterum Sancto Philippo Nerio Confeſſori, alterum Sancto Archelao Martyri totius Arborenſis Diœceſeos Patrono dicatum.

LVI.

(1) Eſt in Laconia Pelop. Provincia. V. Lequien. *T. III. O.C. col.* 1031. (2) *In Cat. Mag. Gen. ſui O. pag.* 33.

LVI. Vincentius Joannes Vico Torellas.

Sedem Ampurienſem cum Arborenſi commutavit anno MDCCXLI. quinto Nonas Julii. Poſt non multo in Patria, nempe Calari e vita migravit.

LVII. Nicolaus Mauritius Fontana.

Renuntiatus eſt Pontifex anno MDCCXLIV. tertio Nonas Februarii. Antequam Archiepiſcopalem dignitatem conſequeretur, Abbas *Commendatarius* Monaſterii Beatæ Mariæ *de Caburro* in Diœceſi Taurinenſi poſiti erat. Qui de Nicolao plura ſcire cupit, conſulat ejus vitam anno MDCCXLVI. Taurini editam.

LVIII. Aloysius Emmanuel de Carreto.

In Urbe Montis Regalis Pedemontanæ ditionis nobilibus Parentibus natus eſt anno MDCCX. tertio Nonas menſis Novembris. Presbyter factus cum optimum ſui ſpecimen dediſſet, inſtitutus primo eſt Regiæ Congregationis *Supergiæ* Præſes, deinde anno MDCCLVI. die 28. Novembris regimen hujus Eccleſiæ commiſſum ei fuit, quod adhuc retinet.

ECCLESIA SANCTÆ JUSTÆ.

Civitas Epiſcopalis Sardiniæ *Sancta Juſta* ita nuncupata fuit, ſi Ferrario (1) credimus, quod ibi Martyrio affecta ſit *Juſta* Virgo una cum duabus aliis ſanctiſſimis fœminis. „ Juſta, Ju„ ſtina, & Henedina fœminæ in Sar„ dinia propter Fidem Chriſti com„ prehenſæ martyrio coronatæ ſunt pri„ die idus Maii circa ea tempora, „ quibus Creſcentianus Turribus, & „ Antiochus Sulcis ſub Hadriano paſſi „ ſunt. Quibus ob miracula Eccleſia „ extructa, poſtea in Cathedralem „ erecta eſt, oppidoque nomen *San„ ctæ Juſtæ* impoſitum, quod ad Ar„ boritanam Metropolim proximam „ attinet. Acta illarum deſiderantur: „ miraculis tamen claras, ac Urbis „ *S. Juſtæ*, quam a peſte liberarunt, „ Patronas, Sardiniæ Annales tradunt „

Harum SS. Virginum Acta an. MDCXIII., quo opus ſuum in lucem emiſit Ferrarius, deperdita credebantur, ſed poſt triennium in Eccleſia Arborenſis Tabulario reperta, ab Antonio *Martis* memoratæ Eccleſiæ Canonico vulgata fuerunt. In iis verò eſt (2), oppi-

(1) *Catalogo SS. Italiæ ad diem* 14. *Maii pag.* 279. *Ed.* 1613. Idipſum aſſeruut alii apud Bolland. *T. III. Maii ad diem* 14. *pag.* 271. Utrum id a veritate ſit alienum, vel couſonum, diſputare nolo. Tantum animadverto, eſſe quoſdam, qui ſentiunt, laudatas Virgiues ſua morte obiiſſe, fatentes vero martyrio affectas multa variare de regione, in qua hoc factum eſt. Adeundi Bolland. *loc. cit.* Aug. Lubiuus *Tab.* 5. *illuſt. Martyr. Rom. pag.* 157.

(2) Ejuſmodi Acta nondum videre potui, ſed compertum hoc habeo ex eorum Compendio anno 1756. Neapoli publicato, cui ſequens eſt titulus: *Brevis relatio vitæ, & miraculorum SS. Virginum, & Martyrum Juſtæ, Juſtinæ, & Henedinæ Regni Sardiniæ Sanctarum, præcipuarum Patronarum totius Arboritanæ Provinciæ &c.* Antonius *Martis* laudatus veriſimile eſſe ceuſet, a quodam Sacerdote nomine *Pio, ſub cujus directione vixerunt*, ſcripta fuiſſe. Contra ego aut ſuppoſititia, aut ſaltem maximè dubia eſſe exiſtimo, atque ad ita opinandum ſequentes me movent conjecturæ. I. Sardorum Scriptorum etiam poſt Actorum

Digitized by Google

oppidum nunc *Sancta Juſta* vocatum, antequam caſtiſſima Virgo mortem obiret, *Eaden* appellatum fuiſſe; ſed vehementer timeo, ne id contra, ac veritas poſtulet, aſſeratur.

Ego, ut fatear ipſe quod ſentio, poſtquam Sardinia a dira Saracenorum captivitate libera facta eſt, hoc oppidum conſtructum, atque hujuſmodi nomine vocatum fuiſſe, opinor, quia eo loci ædificatum eſt, quo, ut Sardorum ferebat traditio, Juſta, ejuſque Sociæ Martyrium conſumarunt. Inter Geographos, quos vidi, vidi autem plures, Volaterranus (1) tantum de Oppido *S. Juſtæ* mentionem facit, ſed ejus certum ſitum non indicat. Quantum ex Chartis Chorographicis Sardiniæ a Munſtero (2), & Blaeu (3) delineatis intelligo, non procul ab Oriſtano exſtabat Urbem Eccleſienſem verſus, meridiem inter, & occidentem Solem.

Ad res Eccleſiaſticas quod attinet, Acta citata hujus Epiſcopatus originem antiquiſſimam faciunt; tradunt enim, jam inde a primo eræ vulgaris ſæculo Urbem *Eaden* rexiſſe Antiſtitem *nomine Octaten, qui cum ſuo Diacono, cui nomen erat Procedens*, ad Chriſtiana Sacra *Juſtam* duodecim annos natam perduxit. Verum hujuſmodi opinionem dignam eſſe, quæ inter fabellas numeretur, quas obſervante celeberrimo Maffejo (4) in noſtra etiam Italia a viris

rum publicationem de loco, quo natæ, & mortuæ ſunt laudatæ VV., diſſenſus, etſi in iis ortæ, & vita functæ in Urbe *Eaden* dicantur. Ex eo enim prudenter colligitur, ne ipſos Sardos quidem illa tanquam genuina habuiſſe. II. Legitur in Actis, quod *Juſta* ad Religionem Catholicam ab *Octaten* Urbis *Eaden* Epiſcopo perducta eſt. Verum Civitas *Eaden*, ſeu *Sancta Juſta* neque a Plinio, aliiſque vetuſtioribus, neque ab Antonino memoratur, etſi hic Civitates omnes in parte Inſulæ occidentali poſitas numerat. Ante Perſecutionum finem in Sardinia Epiſcopos fuiſſe non inficior, ſed ibidem extitiſſe ſæculo Eccleſiæ primo mihi perſuadere non poſſum. At inquient, Chriſtiani tunc erant. Fateor. Nego tamen ex hoc inferri poſſe, fuiſſe quoque Epiſcopos; nam ſi Scoti ante ann. 430. habebant *Fidei Doctores, ac Sacramentorum Miniſtratores Presbyteros ſolummodo, vel Monachos* teſtibus Joan. Fordono *Scotic. Chron. l. 3. cap. 8.*; Joan. Majore *de Geſtis Scot. l. 2. cap. 2.*; Hectore Boetio *Hiſt. Scot. lib. 6.*, & alii; cur idipſum de Sardis, ſaltem quod ad primum ſæculum attinet, dici non poterit? Fingamus tamen per ea tempora in Sardinia Epiſcopos fuiſſe, quis non videt, probabilius eſſe, ſi vetus Eccleſiæ diſciplina ſpectetur, reſediſſe in Civitatibus vel Calaris, vel Corni, vel Neapolis? Hæ namque populo frequentes erant, ac prima vix duarum dierum itinere, aliæ autem forſan minus ab Urbe *Eaden* ſeu *Sancta Juſta* diſtabant. III. Eſt in eiſdem, quod *Juſta* poſt ſuavem vitam plures annos actam, aliaque patrata, quibus verum Deum in honore, falſa numina in contemptu habuiſſe ab omnibus dignoſcebatur, tandem Hadriano imperante *in pricipiis ſæculi ſecundi poſt Chriſtum natum* ſua morte obiiſſe. Porrò quis amabo hæc credet? nam Chriſtiani etiam in cavernis latitantes vix ea ætate tutò vivere poterant, quippè primò Trajanus, deinde Hadrianus ad annum uſque 126. ſæviſſimam in eos perſecutionem exercuit. Confer cl. VV. Ruinart. *Præf. Gener. in Acta Sincera MM. num. 31., & ſeq.* Mamachium *Tom. 1. Orig., & Antiq. Chriſt. lib. 2. cap. 8. pag. 426., & ſeq.*, qui veterum, ac recentium Scriptorum teſtimonia hanc in rem congeſſerunt. IV. *Juſta* vita functa, illicò Chriſtianos Eccleſiam ad ejus honorem ædificaſſe Acta citata narrant. Inſtituti mei ratio non poſtulat, ut an per tria priora ſæcula Sacra Templa conſtruere noſtris permiſſum eſſet, inquiram, qua de re agit claris. Ciampinus *Tom. 1. Vet. Monum. lib. 2. cap. 17. pag. 114., & ſeq.* Dicam tamen, quod etſi tunc aliquando liceret, inveriſimile prorſus eſt, id præſtare furente Perſecutione potuiſſe.

(1) *Lib. 6. Geograph. fol. 72. Ed. 1530.*

(2) *Lib. 2. Geograph. Univerſ. pag. 243. Ed. Baſil. 1550.* (3) *Par. 3. Thrat. Orb. Terrar. fol. 109.*

(4) *Epiſt. ad Nicolaum Coletum Exſt. Tom. V. Ital. Sac. col. 676. Ed. Ven.*; *nec non in fine Hiſtoriæ Theolog. pag. 241.* Confer etiam *not. ſuperior.*

viris bonis quidem, ſed non ſatis eruditis de Eccleſiarum primordiis excogitatas fuiſſe, nemo eſt in arte Critica verſatus, qui non videat, probeque ſentiat. Itaque mea opinione Civitas *Sanctæ Juſtæ* vel cadente undecimo, vel ineunte duodecimo ſæculo proprium Epiſcopum agnovit. Tam Cencius Camerarius, quam veteres *Notitiæ* Eccleſiaſticæ de hac ſede mentionem faciunt. Eccleſiæ Turritanæ annexa nunc eſt. Factum hoc fuiſſe anno MDIV. exiſtimat Vicus (1), ſed in errore verſari certa res eſt; nam Concilio Lateranenſi V. anno MDXII. celebrato hujus Eccleſiæ Pontifex aderat, ut alibi demonſtrabo, proindeque tunc nondum alteri annexa fuerat. Id forſitan accidit anno ſequenti, Gaſpare Antiſtite vita functo, ſeu aliò translato.

Eccleſia Cathedralis, uti ex Ferrario diſcimus, Deo ſub præfatarum SS. Virginum, & Martyrum invocatione ſacra erat. Eidem inſerviebant Decanus, duodecimque Canonici præter alios Presbyteros, & Clericos.

EPISCOPI SANCTÆ JUSTÆ.

I. Augustinus.

Inter Epiſcopos, qui *Sanctæ Juſtæ* Cathedram conſcenderunt, primò nobis occurrit Auguſtinus. Is anno MCXIX. Dedicationi Eccleſiæ Sancti Saturnini factæ per Villelmum Archiepiſcopum Calaritanum, agente Petro Cardinali Sedis Apoſtolicæ Legato, & rogatu Mariani Judicis Provinciæ Calaritanæ, adfuit (2). De Auguſtino mentionem quoque facit Auctor doctiſſimus ſexti Tomi Annalium Benedictinorum (3).

II. Paucapelea.

Quid nominis hoc ſit, videant, qui in veteribus diplomatibus ſcrutandis majori, quam ego diligentia verſantur. Epiſcopus ita appellatus Sanctæ Juſtæ Eccleſiam adminiſtrabat medio ſæculo duodecimo circiter; nam ex iis Præſulibus unus fuit, qui ſub annum MCXLVII. Templi S. Mariæ *de Bonarcanto* conſecrationi, & donationi a Bariſone Judice, ac Rege Arborenſi eidem factæ, interfuere (4).

III. Hugo.

Anno MCLXIV. miſſus eſt a Bariſone Judice Arborenſi una cum duobus aliis Genuenſium Legatis Philippo Juſta, & Bonvaſtallo Bulferio ad Imperatorem Fridericum, vulgò *Barbaroſſa*, ut is præfatum Bariſonem Sardiniæ Regem, expulſis Piſanis, creare vellet (5). Genuam reverſus, Bariſone

(1) *Tom. II. Hiſt. Gener. Sard. Par. 6. cap.* 80.

(2) V. Diplom. apud Mart. & Durand. *T. I. Vet. Monum. col.* 657. (3) *Lib. 73. n. 93. pag.* 45.

(4) Conſule diploma editum a doctiſs. Annal. Camald. Auctoribus *T. III. in App. n.* 286. *col.* 443. *& ſeq.*

(5) Confer Obertum Cancellarium *lib.* 3. *Continuat. Annal. Genuenſ.* Caffari rol. 293. apud Murator. *Tom. VI. S. R. I.* Ab eodem Oberto *Hugo* dicitur Epiſcop. *S. Juliæ*. Huic accedit Triſtānus Calchus *lib.* 11. *Hiſt. Mediolanenſ. col.* 262. apud Grævium *Tom. II. Par.* 1. *Theſ. Hiſt. & Antiq. Italiæ*, qui inſuper ait, oppidum S. Juliæ eſſe *Juliolam*, cujus meminit Ptolemæus: *Hugo Epiſcopus S. Juliæ, quæ Civitas in Sardinia poſita aliquid priſci nominis ſervat, ſiquidem Juliolam Ptolemæus deſcribit*. Utrumque falſum. Nullus ex Geographis, aut ex iis, qui *Notitias* Eccleſiaſticas ediderunt, unquam ſcripſit, in Sardinia exſtitiſſe Civitatem Epiſcopalem *S. Julia* vocatam. Ad hæc veriſimile eſt, Bariſonem ſecum duxiſſe Antiſtitem propriæ

ne Corona Regia Ticini inſignito, Civibus in ſuſpicionem venit; hi enim obſervantes, Piſanos, Regem, & Hugonem ſecretò inter ſe colloqui dubitare cœperunt, fieri hæc omnia dolo malo, intentione nimirum prodendi in itinere Januenſes, qui Regem in Sardiniam proſequi decreverant; unde a Continuatore (1) Annalium illius ſplendidiſsimæ Reipublicæ, quos Caffarus inchoavit, Hugo noſter cohoneſtari meruit *Epiſcopi nequiſſimi* titulo: *loquuti ſunt*, inquit, (Piſani) *ſecretò cum Rege*, *& Hugone nequiſſimo Epiſcopo Sanctæ Juliæ* (legatur *Juſtæ*), *qui ſecum de Sardinia deſcenderat*, *quomodo*, *vel qua inſidia*, *vel quo malitioſo ſtudio Januenſes*, *qui cum Rege erant ituri*, *decipi*, *& fraudari poſſent*, *& in illo itinere capi*.

Vivebat adhuc MCLXXXII. circiter; nam ejus nomen legitur in *charta*, qua Bariſon paullo ante citatus per illud tempus Eccleſiam S. Nicolai *de Urgen* Monachis Caſsinenſibus dono conceſsit (2).

IV. PETRUS I. DE MARTIO.

Inter varios teſtes, qui diplomati, quo Petrus *de Baſſo* Judex Arborenſis anno MCCXXX. ſylvam *de Querqueda* Monaſterio *de Bonarcanto* conceſſit, ſubſcripſerunt, legitur Petrus *de Martio* hujus Eccleſiæ Antiſtes (3). Iſtius memoria exſtat quoque in nonnullis *Inſtrumentis* a Muratorio Viro clariſs. vulgatis (4), ex quibus anno item MCCXXXVII. Epiſcopatum geſſiſſe apertè conſtat.

V. MAR.....:.

Epiſcopus iſte, cujus integrum nomen ob characterum lituram legi non poteſt, anno MCCLXIII., vel MCCLXVIII. una cum Pontificibus Arborenſi, & Boſanenſi Eccleſiam Bonarcadenſem *in honorem glorioſiſſimæ Virg. Mariæ*, *& S. Zenonis Epiſcopi*, *& Sancti Romoaldi Abbatis* (5) conſecravit. Arbitror hunc illum ipſum eſſe Sanctæ Juſtæ Antiſtitem, qui anno circiter MCCLXIII. interfuit Concilio Bonarcadæ celebrato, dummodo ab aliquo impoſtore confictum non ſit, ſicuti multum me dubitare alibi litteris conſignavi.

VI. JOANNES.

Clemens V. Romanus Pontifex anno MCCCVIII. ad Concilium Viennenſe Epiſcopum Sanctæ Juſtæ (6) vocavit. Ex litteris Clementis non apparet, quo nomine nuncupatus ille fuerit, ſed dubio procul idem eſt, ac Joannes, qui anno ſequenti Synodo Provinciali habitæ Arboreæ ab Oddone Sala iſtius Urbis Archiepiſcopo interfuit.

VII. FRIDERICUS.

Natione Sardus, Ordinis Prædicatorum, creatus eſt Epiſcopus a Joanne

priæ Dynaſtiæ. Urbs *Sancta Juſta* illi ſubjecta erat, ut quæ exſtabat in ea Inſulæ parte, quæ flectit inter occaſum Solis, & Meridiem, ut ſupra narravi. Oppidum verò *Juliola* a Ptolemæo in illa Sardiniæ parte ponitur, quæ ad Septemtriones vergit. Confer Cluverium *Sard. Antiqua col.* 24. *Tom. XV. Theſ. Burmanni*; Martinierum *Tom. VI. Magn. Diction.* ad verb. *Juliola*; Ferrarium, Baudrand.; ſed non vacat ſingulos Geographos perſequi. Folieta, qui *lib.* 2. *Hiſt. Genuenſ. Tom. I. Par.* 1. *Theſ. Ital. Gravii col.* 270. Hugonia meminit, eum appellat Epiſcop. *S. Juſtæ*.

(1) *Op. ante indic. col.* 297.

(2) Apud Murat. *Tom. II. Antiq. Medii Ævi Diſſertat.* 32. *col.* 1059.

(3) Ex litteria clariſs. Mittarellii intelligo, diploma eſse in Monaſterii S. Michaelis Piſarum Tabulario.

(4) *Op. cit. Tom. VI. Diſſertat.* 71. *col.* 16. 18., *& ſeq.*

(5) Verba ſunt Inſcrip., quæ viſitur in eadem Eccl. Exſt. apud Vicum *Par.* 6. *cap.* 82.

(6) Apud Harduin. *Tom. VII. col.* 1331.

ne XXII. anno MCCCXVIII. De Friderico loquuntur monumenta Conventus Piſani Patrum Dominicanorum, narrantque, teſte Vincentio Maria Fontana (1), in ſua Eccleſia ſancto fine quieviſſe.

VIII. Jacobus Cucchius.

Ordinis item Prædicatorum, & Cœnobii Piſani alumnus vir pius, doctuſque Theologus poſt varia in Provincia Romana munera geſta Sanctæ Juſtæ Solium conſcendit anno MCCCXXVIII. uti cl. Bremondio (2) arridet. In monumentis Conventus Piſani, ut auctor eſt Fontana citatus (3), legitur, plures annos huic Eccleſiæ præfuiſſe, & multa bona ante mortem ſuam præfato Conventui pia liberalitate legaſſe. Uſque ad annum MCCCXLIX. circiter ſpiritum duxiſſe ex Conſtitutione (4) Clementis VI. compertum mihi eſt.

IX. Palaczinus.

Vita functo Jacobo ſucceſſit Palaczinus *de Sancto Petro* appellatus Frater Minorita. Dignitatem verò Epiſcopalem acquiſivit anno ſupra indicato quarto Nonas Septembris (5).

X. Bernardus.

Ex Epiſcopo Inſulano in Calabria ad hanc Eccleſiam ab Innocentio VI. anno MCCCLIV. quinto Calendas Septembris translatus eſt. Apparet id ex *Regeſto* Vaticano, quod vidit Ughellius (6).

XI. Seraphinus Tavacctus de Trio.

Ex Ordine Fratrum Minorum, cum eſſet Regienſis Epiſcopus, Corpus Beati Proſperi ad propriam Eccleſiam *de Caſtello* iterum tranſtulit „ Anno Domi„ ni MCCCLXXXVII. die 15. Aprilis „ Reverendiſs. Seraphinus Epiſcopus „ Reginus, & Princeps una cum Cle„ ro, & Capitulo palam cum Campa„ nis, & Proceſſionibus mirificè de„ mum Beatum Corpus fecit in Eccle„ ſiam Sancti Proſperi de Caſtello ſe„ liciter reportari, & in Arca pro„ pria devotiſſime introcludi. Et Al„ taria Beatorum Proſperi, & Venerii „ fuerunt conſecrata dicto anno, & „ die 25. Aprilis per dictum D. Sera„ phinum (7) „. Anno nuper indicato, ſed die 24. Julii ad hanc Eccleſiam translatum eſſe non modo Ughellii (8), verum etiam Petri *de Gazata* Monachi Scriptoris ſynchroni (9) ſententia eſt. Hic de Seraphino nonnulla loquens infinitum, quod in illum habebat odium, ſatis patefacit.

De hujuſmodi Epiſcopo agunt item Wadingus (10), ejuſque pediſſequus Haroldus (11) paucis verbis, ſed ambo in iis duo peccant. Alter enim ait, ad hanc Sedem an. MCCCXLVII., alter verò anno MCCCXXXVII. tranſiiſſe, cum tamen certiſsimum ſit, ante ann. MCCCLXXXVII. Regienſem Cathedram non dimiſiſſe. Uterque autem ſcribit, ad Eccleſiam *Sancti Juſtini* acceſsiſse, quæ nunquam in Sardinia fuit: quos quidem errores, licet non mul-

(1) *Theat. Domin. pag.* 286. (2) *Tom. II. Bullar. Ord. Præd. pag.* 212.
(3) *Ibidem.* (4) Apud Wading. *Tom. VIII.* incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ* pag. 391.
(5) V. *eandem Conſtit.* (6) Conſule *Tom. IX. in Ep. Inſul. num.* 10.
(7) Confer *Hiſt. Translat. S. Proſp. factæ anno* 1601. apud Bolland. *Tom. V. Junii ad diem* 25. *cap.* 4. *pag.* 67. (8) *Tom. II. in Ep. Reg. num.* 67.
(9) *Chron. Regienſi* apud Murator. *de Script. R. I. Tom. XVIII. col.* 95.
(10) *Tom. VII. ad an.* 1337. *num.* 1. *pag.* 204.
(11) *Tom. I. Epit. Annal. Min. ad eum an. num.* 1. *col.* 770. *edit. Roman.*

tum graves, & hujus generis plures alios, ubi in Wadingo deprehendo; vehementer doleo, eum qui Romanam Annalium Minorum Editionem curavit, minus diligentem in iis emendandis fuiſſe, quam tantum opus poſtulabat.

XII. Geminianus.

In locum Seraphini Geminianus lectus eſt. Iſtius electionis annus non liquet. Liquet verò annus emortualis, qui fuit MCCCCI. circiter, prout Wadingus (1) certis innixus monumentis litteris conſignavit.

XIII. Dominicus.

Is excepit Geminianum anno, quem paullo ante memoravimus, 12. Calendas Junii. Priuſquam Sacris Infulis decoraretur, vitam egerat monaſticam in Ordine Fratrum Minorum (2).

XIV. Hector.

Per mortem Dominici (3) Sanctæ Juſtæ Solium conſcendit Hector profeſſione Dominicanus decimo octavo Calendas Majas. Quo anno hoc acciderit, Fontana *in Theatro* Virorum ſui Ordinis Illuſtrium adnotare omiſit. Verum illius defectum ſupplevit eruditiſsimus Bremondius (4) ajens, a Martino V. anno MCCCCXXVIII. Hectorem in hujus Eccleſiæ Paſtorem renuntiatum fuiſſe.

XV. Antonius.

Quantum conjectura aſſequi licet, Antonius proximus fuit Hectoris ſucceſſor, tametſi certus electionis annus ignoretur. Epiſcopalem dignitatem, animamque depoſuiſſe ſub anno MCCCCXXXIII. ex Tabulario Vaticano fit manifeſtum (5).

XVI. Petrus II. de Vellena.

Tertius hic fuit Frater Minorita, qui hanc gubernavit Eccleſiam, cujus regimen ſuſcepit an. MCCCCXXXIII. decimo ſexto Calend. Octobris, quemadmodum Annales noſtri Ordinis tradunt (6).

XVII. Gaspar.

Ex Actis Concilii Lateranenſis V. (7) anno MDXII. celebrati Gaſpar hujus Eccleſiæ Epiſcopus innoteſcit; aliunde nulla nobis lux affulget. Poſt non multo probabiliter mortuus, vel ſaltem aliò translatus eſt.

(1) *Tom. IX. ad eum an. n. 4. pag. 148.*

(2) Confer Wading. *loco indic.*

(3) P. Fontana *Theat. Domin. Par. 1. pag. 286.* teſtatur, Hectorem ſucceſsiſſe cuidam *Dondeo* conſtare ex Actis Conſiſtorialibus. Porrò Dondeum eundem fuiſſe, atque Dominicum nullus dubito, quotieſcumque de illorum temporum ratione cogito, in quibus nomina præſertim virorum, & mulierum non modo corrupte ore proferebantur, verum etiam litteris conſignabantur; hinc Dominicus Epiſcopus Polenſis electus anno 1426. ab Ughellio *Tom. V. col.* 481. etiam *Dondeus* vocatur. *Dondeus* item, ipſo Ughellio judice *Tom. IV. col.* 1001. appellatur in Actis Conſiſtorialibus Martini V. *Dominicus* Antiſtes Marianenſis, qui renuntiatus eſt anno 1428.

(4) *Tom. II. Bullar. Ord. Præd. pag. 708.*

(5) Conſule Wading. *Tom. X. ad eum an. num. 14. pag. 115.*

(6) Vid. Wading. *ibidem*.

(7) Apud Harduin. *Tom. IX. col. 1609.*

ECCLE-

ECCLESIA TERRALBENSIS.

Turris-albæ Civitatis Epiſcopalis Africæ Geographi tam Sacri (1), quam Profani (2) meminere. Turris-albæ, ſeu Terræ-albæ in Sardinia neminem eorum legere potui, qui meminerit. Martinierus quidem in ſuo magno Dictionario (3) brevem ſermonem de *Toralba* inſtituit, ſed cum ſcribat, exſtare *dans la Province de Bonvicin*, *environ à quinze milles d'Italie*, *au levant d'Algeri*, ſatis innuit, eam a Turre-alba, de qua in præſentia loquimur, diverſam eſſe: hæc namque, uti conjicere fas eſt, inter meridiem, & occidentem Solem poſita erat. Vitalis exiſtimat, Terralbam eo in loco fuiſſe, in quo nunc reperitur *Uras* Diœceſis Alenſis pagus: *Terralba autem Turabolis major erat*, *æquata nunc ſolo*, *Uras ibi Vicus* (4).

Ego in eam ſum propenſus opinionem, ut judicem, diverſam non eſſe a pago, qui per hæc etiam tempora *Toralba* in charta Chorographica Sardiniæ a Petro Vanderaa typis excuſa vocatur, inque ea prope oppidulum *Goſpini*, ſeu potius *Guſpini* ponitur, quod a Vitali (5) ſitum in Diœceſi Alenſi dicitur.

An ita ſe res habeat, videant Sardi, quibus ego lubenter hanc relinquo Provinciam. Interea ad res Eccleſiaſticas progredior, quæ licet non planæ, non ſunt tamen ita implicatæ, ut nihil certi, exploratique haberi queat. De *Terralbenſi*, ſeu *Turralbenſi* in Sardinia Epiſcopatu loquuntur Cencius Camerarius, nec non antiquæ *Notitiæ* Eccleſiaſticæ, eumque Arborenſis Metropolis *Suffraganeum* appellant; Aubertus Miræus apud Labbeum (6), & Labbeus ipſe, ſed *Torrallenſem* illum vocat; Ferrarius de Sardiniæ Eccleſiis loquens (7), ac Epiſcopatum *Turris albæ* nuncupat.

Ejuſmodi Sedes ab initio ſæculi decimi ſexti alteri Eccleſiæ annexa eſt. Bollandiani ajunt (8), cum Sede Archiepiſcopali Arborenſi coaluiſſe. Veriùs Ferrarius (9), Vitalis (10), & Vicus (11) ſcribunt, unitam Uſellenſi, ſeu Alenſi Epiſcopatui eſſe. Hallucinatur tamen Vitalis, quando aſſerit, conjunctionem hanc ſub Alexandro III. contigiſſe, cum nonniſi ſub Alexandro VI. acciderit, a quo plures Sardiniæ Eccleſiæ ſimul unitæ fuerunt. Tempore, quo *Terralba* proprium habebat Epiſcopum, in ejus Cathedrali Eccleſia Sancto Petro dicata divinas recitabant laudes præter inferiores Presbyteros, & Clericos, Archipresbyter, ſeptemque Canonici.

Adverſus ea, quæ de conjunctione Sedis Terralbenſis cum Uſellenſi anno circiter milleſimo quingenteſimo tertio, Eccleſiam univerſam gubernante Alexandro VI., poſita a me ſunt, unum eſt, illudque graviſsimum. Pius V. Pontifex Maximus anno MDLXVIII.

 die

(1) Confer Harduin. *in Indice Geograph. Epiſcopat. Tom. XI. col.* 892.
(2) Martin. *Tom. X. M. Dict. pag.* 450.
(3) *Pag.* 267. *ejuſdem Tomi*.
(4) *Appar. ad Ann. Sard. col.* 32.
(5) *Ibidem*.
(6) *Breviario Geograph. Epiſcop.* §. 3. *cap.* 2. Exſt. *in App. ad Hiſt. Concil. col.* 9.
(7) *Lex. Geograph.* ad verb. *Sardinia*.
(8) *Tom. III. Maii ad diem* 14. *pag.* 271.
(9) *Loco laud.*
(10) *Loco ante indic.*
(11) *Tom. II. Hiſt. Gener. Sard. Par.* 6. *cap.*

die ſecunda Aprilis in litteris (1) ad Leonardum *Deſſi* Eccleſiæ S. Martini *Parochum*, & unius Cœnobii Oriſtanenſis PP. Dominicanorum ſundatorem, inter cætera hæc habet: *Venerabilibus Fratribus Uſellenſi, & Terralbenſi Epiſcopis, ſive eorum Vicariis in Spiritualibus Generalibus per præſentes* (litteras) *committimus, & mandamus*. Ergo anno MDLXVIII. hæ duæ Sedes nondum unitæ erant ad invicem; nam ex Pii V. verbis liquet, Uſellenſem, & Terralbenſem Eccleſias a duobus Epiſcopis adminiſtratas fuiſſe.

Præfata verba durum eſſe ſcopulum fateor, ſed non proinde in aqua hæreo; emergere enim e vadis poſſe confido, ſi dixero, Amanuenſium aut negligentia, aut inſcitia factum eſſe, ut duo evaſerint Epiſcopi, tametſi unus reipſa fuerit, qui & Uſellenſem, & Terralbenſem gubernabat Eccleſias. Atque cur id afferam, variæ ſunt rationes, quas nunc expono. Poſt ſeculi decimi ſexti initium nec in Actis Conciliorum, nec in aliis monumentis nullus occurrit Terralbenſis Antiſtes. Vicus Andream Sannam, qui longe ante memoratum annum Epiſcopus fuit, appellat Antiſtitem Uſellenſem, ac Terralbenſem. Petrus Rodulphius (2) ſcribit, ex *Cancellaria*, ut dicunt, Apoſtolica, Joannem *Caſcavoram* ſacris Inſulis ornatum anno MDLXXII. Epiſcopum Uſellenſem ac Terralbenſem fuiſſe, conſtare.

EPISCOPI TERRALBENSES.

I. MARIANUS I.

Hanc regebat Eccleſiam anno MCXLIV. die decima Maii. Per id enim temporis Eccleſiam Cathedralem ædificavit, uti ex Inſcriptione, quæ ſuper ejuſdem januam viſitur, ſit manifeſtum: *Anni Domini cum mille, & centum quadraginta quatuor currerent, ac Maii die decima, Epiſcopus Marianus hæc poſuit limina* (3).

II. ILDIBRANDINUS.

In Mariani locum ſuffectus Ildibrandinus eſt, eratque Pontifex anno MCXLVII. circiter, quo Eccleſiæ *de Bonarcanto* conſecrationi adfuit, & Bariſonis Arboreæ Regis diplomati ſubſcripſit (4).

III. MARIANUS II. ZORRACHI

Dictus quoque *Marinianus* eſt. Anno MCLXXXII. una cum Epiſcopo Alenſi, & Regina Algaburga, ut Bariſon Rex Arborenſis Sancti Nicolai *de Gurgo* Eccleſiam *cum omnibus pertinentiis ſuis* Montis Caſſini Cœnobio largiretur, conſenſit (5).

IV. CONSTANTINUS DE SECONE.

Ex diplomate (6) Petri *de Baſſo* Judicis, ſeu Regis Aboreæ Provinciæ, quod

(1) Exſt. apud Bremond. *Tom. V. Bullar. O. P. pag.* 179.

(2) *Hiſt. Seraph. l.* 2. *Fol.* 235.

(3) Exhibet hanc Vicus *Tom. II. Hiſt. Sard. Par.* 4. *cap.* 17. *Fol.* 38. & *Par.* 6. *cap.* 81. *fol.* 108.

(4) Exſt. *Tom. III. Annal. Ord. Camald. in Append. num.* 286. *col.* 443., & *ſeq.*

(5) Lege Bariſ. diploma apud Gattolam *Par.* 1. *Acceſ. ad Hiſt. Abbat. Caſsin. pag.* 266., & *ſeq.* Confer item *Litter. Lucii III. P. M.* apud doctiſsimum Montfauconium *Diario Ital. cap.* 22. *pag.* 327. & *ſeq. edit. Pariſ.*, & apud Coquelines *Tom. III. novi Bullar. Rom. num.* 2. *pag.* 2., quibus inſertum præfatum diploma eſt.

(6) Servatur in Tabulario Monaſterii Sancti Michaelis *in Burgo* Piſarum. Ita Vir clariſsimus Mittarellius.

quod non ſemel memoravi, ſit manifeſtum, anno MCCXXX. Terralbenſem Eccleſiam gubernaſſe Antiſtitem quemdam nomine *Gontino*. Porrò hic alius certè non eſt a Conſtantino, qui, ut ex duobus monumentis a Muratorio vulgatis (t) liquet, eandem an. MCCXXXVII. die decima octava Aprilis, atque prima Maii regebat; id verò ex eo patet, quod Antiſtes *Gontino* item appellatus Epiſcopum Terralbenſem nuncupat ſe in quodam Petri *de Laccone* citatæ Provinciæ Regis diplomate (2) anno paullò ante indicato acto.

Præſulem noſtrum in vivis adhuc fuiſſe die undecima Maii demonſtrat aliud monumentum a clariſſimo Viro ſupra laudato (3) in lucem emiſſo; in quo etſi nec *Gontinus*, nec *Conſtantinus*, ſed *Guantinus* vocatur, nihilo tamen ſecius nemo extorquebit a me, ut diverſum eſſe a *Conſtantino* cenſeam; nam quî fieri potuit, undecim dierum ſpatio, quot nempe effluxerunt a Calendis Maii, quibus anima ſpirabat ſua *Conſtantinus*, ad quarto Idus ejuſdem menſis, quo Epiſcopus fuiſſe dicitur *Guantinus*, Conſtantinum ipſum è vita migraſſe, *Capitulum* in ejus locum legiſſe Guantinum memoratum, de hujuſmodi electione certiorem feciſſe Romanum Pontificem, hanc illum probaſſe, poſteaque Antiſtitem recenter electum a proprio Metropolita inauguratum eſſe?

V. N.

Inter Sardiniæ Præſules, qui Concilio Nationali Bonarcadæ anno circiter MCCLXIII. celebrato, de quo toties mentio facta eſt, numeratur Epiſcopus Terralbenſis.

VI. Oddo Sala.

Anno MCCXCVII. creatus eſt Epiſcopus hujus Eccleſiæ, quam dimiſit tranſacto luſtro. De Oddone plura ſum loquutus in Archiepiſcopis Arborenſibus.

VII. Robertus.

Proximus Oddonis ſucceſſor fuit Robertus ex Ordine Fratrum Minorum. Conſtat hoc verò ex Bonifacii VIII. diplomate (4). Una cum Joanne Epiſcopo Sanctæ Juſtæ Robertus noſter adſuit Synodo, quam Oddo laudatus anno MCCCIX. Eccleſiæ Arborenſis regimen tenens habuit, ut alio loco dictum a me eſt.

VIII. Martinus.

Ex Joannis XXII. Conſtitutione (5) res apertiſsima eſt, Martinum Epiſcopum Terralbenſem anno circiter MCCCXXXII. è medio abiiſſe. Hujus patriam, inſtitutum, & electionis tempus penitus ignoramus.

VIII. Joannes I. Rubei.

In Martini defuncti locum anno nuper indicato 8. idus Aprilis ſubrogatus eſt Joannes Ordinis Beatæ Mariæ Virginis *de Monte Carmelo* ſodalis, ſacræ Theologiæ Magiſter, ac Vir bonis moribus, prudentiaque præditus (6). Cum nonnulli abuſus inter ſui Ordinis alumnos Romæ morantes irreperent, Antiſtes

(1) *Tom. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſertat.* 71. *col.* 16. 18.

(2) Erat olim in manibus Abbatis Grandi, ut Mittarellius ciatus ad me ſcripſit.

(3) *Diſſert. indic. col.* 22.

(4) Apud Wading. *Tom. VI. pag.* 430. *num.* 19. incip. *In excelſo Sedis Apoſtolicæ Solio.*

(5) Exſtat apud Monſignanum in *Append. ad Tom. I. Bullar. Carmelitarum pag.* 558. incip. *Regimini Univerſalis Eccleſiæ.*

(6) Lege *Conſtit. indic.*

Digitized by Google

tiſtes noſter de iis auctoritate Apoſtolica inquiſivit, ac pro ipſis certas pœnas eiſdem Fratribus impoſuit, uti ex litteris, quas ad Generalia Comitia Nemauſi in Gallia Narbonenſi celebrata Joannes XXII. P. M. anno MCCCXXXIII. die 21. Maii (1) miſit, colligitur.

Anno ſequenti Avenione morabatur, unuſque ex iis Epiſcopis fuit, qui ſexto idus menſis Maii noſtræ, aliiſque Oppidi *Hyſpelli* Eccleſiis varias *Indulgentias* conceſſere, quemadmodum ex eorum literis in monumentorum *Appendice* recitandis, apertè conſtabit.

X. GUILLELMUS.

Ex Provincia Aragoniæ, in Conventu *Monteſano* Ordinem Sancti Dominici ingreſſus adeo pietate, litteriſque floruit, ut Aragonum Regis amorem promeruerit, cujus favore Terralbenſem Epiſcopatum eſt aſſequutus, teſte Bremondio (2), anno circiter MCCCLIX. Diem clauſit extremum juxta id, quod Ferdinandus, & Lopez a Fontana (3) citati ſcribunt, anno MCCCLXIV.

XI. JOANNES II.

Per obitum Guillelmi renuntiatus eſt Epiſcopus Terralbenſis ab Urbano VI. decimo calendas Auguſti. Tradit hæc omnia Ughellius (4), qui præterea ait, antea Eccleſiam Biſacienſem gubernaſſe.

XII. FRANCISCUS I.

Procuratorem ſuum ad generale Concilium Piſanum, anno MCCCIX. habitum legavit, prout ex ejus Actis colligitur. Verum quidem eſt, hæc apud Labbeum, & Harduinum Franciſcum Epiſcopum *Tenealbenſem* vocare, ſed in eo eſſe depravata liquet, cum quia editio Manſiana (5) eum *Terræ-albenſem* Pontificem nuncupat, tum maximè quia *Tenealbenſis* Epiſcopatus nullibi reperitur.

XIII. FRANCISCUS II.

Patria Romanus Epiſcopalem dignitatem obtinuit anno MCCCXI. menſe Octobri. Cujus inſtituti fuerit, Franciſcani, atque Auguſtiniani *certant*, *ſed adhuc ſub judice lis eſt*. Wadingus ex Ordine Franciſcano per mortem N. die 14. menſis citati aſſumptum fuiſſe, idque ex Actis Conſiſtorialibus patere ſcribit (6). Wadingo hac in re conſentit Theulius (7), qui præterea eum ſacræ Theologiæ Magiſtrum appellat. Contra Torellus (8) tutatur, fuiſſe Auguſtinianum, electum die quinta Octobris, & pro ſe Joannis XXIII. Conſtitutionem laudat.

Miror ſanè, nullum huc uſque inventum eſſe Scriptorem, qui Franciſcanos, & Auguſtinianos inter ſe de hujus inſtituto diſſentientes perſpiciens, utrique Societati eripuerit, ſuæque adjudicaverit Franciſcum.

XIV.

(1) Exſt. apud P. Monſignanum *T. indic. pag.* 561.

(2) *T. II. Bull. O. P. pag.* 255.

(3) *Theat. Dom. pag.* 305.

(4) *Tom. VI. in E. Biſac. num.* 10. *col.* 837.

(5) *Tom. III. Supplem. ad Concil. Veneto-Labbeana col.* 1071.

(6) *Tom. IX. ad eum an. num.* 4.

(7) *Appar. Minoritico della Provincia di Roma Par.* 1. *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 5.

(8) *T. VI. Sæc. Auguſt. ad eum an. num.* 10. *pag.* 439.

XIV. MATTHÆUS SERRA.

Ordinis Prædicatorum renuntiatus eſt Epiſcopus anno MCCCCXIX. Hæc de illo habet Abraham Bzovius in Mſs. apud P. Fontanam (1) *Matthæus Serra Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Terræ Albarum, ſeu Terrælbenſis in Sardinia a Martino V. undecimo Calendas Julii anno II.* Eccleſiam rexit annos fere ſex; mortuum namque eſſe anno MCCCCXXV. circiter ex Martini V. Conſtitutione (2) adeo certum eſt, ut in quæſtionem venire nequeat.

XV. DOMINICUS JOANNIS.

Matthæo ſubjiciendus eſt. Ex eadem Societate aſſumptus fuit anno, quem nuper indicavi die 28. menſis Februarii (3).

XVI. N.

Nobili genere ortus, familia nimirum *de Aranda*. Inter Sancti Auguſtini Filios cooptatus is erat, antequam anno MCCCCXLIV. Terralbenſe Solium conſcenderet. Hujus meminit Herrera, & ex eo Torellus (4), ſed neuter, quo nomine appellatus fuerit, perſpectum habuit.

XVII. JOANNES III.

De Joanne nihil nobis innoteſcit, niſi quod an. circiter MCCCCLXXXIV. is finem vivendi, & hanc Eccleſiam regendi fecit (5).

XVIII. JOANNES IV.

Profeſſione Franciſcanus aſſumptus dicitur a Wadingo (6) anno modò indicato decimo calendas Octobris.

ECCLESIA USELLENSIS.

INter Geographos veteres unus tantum, nempe Ptolemæus (7) de Urbe Uſellenſi mentionem facit, quam etiam *Coloniam* appellat. Inter recentes nullus eſt, qui illius non meminerit. Cluverius (8) opinatur, *Uſellim ab Oriſtano* non differre: *ipſa verò Urbs*, inquit, *ſive Colonia Uſellis erit ea, quæ ſecunda a capite vulgo nunc dicitur Oriſtagni*. Cluverium hac in re ſequuntur Brietius (9), Baudrandius (10), Hofmannus (11), atque Cantelius (12). Verum hos hallucinari nullus dubito: audiatur quæſo Chriſtophorus Cellarius Geographiæ antiquæ ut ſi quis alius peritiſſimus, qui veterum Geographorum maximè Ptolemæi veſtigia legens in hunc modum ſcribit „ ut ergo ab Auſtro (*Sardiniæ*) ad ſeptemtrionem pro„ grediamur, prima poſt Sulcos ſunt „ metalla a fodinis haud dubiè nomi„ nata. Deinde eſt Neapolis, quæ no„ men retinet ad ſinum paullò ſupra „ Oriſtanum Urbem Archiepiſcopalem: „ inde Caralim verſus ſunt aquæ Nea„ poli-

(1) *Theat. Domin. pag.* 305.
(2) Exſt. *Tom. II. Bull. O. P. pag.* 651.
(3) Confer *eandem Conſt.*
(4) *Tom. VI. Sæc. Auguſt. ad eum an, n.* 10. *pag.* 439.
(5) Confer Wading. *ad eum ann. n.* 56.
(6) *Ibidem*.
(7) *Lib.* 3. *Geograph. c.* 3. apud Petrum Bertium *Tom. I. Theat. Geograph. Vet. pag.* 76. *Edit.* 1616.
(8) *Sard. Antiq. col.* 16. *Tom. XV. Theſ. Burmanniani*.
(9) *Parallel. Geograph. Ital. Vet., & Novæ: Append. ad Tom. II. cap.* 12. *l.* 5. *pag.* 688.
(10) *Lex. Geograph.* ad verb. *Arborea*.
(11) *Tom. IV. Lex. Univerſalis* ad verb. *Uſellis*.
(12) *Hiſt. Metropolit Urbium Par.* 3. *Diſſert.* 6. *cap.* 8.

„ politanæ calidæ, & ſalubres a Ptolemæo æque & Antonino laudatæ. Haud „ procul Neapoli, ſi recta poſitio Ptolemæi eſt, Οὐσελλις, Uſellis fuit „ (1). Ad hæc, Urbs *Uſellis* nunc pagus in Diœceſi Alenſi eſt, prout tradit Vitalis (2), qui licet mendax in pluribus ſit, in re tamen, de qua agimus, ei utpote teſti oculato auctoritas deneganda eſſe non videtur.

Oppido Uſellenſi diruto ejus Epiſcopalis Sedes Aleſiam translata eſt, ſed quo tempore, teſtatur Vitalis (3), Dimam Serpi detegere nequiviſſe. „ Solo tandem, *inquit*, (martio horridis turbinibus convoluta (*Uſellis*) „ excurſibus occulcata, funditus tremefacta) æquata, in Alenſem abiit „ ejus infula, illuc eſt translata tiara. Hujuſmodi translatio quando, „ & quomodo, & a quibus ſit facta, nullibi Dimas noſter invenire ſe potuiſſe in Apodixi Sanctitatis Beati Georgii, minime diffitetur. „ Traditio autem majorum translationem hanc Donnæ Violantis Carros „ Comitiſsæ de Quirra earundem „ Uſellis, & Aleſiæ Urbium Dominæ „ tempore factam perhibet; quippe „ quæ magnis eam muneribus auxitque proventibus Heroina „. Mihi exploratum eſt, ejuſmodi translationem ante ann. MCLXXXII. accidiſſe; enim vero in diplomate Bariſonis Judicis, Regiſque Arboreæ, cujus paullò poſt iterum meminero, mentio de *Comitato Alenſi* Pontifice fit (4).

Quoniam ſermo noſter ultrò Aleſiam devenit, non abs re fore ſentimus, nonnulla de hujuſmodi oppido levi brachio attingere. Aleſia ergo poſita eſt in ea Inſulæ parte, quæ inter meridièm, & Solis occaſum vergit in agro admodum ſterili; iccirco deſerta eſt, ac in ea præter Eccleſiam Cathedralem, Canonicorum, & illorum domeſticorum Palatium ferme nulla alia continetur domus: *Elle eſt*, inquit Martinierus (5) de illa loquens, *ſituèe dans un endroit fort ſterile: ce qui a contribue à la rendre deſerte, n'y ajant preſque que l'Egliſe Cathedrale, avec les maiſons des Chanoines, & de leurs domeſtiques*.

Idem ipſe Martinierus, Vicus (6), Laſor (7), & Coronellius (8) exiſtimant, non eſſe diverſam ab oppido Leſitano, quod a Cluverio (9) duodecim fere millia paſſuum Meridiem verſus ab aquis Leſitanis Ptolemæo, cæteriſque Antiquis memoratis, diſtans ponitur. His ego etiam lubenter adſtipulor, tametſi intelligo, exſtare nonnullos (10), qui contra eſſe ſtatuendum ſentiant.

Alen-

(1) *T. I. Geograph. Antiq. L. 2. cap. 9. pag. 773. Ed. Lipſ.*

(2) *Appar. ad Annal. Sard. col. 26. & 32.* (3) *Appar. laud. col. 32.*

(4) Patet ex hoc hallucinari Martinierum, qui *T. X. M. Dict. G. C.* ad verb. *Uſel* de Sede Uſellenſi loquens ait, quod *le Pape Alexandre VI. le transfera à Ales petite Ville de la meme Isle.* (5) *T. I. operis indic.* ad v. *Ales*.

(6) *T. II. H. Gen. Sard. Par. 6. cap. 90. fol. 112.* (7) *T. II. Biblioth. Univerſ. ad v. Ales.*

(8) *T. II. Univerſi Terr. Orbis* ad verb. *Leſa*. (9) *Sard. Antiq. col. 26.*

(10) Hi ſunt Hofmannus, & Vitalis; alter opinatur *T. IV. Lex. Univ.* ad v. *Uſellis*, Aleſiam eandem eſſe atque Uſellim, quod a veritate diſtare ex hactenus dictis apertè liquet; alter exiſtimat *loco paullo ante cit.* oppidum *Ales* dictum ab *Aleria* eſſe: *Aleriam* ita vocatam fuiſſe ab antiqua Sardiniæ Civitate *Valeria* appellata. Verum, ut mittam, doctrinam hanc non probare Cluverium *col. 27.* veriſimile eſt, Urbem, quam nonnulli ſcripſerunt nuncupatam a Ptolemæo *Valeriam*, ab eodem dictam fuiſſe *Valentiam* „ pronum eſt (*utor cl. Cellarii verbis pag. 774.*), nomen „ oppidi non *Valeriam*, ſed *Valentiam* fuiſſe, & ita quoque ſcripſiſſe Ptolemæum „. Quæ

Viri

Aleſianum Cœlum adeò inſalubre eſt, ut Epiſcopus æſtivo, autumnalique tempore Calari moram trahere cogatur. Nemo tamen ex hoc credat, Calaritani Archiepiſcopi eſſe *Suffraganeum*, quemadmodum putavit Labbeus (1) Vir alioquin doctiſſimus; nam Uſellenſis, ſeu Alenſis Antiſtes ab eo tempore, quo Arboreæ Eccleſia in Metropolim erecta fuit, ſemper Arborenſem Præſulem pro ſuo Metropolitano habuit.

Et quod ad hæc tempora ſpectat, adeo certa, explorataque res eſt, ut dubitari nullo pacto queat. Quod vero ad vetuſta tempora attinet, ita demonſtro: Lucius III. Romanus Pontifex in litteris ad Petrum Abbatem Montis Caſſini anno MCLXXXII. ſecundo Calendas Julii datis (2) narrat, Nobilem Virum Bariſonem Arborenſem Judicem dono dediſſe Monaſterio Caſſinenſi *Eccleſiam Sancti Nicolai de Gurgo cum omnibus pertinentiis ſuis*, aſſenſum præbentibus Epiſcopis Diœceſanis, nempe Antiſtitis Arborenſis ſuffraganeis. Porrò ex memorati Bariſonis diplomate conſtat, Epiſcopos illos fuiſſe Marinianum Zorachi *de Terralba*, & Comitanum Pais *de Ala* „ Ego Paraſon Arboreæ Rex, & Judex Avi, & „ Patris mei ſequens pro poſſe piaveſtigia, conſentiente Uxore mea Regina Algaburga, nec non & Epiſcopis noſtris Marjniano Zoraki de Terralba, & Comitano Pais de Ala, pro „ Redemptione animarum noſtrarum, „ & Parentum noſtrorum tradimus, „ donamus, atque concedimus Eccleſiæ S. Benedicti de Monte Caſino Eccleſiam S. Nicolai de Gurgo cum „ omnibus pertinentiis ſuis &c. (3) „. Accedit, quod tam in Libello Cenſuum S. R. E. a Cencio Camerario confecto, quam in antiquis *Notitiis* Eccleſiaſticis Uſellenſis Eccleſia inter Sedes Antiſtitis Arborenſis ſuffraganeas recenſetur. Menſæ Epiſcopalis *taxa*, uti in Actis Conſiſtorialibus legitur, eſt *florenorum* 200., *fructus* 5000. *ſcutorum illius monetæ*.

Eccleſia Cathedralis olim Sacra erat Sanctis Martyribus Juſtæ, Juſtinæ, atque Henedinæ. Verum circa finem ſæculi proxime tranſacti ſponte ſua dilapſa quarto Calendas Julii, cum iterum conſtructa, ac in meliorem formam redacta eſſet, Apoſtolorum Principi dicata fuit. Quotidie in ea Divinas perſolvunt laudes Decanus, decem, & octo Canonici, atque viginti circiter *Beneficiati*, ut ajunt. Unam tantum habet *Præbendam*, nempe Theologalem.

Viri celeberrimi doctrina eo confirmari etiam poteſt, quod ſæculo duodecimo adhuc exſtabat in Sardinia, & quantum conjicio in Provincia Arborenſi, oppidum *Valenza* dictum. Vide *Bariſonis diploma* apud Gattolam *loco mox citando*: quo tempore cum *Ales* item exſtaret, prout ex diplomate indicato conſtat, quod ſcribit Vitalis falſum eſse, clarius patet.

(1) *Breviario Geograph. Epiſcop.* exſt. *in Appar. ad Concil. col.* 9.

(2) Has exhibet clariſsimus Montfauconius *Diario Ital. c.* 22. *pag.* 327. *edit. Pariſ.* 1702.

(3) Exſt. apud Gattolam *Par.* 1. *Acceſ. ad Hiſt. Abbat. Caſſinenſ. pag.* 267., & apud Montfauconium *ibidem*.

EPISCOPI USELLENSES.

CASSIANUS. Primus, qui Uſellenſem Cathedram conſcendit, ſententia P. Vitalis, fuit Caſſianus Vir doctiſſimus, unuſque ex Arelatenſis Concilii Patribus: *Hujus Antiſtes Eccleſiæ fuit doctiſſimus ille Vir nulli probitate ſecundus, qui Arelatenſi Concilio interfuit, primuſque ibi relatus habetur* (1). Multas Synodos Arelate in Provincia celebratas eſſe neminem fugit, etſi vel primoribus labiis Sacrorum Conciliorum Hiſtoriam attigerit; unde cum Vitalis, cuinam ex iis Caſſianus ſubſcripſerit, memoriæ non prodiderit, ut hunc deprehenderem ſeptem Arelatenſium Synodorum Acta, earum nempe, quæ ante annum MCCX. habitæ ſunt, diligenter pervolvi, ſed conatu penitus irrito. Itaque reor Vitali nomen *Arelatenſi* pro *Carthaginenſi* excidiſſe; revera enim Carthaginenſi Concilio an. CCCXLVIII. celebrato Caſſianus quidam interfuit, ut ex Actis illius apud Harduinum (2) colligitur, cumque Antiſtes dicatur *Uſulenſis*, ob quandam vocabuli ſimilitudinem Uſellenſi huic Eccleſiæ eum adjudicavit Vitalis.

Verum Caſſianum non Sardum, ſed Afrum fuiſſe, atque Eccleſiam *Uſulenſem*, ſive *Uſillenſem* in Byzacena Africæ Provincia (3) ſitam gubernaſſe, non modo Dupinus (4), Ruinartius (5), Martinierus (6), Weſſelingius (7), Harduinus (8), & alii Actorum Conciliorum editores aſſerunt, verum etiam ex verbis præfatæ Synodi hauritur: *Cum Gratus Epiſcopus Carthaginenſis in Concilio una cum Collegis ſuis conſediſſet, & qui ex diverſis Provinciis Africanis ad Carthaginem convenerant*. Ergo ad Synodum Carthaginenſem ſub Grato habitam ii tantummodo acceſſerunt Epiſcopi, qui Juriſdictioni Eccleſiaſticæ Grati ſubjecti erant, & in Africa morabantur. Sardi autem Præſules nunquam, vel ſaltem per ea tempora Africæ Primati haud obtemperabant, & poſt multos duntaxat annos Sardinia in Africæ Provinciis numerata eſt, ut alibi animadverſum a me fuit.

I. VINCENTIUS, SEU AGATHO.

Ex his duobus Epiſcopis unum Uſellenſem rexiſſe Eccleſiam Sancti Gregorii Magni ætate veriſimilibus innixus conjecturis ſcripſi alio loco (9).

II. PELLUS.

Inter Antiſtites, qui anno MCXLVII. circiter Bariſonis Regis Arborenſis diplomati (10) ſubſcripſerunt, refertur *Donnu Rellu Piſcobu Duſtellus*.

Exi-

(1) *Appar. ad Annal. Sard. col. 32.*

(2) *Tomo I. col. 686.*

(3) De hujus Epiſcopatus loco confer Fabritium *in Ind. Geograph. Epiſc. Orbis Chriſt. pag. 196.* Dupinum, & alios Auctores mox citandos. In ea verſor ſententia, ut judicem, Caſſianum deceſſorem fuiſſe Irænei, & Theodori Uſulenſium in Africa Antiſtitum, quorum alter, quantum apud Sanctum Auguſtinum me legiſſe recordor, anno circiter 400., alter ſub annum 406. vivebat. Vide *lib. 7. contra Donatiſt. cap. 18. col. 130. lib. 3. contra Creſconium cap. 19. col. 303. Tomo IX. oper. edit. Antuerp. Maur. 1700.*

(4) *In not. ad Geſta Collat. Carthag. pag. 264. inter op. S. Optati Milevit. edit. Antuerp.*

(5) *In not. ad Vict. Vitenſ. lib. 4. de Perſeq. Afric. pag. 319. edit. 1694.*

(6) *Tomo X. Mag. Diction. Geograph. Crit.* ad verb. *Uſilenſis.*

(7) *In not. ad Antonini Itinerarium pag. 59. edit. 1735.*

(8) *In Indice Geograph. Epiſc. pag. 909.*

(9) *Differt. prævia cap. 4. num. 4.*

(10) Extt. *T. III. Annal. Camald. in Append. num. 286. col. 443.*

Eximii Camaldulenſium Annalium Auctores (1) ea verba ita reddunt: *Pellus Epiſcopus Duſſelitanus*. Cum in Sardinia *Duſſelitana* Eccleſia numquam fuerit, Pellum ad hanc ſpectare non dubito. Illud verò animadverto, quod fortaſſis in diplomatis archetypo non *Duſtellus*, ſed *d' Uſellus*, vel *d' Uſellos* legebatur, ita ut littera *d* non verbum componeret, ſed articulum exprimeret. Jam verò Sardi hujus Sedis Antiſtites Epiſcopos *d' Uſellos* lingua vernacula appellare conſueverunt (2).

III. COMITATUS PAIS.
IV. MAURUS.

Comitatus, qui & *Comitanus* dicitur diplomati, quo Bariſon citatus Eccleſiam S. Nicolai *de Gurgo* Monachis Caſſinenſibus conceſſit: Maurus diplomati, quo idem ipſe Bariſon Eccleſiam S. Nicolai *de Urgen* præfatis Monachis elargitus eſt, ſubſcribit. Primum diploma (3) quin an. MCLXXXII. ſcriptum ſit dubitari non poteſt, quod de ſecundo etiam ſentiendum eſt, ſi Muratorio (4), qui illud vulgavit, fidem adhibemus. Quoniam dies, qua ea data ſunt, ex ipſis non apparet, an Comitatus, vel Maurus primùm numerari debeat, non ſatis liquet.

Ego tamen & Comitatum primò recenſendum, & monumentum, quod illius nomen exhibet, altero antiquius eſſe exiſtimo; nam Petrus Abbas Caſſinenſis a Lucio III. poſtulans, ut ſibi Eccleſia *de Gurgo* confirmaretur, cui Pontifex Maximus anno ſupra indicato 2. Cal. Julias benignè indulſit (5), idipſum pro altera Eccleſia non petit; quod maximo eſt argumento, nondum eam a Bariſone accepiſſe. Igitur Maurus ſucceſſit Comitato vita functo aut anno laudato poſt menſis Junii exitum, aut anno ſequenti: ex quo etiam patet, non ita certum eſſe, ſecundum diploma anno MCLXXXII. datum fuiſſe, ut dubitari non poſſit, quin poſt præfatum annum ſcriptum fuerit.

Comitatus non *Uſellenſis*, ſed *de Ala* Antiſtes nuncupatur; attamen Uſellenſi Eccleſiæ abjudicari minimè debet, ſiquidem hæc Uſellenſis, ac Alenſis promiſcuè olim dicebatur; cujus rei præclarum habemus Eugenii IV. teſtimonium in litteris creationis Joannis *Garſiæ* Dominicani in hujus Eccleſiæ Antiſtitem „ Dudum ſiquidem (*verba* „ *ſunt Pontificis*) bonæ memoriæ Ja„ cobo Epiſcopo Uſellenſis Eccleſiæ a„ liàs de Alas nuncupatæ (6). „

V. JOANNIS I.

Narrat Franciſcus Vicus (7), poſt ſæculi decimi tertii initium Uſellenſem Eccleſiam rexiſſe Petrum neſcio quem, anno MCCXX. ad Sedem Calaritanam aſſumptum. Sed præfatum Hiſtoricum ſatis oppugnavi in Pontificum Calaritanorum catalogo; in eo enim (8) oſten-

(1) *Tomo cit. ad eum annum lib. 29. num. 32. pag. 299.*

(2) Vid. diploma Bariſonis apud Murator. *T. II. Antiq. Medii Ævi Diſſertat. 32. col. 1059.*

(3) Exhibetur a Gattola *Par. 1. Acceſ. ad Hiſt. Abbat. Caſſin. pag. 266.*

(4) *Loco indic.*

(5) Confer Lucii Litteras apud Montfauconium *opere, ac loco ſupra indic.* & ex eo apud Coquelines *T. III. novi Bull. Rom. num. 2. pag. 3.*

(6) Exſt. apud Bremond. *T. III. Bull. Ord. Præd. pag. 225.*

(7) *Num. XX.* Illud nunc animadverto, quod præter Gonzalez Innocentius Cironius etiam *in quinta Compilatione Epiſtol. Decretal. Honorii III. Tit. 4. de Poſtulat. Prælat. cap. 1. pag. 19. edit. Toloſ.* 1645. Epiſcopum, qui a Canonicis Calaritanis in eorum Præſulem electus eſt, Antiſtitem Suellenſem fuiſſe, ſcribit.

(8) *T. II. Hiſt. Sard. Par. 6. cap. 81.*

di, Epiſcopum, qui per illud tempus Sedem laudatam conſcendit, nec *Uſellenſem*, nec *Sutrienſem*, ut in omnibus ferè *Decretalium* Editionibus legitur, ſed *Suellenſem* Antiſtitem fuiſſe. Quare Petro omiſſo poſt Maurum numerandus in Epiſcopis hujus Eccleſiæ eſt Joannes, qui prout ex Petri Judicis, ac Regis Arborenſis diplomate (1) conſtat, Uſellenſem Populum anno MCCXXXVII. gubernabat.

VI. N.

Joanni dubio procul Anonymus ille ſubrogatus eſt, qui Concilio Bonarcadæ, ut ferunt, anno MCCLXIII. celebrato, interfuit.

VII. Robertus Draooni.

Ortus eſt Piſis. Fuit Patrum Dominicanorum Provinciæ Romanæ alumnus. Scribit cl. Bremondius (2), Epiſcopum inauguratum eſſe anno MCCCXIV. In Patriam poſtea reverſus ibidem iter carpſit ſupremum anno MCCCXX., ſepultuſque jacet in ſui Ordinis Eccleſia ante Aram maximam. Plura bona cœnobio ſuorum conſodalium legaſſe tradunt ejuſdem cœnobii monumenta, quæ vidit Vincentius Maria Fontana, ut ſibi ipſe teſtis eſt (3).

VIII. Jacobus I.

De Jacobo mentionem facit Ferdinandus Ughellius (4) ſcribens, poſt gubernatam hanc Eccleſiam ad Sedem Lavellenſem anno MCCCCIII. translatum fuiſſe.

IX. Franciscus I. de Auria.

Patria Januenſis, nobilitate clariſſimus, profeſſione Franciſcanus ex Epiſcopo Lavellenſi electus in Pontificem Uſellenſem dicitur anno, quem modo indicavimus (5). Hunc Wadingus inter Antiſtites Minoritas non recenſet; quare Annales noſtri ſuppleri poterunt.

X. Petrus I. Spinula.

Eadem ac Franciſcus ſortitus eſt patriam, nobilitatemque non diſſimilem. Ex Epiſcopo Savonenſi a Benedicto XIII. Pſeudopapa an. MCCCCXIII. Antiſtes Uſellenſis renuntiatus eſt. Eccleſiam hanc rexit ad annum uſque MCCCCXVIII., quo ad Calaritanam (6) tranſiit.

XI. Bernardus I. Rubeus.

Appellatus etiam a nonnullis fuit *Leonardus*. Inter Fratres Minores vota ſolemniter emiſſerat, Sacræque Theologiæ lauream acquiſierat. Per translationem Petri ad Sedem Calaritanam Pontifex Uſellenſis declaratus eſt anno, quem ſupra indicavi, prout ex Martini V. Conſtitutione (7) innoteſcit.

XII. Joannes II. de Campo-Longo.

Natione Catalaunus, patria Perpinianenſis, Inſtituto Carmelitanus celebris fuit Philoſophus, Theologus, Verbique Dei Concionator. Anno MCCCCXXI. die 21. Aprilis hujus Eccleſiæ regimen ſuſcepit. Conſtat id ex Actis Conſiſtorialibus Martini V. teſte P. Danie-

(1) Exſt. apud Murat. *T. VI. Operis nuper citati Diſſert.* 71. *col.* 16.
(2) *T. II. Bull. O. P. pag.* 129.
(3) *Theat. Domin. pag.* 327.
(4) *T. VII. n.* 15. *col.* 741.
(5) Confer Ughell. *ibidem n.* 14.
(6) Confer quæ diximus *in Arch. Calarit. n.* XXIX.
(7) Exſt. apud. Wad. *T. X. pag.* 291. incip. *Apoſtolatus Officium*.

niele a Virgine Maria (1). Quocirca dicendum, hallucinari cum Pater Lezana (2), qui Joannem noſtrum Diœceſim Elnenſem moderatum eſſe litteris conſignavit, tum vero maximè Caſſanatum (3), qui eum non modo Epiſcopum Elnenſem dixit, ſed etiam anno MCCCCXXI. vixiſse memoriæ prodidit. Opera, quæ is confecit, refert Coſmas de Villiers (4).

XIII. Jacobus II.

In Sardinia in pago, qui dicitur *Villa-Nova* natalem vidit lucem. Anno MCCCCXXV. pridie idus Decembris Epiſcopalem (5) obtinuit dignitatem, cum diu vitam Monaſticam in Ordine Franciſcano egiſſet. De mortis tempore nunc diſputo. Quemdam Fratrem Minoritam Pontificem Uſellenſem anno MCCCCXXXIX. obiiſſe exploratæ fidei eſt. Lucas Wadingus hunc fuiſſe a Jacobo *de Villanova* diverſum exiſtimat; idque ex eo conſtat, tum quod Minoritam Uſellenſem Præſulem, qui anno nuper citato deceſſit, non *Jacobum*, ſed *Joannem Jacobi* nuncupat (6), tum quod in Indice ad Tom. V. primæ Editionis unum ab altero apertè diſtinguit.

Ego verò cum certò ſciam ex libro *proviſionum* Prælatorum, quem laudat P. Fontana (7), & ex diplomamate Eugenii IV., cujus fragmentum recitat Bremondius (8), Antiſtitem Uſellenſem anno MCCCCXXXIX. defunctum *Jacobum* duntaxat appellatum eſſe, colligo & hunc fuiſſe Jacobum a *Villanova*, & Wadingum ſentientem, ab anno MCCCCXXV. ad MCCCCXXXIX. duos in hac Cathedra ſediſſe Paſtores, vehementer errare.

XIV. Joannes III. Garzias.

Dominicanus Provinciæ Aragoniæ, Conventus nempe Cæſarauguſtani alumnus, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Alphonſi V. Aragonum Regis a Sacris Confeſſionibus, anno MCCCCXXXIX. die prima Julii inauguratus eſt Uſellenſis Præſul, quemamadmodum ex litteris Eugenii IV. (9) patet, quæ cum his verbis incipiant. „ Eugenius Epiſcopus „ Servus Servorum Dei Dilecto Filio „ Joanni Garziæ electo Uſellenſi Salu„ tem, & Apoſtolicam Benedictionem „ planè demonſtrant, erraſſe Diagum, tametſi rerum ſuæ Provinciæ Scriptorem, Bremondio judice (10), diligentiſſimum; ſiquidem Joannem fuiſſe Epiſcopum tantum *Majoricenſem* in ſcriptis reliquit (11).

XV. Michael I.

Dimiſſa a Joanne anno MCCCCXLIV. hac Sede, quarto idus Octobris eandem obtinuit Michael ipſiuſmet Provinciæ, & Inſtituti alumnus. Fontana (12), & Cavalerius (13) aſſerunt, Michaelem uſque ad annum MCCCCLIV. vitam perduxiſſe.

XVI. Bernardus II. Michaelis.

Bernardum hunc ſubrogant Michaeli Fontana, Cavalerius modo citati, aliique apud ipſos. Clariſsimus Bre-

(1) *T. II. Speculi Carmelit. pag.* 934. *n.* 3271.
(2) *T. IV. Annal. Carmelit. pag.* 201.
(3) *Paradiſo Carmelitici Decoris pag.* 246.
(4) *T. I. Biblioth. Carmelit. col.* 807.
(5) Confer Wad. *T. X. ad eum an. n.* 8.
(6) *T. XI. ad eum an. n.* 36. *pag.* 84.
(7) *Theat. Domin. pag.* 327.
(8) *T. III. Bull. pag.* 333.
(9) Exſt. apud Bremond. *loco indic.*
(10) *Op. & pag. cit.*
(11) *L.* 2. *H. Prov. Drag. c.* 34. *pag.* 144.
(12) *Loco indic.*
(13) *Galleria &c. T. I. pag.* 258. *n.* 163.

Bremondius vero (1), Bernardum, ac Michaelem unam, & eandem eſſe perſonam ſuſpicatur. Cauſſam definire ob monimentorum defectum potis certè non ſum. Tantum animadverto, quod ſi Michael e medio abiit anno MCCCCLIV., veluti aſſerere Fontanam, & Cavalerium nuper monui, cogimur profecto in Bremondii ſententiam pedibus ire. Nam Bernardum pariter eo anno obiiſſe adeo certum eſt, ut nulla alia Hiſtoria teſtatior eſſe queat.

Neque id gratis a me dictum eſt, ſed ex epigraphe ejus tumulo in Eccleſia Conventus Ampurienſis Provinciæ Aragonenſis, cujus ipſe alumnus erat, inſculpta, quam heic ex Diago (2) exhibeo, aperte conſtat. „ Hic jacet Reverendiſſimus Dominus Dominus Bernardus Michaelis iſtius Monaſterii Filius Uſellenſis Epiſcopus, & Sereniſſimi Domini Regis Aragonum Conſiliarius, ac Confeſſor Illuſtriſſimi Ferdinandi Ducis Calabriæ. Obiit prima Octobris anni D. MCCCCLIV.

XVII. PETRUS II. GARZIA.

Valentinus, in Urbe *Setabi*, hodiè *Xativa*, in lucem venit. Matura ætate Luthetiam Pariſiorum ſe contulit ſtudendi cauſſa, ubi doctorali ſacræ Theologiæ laurea eſt inſignitus. In patriam reverſus, inque Domeſticis Roderici Borgiæ Cardinalis Vincecancellarii, quem poſtmodum Orbis Petri Solium conſcendere vidit, numeratus Romam acceſſit. Anno MCCCCLXXXVIII. cum jam hujus Eccleſiæ regimen ſuſcepiſſet, ſcripſit ad Innocentium VIII.: *Determinationes Magiſtrales contra Concluſiones Apologeticas Joannis Pici Mirandulani Concordiæ Comitis*, quæ Romæ editæ ſunt anno ſequenti.

Alfonſus Ciaconius (3) Petrum noſtrum eumdem facit, atque Garziam de Galarza *Evangelicarum Inſtitutionum* Auctorem, ſed in magno verſatur errore, ut per ſe patet. Plura de de hoc Antiſtite diſputat cl. Nicolaus Antonius (4). Meminere etiam Gaſpar Eſcolanus (5), & Antonius Poſſevinus (6), ſed horum poſterior nimis parcè, quippe neque Epiſcopum fuiſſe, neque tempus, quo floruit, memoriæ proditi.

XVIII. JOANNES IV. CRISPI.

Inclytæ Auguſtinianæ Familiæ germen ex Epiſcopo Caſtrenſi translatus anno MCCCCXCIV. ad Eccleſiam Uſellenſem eſt. Tradit id Auguſtinianorum Annalium ſcriptor P. Torellus (7).

XIX. JOANNES V. SANNA.

Natione Sardus creatus eſt Epiſcopus anno MDVII. teſte Machino (8). Hanc moderabatur Eccleſiam anno etiam MDXIII., quemadmodum ex Actis Concil. Lateran. V. patet, in quibus (9) hæc leguntur: *Reverendus Dominus Andreas Sanna Canonicus Uſellenſis Procurator Reverendi Patris D. Joannis Sannæ Epiſcopi Uſulenſis* (leg. Uſellenſis) *docuit de ejus mandato ad intereſ-*

ſendum

(1) *Loco paullo ante citato.*

(2) *Hiſt. Prov. Arag. l. 2. c. 95. pag. 275.*

(3) *In Schedis ad Biblioth. Univerſ.*

(4) *T. II. Biblioth. Veter. Hiſp. l. 10. cap. 14. pag. 214. Ed. de Aguirre.*

(5) *Hiſt. Valent. lib. 9. cap. 22.*

(6) *T. II. Appar. Sacri* ad v. *Petrus Garzias.*

(7) *T. VII. ad annum* 1491. *n.* 8.

(8) *Lib. 2. Defenſ. Primatus Eccleſ. Cal. c. 13. pag. 63.* Apud Vicum perperam renuntiatus dicitur anno 1490. Suo ne, an Typographi errore, me fugit omnino.

(9) *Apud Hard. T. IX. col. 1662.*

ſendum, & excuſandum, & erat ſubſcriptum per Dominum Joannem Ordium publicum Notarium.

De Joanne mentionem facit Salvator Vitalis (1) dicens: *contulit etiam valde nobis* (ad Sardiniæ Annales conficiendos) *vetuſtiſſimarum peragratio ſcripturarum, quas Matrona illuſtris Marianna Garzia, de rebus antiquis Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini Joannis Sanna Archiepiſcopi Turritani, Epiſcopi Alenſis, & Inquiſitoris Generalis nobis exhibuit lectitandas.* Cathedram Turritanam conſcendit anno MDXVII., ut alibi narravimus.

XX. MICHAEL II. MAYQUEZ.

Auguſtinianus Provinciæ Aragoniæ alumnus, cum eſſet Antiſtes *Titularis*, ac *Suffraganeus* Eccleſiarum Segobienſis, & Valentinæ, proximè ſucceſſit Joanni Sannæ. Non me latet, Aloyſium Torellum (2) aſſerere, Michaelem Epiſcopum Uſellenſem circiter annum MDXLI. renuntiatum fuiſſe, ſed in hoc errare eruditum *Annaliſtam* demonſtratum a me eſt in Hiſtoria Eccleſiæ Turritanæ, ad quam is poſtmodum tranſiit.

XXI. ANDREAS SANNA.

Meminit hujus Pontificis Franciſcus Vicus, ſed præter nomen, agnomenque nihil ultra habet. Arbitror tamen illum ipſum eſſe, qui Joannis Sannæ vices in Lateranenſi Synodo geſſit. Anno MDLIV. hanc Eccleſiam cum Arborenſi commutavit.

XXII. GERARDUS DE DONO.

Cum inter Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ numeratus eſſet, a Paulo IV. in Andreæ locum ſuffectus fuit. Patet ex Actis Conſiſtorialibus id anno MDLVII. ſexto Idus menſis Decembris accidiſſe; quare dicendum, errare Vicum, qui Gerardum poſt annum MDLXVII. Epiſcopum creatum eſſe, memoriæ prodidit.

XXIII. PETRUS III. FRAGUS.

Natione Hiſpanus anno MDLX. regimen hujus Eccleſiæ ſuſcepit, illudque dimiſit biennio poſt ad Sedem Algarienſem translatus. De Petro plura in Epiſcopis præfatæ Sedis diſſerui.

XXIV. PETRUS IV. CLERICI.

Succeſſit alteri Petro anno MDLXII. die ſexta menſis Novembris, prout in Actis Conſiſtorialibus legitur. Petrus Clerici dubio procul ille eſt Uſellenſis Epiſcopus, ad quem anno MDLXV. die 27. Junii Pii IV. Romani Pontificis *Secretarius* ſequentem miſit Epiſtolam (3) „ Presbyter Bartholomæus Montellus reſidens in Canonicatu Calaritano, quem aſſerunt eſſe digniorem cæteris Canonicatibus, quos obtinet; ſi caret diſtributionibus quotidianis ſuorum Canonicatuum Uſellenſis, Carallenſis, in quibus non reſidet, & propterea amittat, ſi quid abſentes juſta alia de cauſſa non perciperent, nec Sacro Concilio Tridentino adverſatur, & obtemperat declarationi, quæ tali in re a SS. Domino noſtro facta eſt. Quare ſi ita eſt, & in digniori Canonicatu reſideat, cum Amplitudo tua eum privaverit diſtributionibus quotidianis, & reliquis, ſi quæ forte ſint eo modo, quo diximus, juſſu SS. Do-

(1) *Tomo I. Annal. Sard. ad An. Mundi 3451. col. 99.*

(2) *Tomo VIII. Sæc. Aug. ad annum 1540. num. 13. ad annum 1541. num. 12.*

(3) Sbaralea noſter vir eruditiſſimus codicem chartaceum poſſidet, ex quo hanc Epiſtolam exſcripſimus.

,, Domini noſtri monebo te, quod ad ,, poſſeſſionem iſtorum Canouicatuum, ,, & præbendarum attinet, & ad perceptionem cæterorum fructuum ei ,, nullam moleſtiam exhibeas : cui ,, Deum benignum, & propitium ,, precor. ,,

XXV. LAURENTIUS I.

In Hiſpania in oppido *Villa-Vincentio* appellato natalem vidit lucem. Fuit Frater Minorita ex iis, qui *Obſervantes* dicuntur, atque Epiſcopus renuntiatus anno MDLXVII. (1).

XXVI. JOANNES VI. CANNABERA.

Ex qua Natione originem traxerit, mihi non liquet. Petrus *de Aſtorga* (2) tradit, fuiſſe Franciſcanum, & dignitatem Epiſcopalem obtinuiſſe anno MDLXXII. Calendis Auguſti. Idipſum, quod ad inſtitutum ſpectat, ſcribunt Rodulphius (3), atque Gonzaga (4), ſive quiſquis fuit Auctor acceſſionum ad ipſius Hiſtoriam, quæ in Veneta Editione facta an. MDCIII. leguntur, ſed Joannem *Caſcavora*, aut *Coſcavora* cognominant.

XXVII. JOANNES VII. MANCA.

Inauguratus Pontifex dicitur a Vico anno MDLXXVI. Tam Diœceſim, quam Epiſcopale Palatium in meliorem ſtatum reduxit (5).

XXVIII.

(1) Hujus Epiſcopi notitiam hauſimus ex Vico. Apud Petrum Rodulphium, Franciſcum Gonzagam *in Hiſtoria Seraphica*, & Petrum Anton. Venetum in opere, cui titulus *Giardino Serafico*, ubi de Antiſtitibus Franciſcanis agunt, nulla iſtius reperitur memoria. Sed hi Scriptores non adeò accurati ſunt, ut illorum ſilentium mihi argumento eſſe queat ad Laurentium ex Antiſtitum Alenſium Catalogo expungendum. Ne videar quid præterire, quod ad iſtius Eccleſiæ hiſtoriam illuſtrandam conferre valeat, animadverto, eruditiſſimum Echardum *T. II. de Script. Ord. P. pag.* 314. ſuſpicari, Gabrielem *de Alexandris* Dominicanum electum in Epiſcopum *Galleſinenſem in Sard. ſub Archiep. Arborenſi* anno 1566., teſte Fontana *Theat. Dom. pag.* 195., Alenſem ex ipſius Fontanæ ſententia conſcendiſſe Cathedram. Hujuſmodi opinio cl. Bremondio minimè placuit, hinc aliam Eccleſiam rexiſſe memoriæ mandavit *T. V. Bull. O. P. pag.* 299.. Neque pariter arriſit eidem Echardo, qui veriſimillimum putat, Eccleſiam *Galleſianam* in Thuſcia gubernaſſe. Hæc enim licet ſub Alexandro IV. Sedi Civitatis Caſtellanæ annexa fuerit, tamen anno 1562. circiter iterum disjuncta ab eadem eſt, & paullo poſt iterum conjuncta. Confer Ughell. *T. I. col.* 596. Lucentium *Tom. I. It. Sacra Reſtricta col.* 1129. Utrum Echardus rem acu tetigerit, meum non eſt in præſentia inveſtigare. Obſervo tamen, Lucentium *loco nuper indic.*, & poſt eum Coletum *Tomo X. col.* 109. in ea verſari opinione, ut judicent, tempore, quo *Galleſiana* Sedes ſui juris fuit, gubernatam fuiſſe a Hieronymo *Garimberto* Senenſi, qui Vicarius quoque fuit Baſilicæ Lateran., uti ex ejus Epitaphio liquet. Forſitan, & ita quidem ego cenſeo, Hieronym. in Vicarium electus Epiſcopatui nuncium remiſit ſolo contentus titulo, in ejuſque locum ſubrogatus eſt Gabriel. Certè in ipſius Epiſtola data anno 1567. die 3. Aprilis, quam refert Bremondius *loco indic.*, apertè *Epiſcopus Galleſanus* appellatur.

(2) *Indiculo Bullar. Seraph. Par. 2. pag. 239. num. 11.*

(3) *Lib. 2. Hiſt. Seraph. Fol. 235.*

(4) *Hiſt. Seraph. Par. 1. pag. 73.*

(5) Vicus omiſſo Joan. Cannabera inter Laurentium, & Joan. Mancam refert *Gerardum Doni* patria Calaritanum, in cujus locum lectum poſtea eſſe *Michaelem Manigas* aſſerit. De Gerardo dictum jam eſt. Quo anno Michael electus in Epiſcopum ſit, Vicus non ſcribit. Cum videam, & paucorum annorum ſpatio plures referri Præſules, & Auctori noſtro eorum chronologiam non multum fuiſſe perſpectam, vereor, ne gratis Michaelem annumeret; unde placuit hunc ex illorum catalogo deturbare, donec aliundè mihi certò conſtet, reipſa hanc Eccleſiam gubernaſſe.

XXVIII. PETRUS V. CLEMENS.

Ulyſſipone in Luſitania natus eſt ex Ludovico Clemente, & Franciſca *de Souſa*. Anno MDLIV. die 3. Januarii Ordini Beatæ Mariæ Virginis Montis Carmeli ſe devovit. Sacram Theologiam Conimbriæ, & Ulyſſipone docuit, munuſque Concionatoris magno plauſu geſſit. Miſſus deinde eſt Vicarius Generalis in Sardiniam, quod munus cum exerceret inſtitutus Epiſcopus Uſellenſis fuit die 23. Januarii an. MDLXXXV. Hæc in Actis Conſiſtorialibus Gregorii XIII. leguntur: *die 22. Januarii MDLXXXV. Fr. Petrus Clemens Luſitanus Ordinis Carmelitarum inſtitutus eſt Epiſcopus Uſellenſis in Sardinia ſub Metropoli Arborenſi*. Tradit Daniel a a Virgine Maria (1) anno circiter MDCI. obiiſſe.

Petri meminit etiam Vicus, ſed reticet Sacerdotem Regularem fuiſſe, patria Valentinum appellat, ejuſque electionem in annum MDLXXXVIII. rejicit, quæ ſingula a veritate abhorrent, veluti ex ſupra narratis nemo eſt, cui exploratum non ſit.

XXIX. ANTONIUS I. SUREDDO.

Petro defuncto infulis Uſellenſibus ornatus a Vico dicitur Antonius anno MDCIV.; ſed vereor, ne ſcribat id ſerius factum eſſe, quam re ipſa acciderit.

XXX. LAURENTIUS II. NICTUS.

Hanc rexit Eccleſiam ab anno MDCVII. ad annum MDCXIII. Quæ de Laurentio comperta, explorataque mihi ſunt, in Pontificum Algarienſum, & Arborenſium hiſtoria recitavi:

XXXI. DIDACUS I. BORGIA.

Natione Hiſpanus, patria Valentinus, inſtituto Franciſcanus *de Obſervantia* fuit. Petrus *de Alva* (2) ſcribit, aſſumptum ad Epiſcopatum an. MDCXIII. ſeptimo Cal. Septembris eſſe.

XXXII. GAVINUS MANEONI.

Saſſaritana Civitas fuit illi patria. Auctor eſt Vicus, an. MDCXV. Epiſcopalem dignitatem eſſe conſequutum.

XXXIII. FERDINANDUS DEL CAMPO.

Hujus Epiſcopi natione Hiſpani meminere cum primis Nicolaus Antonius (3), atque Wadingus (4), quorum tamen uterque aſſerit quidem, Pontificem fuiſſe *Barancæ* in Peruano Americæ Regno, Uſellis non item. Porrò ad hujus Eccleſiæ regimen anno MDCXX. 19. Cal. Jan. aſſumptum eſſe negari poſſe non video, quippe id affirmat Petrus *de Alva* (5) monumentis Vaticanis innixus. Fuit ex eadem ſodalitate, ac Didacus Borgia nuper memoratus; nec non inſignis Theologus, prout non modo Rodriquez (6), ſed etiam doctæ *Adnotationes* in Evangelia *Quadrageſimalia* Salmanticæ anno MDXCIX. ab ſe editæ apertè teſtantur.

XXXIV. MICHAEL III. PIRELLA.

Ex Epiſcopo Boſanenſi translatus perhibetur a Vico ad hanc Sedem anno MDCXXXIII.

(1) *T. II. Speculi Carmelit. pag.* 948.
(2) *Opere indic. pag.* 298. *num.* 25. Hic Auctor Didacum non *Borgia*, ſed a *Boria* cognominat.
(3) *Tomo I. Biblioth. Scriptorum Hiſpaniæ pag.* 283. *edit. Rom.* 1672.
(4) *Lib. de Scriptoribus O. M. pag.* 109.
(5) *Indic. Bull. Seraph. pag.* 309. *num.* 9.
(6) *Tomo III. Quæſt. Regul. quæſt.* 15. *art.* 8. *pag.* 41. *edit.* 1616.

XXXV. Michael IV. Beltram de Castellon.

Patria Valentinus. *Cappellani*, ut ajunt, Regii titulo decorabatur, cum a Rege Catholico, Romano Pontifice annuente, anno MDCXXXVII. in Antiſtitem Uſellenſem electus eſt.

XXXVI. Antonius II. Manunta.

Michaelem excepit Antonius. Ex Actis Conſiſtorialibus hoc accidiſſe anno MDCXLIV. decimo quarto Calendas Majas apparet.

XXXVII. Joannes Baptista I. Brunenghi.

Renuntiatus eſt Epiſcopus Uſellenſis anno MDCLXIII. die 13. Auguſti. Ex Actis nuper memoratis de Joanne Baptiſta nil aliud compertum habeo.

XXXVIII. Seraphinus Esquirro,

Diœceſim Boſanenſem moderabatur, cum anno MDCLXXX. Idibus Julii ad Sedem Uſellenſem regendam acceſſit.

XXXIX. Didacus II. Cugia.

Didacus Cugia, prout in Actis Conſiſtorialibus legitur, ex Canonico Eccleſiæ Cathedralis Calaritanæ Uſellenſis Pontifex anno MDCLXXXIV. die 10. Aprilis inſtitutus eſt.

XL. Franciscus II. Masones y Nin.

Patria Calaritanus, ſimul cum officio Rectoris Eccleſiæ oppiduli *Siniſcolæ* unicam dignitatem, quam Uſellenſe *Capitulum* habet, nempe *Decanatum* primò obtinuit Franciſcus; tum an. MDCXCIII. die 2. Januarii electus in Pontificem hujus Eccleſiæ eſt. Seminarium pro Clericis ſuæ Diœceſis conſtruxit. Poſt duo luſtra, & ultra ad Sedem Arborenſem tranſiit.

XLI. Isidorus Masones y Nin.

Inſtitutus *Suffraganeus* Joſephi cognomento *Accorra* Pontificis Arborenſis, creatus eſt Epiſcopus *in partibus*, ut ajunt, Infidelium, Eccleſiæ ſcilicet Cardicenſis, quæ in Thracia ſita perhibetur (1). Mortuo Joſepho, atque in ejus locum Franciſco *Maſones* ſuffecto, Iſidorus noſter ad Sedem Uſellenſem anno MDCCIV. die 15. Decembris translatus eſt.

XLII. Salvator Ruyu.

In Diœceſi Boſanenſi natus, anno ætatis ſuæ quinquageſimo ſeptimo, æræ Chriſtianæ MDCCXXVII. die 17. menſis Martii Epiſcopus creatus eſt. Antea plures conſequutus erat honores; fuerat enim duarum Eccleſiarum in Diœceſi Calaritana *Parochus*, *Promotor Fiſcalis Sancti Officii*, *Concionator*, *Examinator Synodalis* Archiepiſcopi Calaritani, ac Majoris Calaritanæ Eccleſiæ Canonicus. Modico tempore Uſellenſem populum gubernavit.

XLIII. Joannes Baptista II. Sanna.

In Urbe Saſſaritana venit in lucem anno MDCLXXIV. die 14. Januarii. In Salvatoris locum lectus is eſt anno MDCCXXVIII. decimo octavo Calendas Julii. Tradunt Acta Conſiſtorialia, Joannem Baptiſtam priuſquam Epiſcopalem dignitatem obtineret, Archipresbyteri, & Canonici Eccleſiæ Cathedralis, Vicarii *Capitularis*, & poſtmodum Generalis Diœceſis Boſanenſis munus geſſiſse.

XLIV.

(1) Confer Ferrarium, ac Baudrandium *Lex. Geograph.* ad verbum *Cardia*. Vid. etiam Lequienium *Tomo I. Orient. Chriſt. col.* 1131.

XLIV. ANTONIUS JOSEPHUS CARCASSONA.

Calaris totius Regni Metropolis fuit Antonii Joſephi Patria. Annos natus quinquaginta duos cum eſſet Calaritanus Canonicus electus in hujus Eccleſiæ Pontificem eſt die *26.* Septembris an. MDCCXXXVI. Conſtat id verò ex Actis Conſiſtorialibus, ideoque dicendum, Diarium Romanum narrans, Antonium Joſephum Inſulis Uſellenſibus ſexto Idus Julii ornatum fuiſſe, in errore verſari. Quantum ſcio adhuc in vivis exſtat.

DE SARDINIÆ ECCLESIIS,

Quæ olim immediatè, *ut ajunt, Romano Pontifici obtemperabant.*

DE tribus Sardiniæ Metropolibus, deque Eccleſiis earum *Suffraganeis* ſatis jam diſputavi. Reſtat, ut de illis Epiſcopalibus Sedibus diſſeram, quæ aut numquam, aut ſaltem non omni tempore uni ex tribus præfatæ Inſulæ Archiepiſcopis paruerunt. Hæ duæ ſunt *Civitatenſis* nempe, & *Galtellinenſis* ambæ *in Gallurienſi Judicatu* (1) poſitæ. De prima in præſentia, de altera poſt non multò ſermonem inſtituam.

ECCLESIA CIVITATENSIS.

SArdi Scriptores una voce aſſerunt, Sardiniæ Urbem, quæ vulgò *Civitas* dicebatur, eo loci poſitam fuiſſe, quo nunc eſt oppidulum *Terra-nova* appellatum. Hoc verò exſtat in ea Inſulæ parte, quæ inter ſeptemtriones, & ortum Solis flectit; eique propinquus maris ſinus reperitur, qui ab eodem vocabulum ſuum ſortitur, & a Laſor (2), licet paucis verbis, memoratur. Scriptores citati tradunt etiam, Oppidum *Civitas* antiquæ Urbi Phauſaniæ ſucceſſiſſe. Cur autem illud *per antonomaſiam* ejuſmodi nomine dictum ſit, ne conjectura quidem aſſequor. Tantum ſcio, ita appellatum ſæculo undecimo vertente fuiſſe, eoque tempore in ipſo *Curatorem* reſediſſe, illum nempe, qui uti Cangius (3), & Pitiſcus (4) interpretantur, officia publica gerebat; diplomati enim, quo Arzo Judex Calaritanus, ejuſque Filius Conſtantinus SS. Georgii, & Gineſii Cœnobium anno MLXXXIX. ſecundo Calendas Julias fundarunt, ſubſcribit *Domicels*, (fortaſſis Domicelus) *Cerchis Curator de Civita* (5).

(1) Has Eccleſias in Provincia Gallur. fuiſse conſtat *ex veteri Notitia Eccleſiaſt.* apud Muratorium *T. V. Antiq. Medii Ævi Diſſert. 69. col. 900.*, ex diplomatibus Innocentii II., Alexandri III., & Innocentii III. apud Joſephum Martinium *Theat. Baſilicæ Piſanæ cap. 11. pag. 74. & ſeq. edit. 1728.*, & apud Ughell. *T. III. in Archiep. Piſanis num. 45. col. 390. num. 48. col. 409.* (2) *T. II. Univerſi Terrar. Orbis* ad verb. *Terra nova*.

(3) *Tomo II. Gloſſ. mediæ & infimæ Latin.* ad verb. *Curator*.

(4) *Tomo I. Lex. Antiq. Roman. pag. 608. edit. Hagæ-Com. 1737.*

(5) Exſt. apud Martene, & Durand *Tomo I. Veter. Monum. col. 524.*

Ex veteribus diplomatibus, antiquis *Notitiis* Eccleſiaſticis, & Cencio Camerario, Urbem Civitatenſem proprios olim habuiſſe Pontifices apparet. Raphael Volaterranus (1) ſcribit, hos Archiepiſcopo Arborenſi paruiſſe. Volaterranum ſequitur Vicus (2), qui præterea ait, id ex *Cancellaria* Apoſtolica patere. Ego cum antiqua evolverem monimenta ſic inveniebam. Innocentium II. anno MCXXXVIII. jus Metropoliticum in Civitatenſem, & Galtellinenſem Eccleſias Archiepiſcopo Piſano conceſſiſſe (3). Illud eidem Archiepiſcopo anno MCLXI. Alexandrum III. (4), an. MCLXXXXVIII. Innocentium (5) item III. confirmaſse. Paucis tranſactis annis cum præfatæ Eccleſiæ a Præſulis Piſani Metropolitica juriſdictione liberæ eſsent, ſolumque Romanum Pontificem venerarentur, eumdem Innocentium minatum eſse eas Sardiniæ Metropolitanis ſubjicere (6), ſed poſtea animum variaſse ſuum, ſiquidem explorata res eſt, ſub initium, & finem ſæculi decimi tertii (7), & paullo ante medium ſæculum decimum quartum ſoli Romano Pontifici ſaltem Civitatenſem obtemperaſse (8). Clementem VI. an. MCCCXLIV. (9), Innocentium VI. anno MCCCLIII. (10), & Innocentium VIII. anno MCCCCXC. (11) Civitatenſem Eccleſiam Sedi Apoſtolicæ *immediate* ſubjectam nuncupare.

Eccleſia Cathedralis Civitatenſis Deo

(1) *Lib. 6. Geograph. fol. 72. edit. 1530.* (2) *Par. 6. Hiſt. Gener. Sard. cap. 80.*

(3) Confer *ejus diploma paullo ante indit.* (4) V. *ejus diploma* apud Martinium *loco cit.*

(5) Lege *Innocentii III. diplama, cujus ſupra meminimus.* (6) Conſule *ejus Epiſtolæ fragmentum* apud clariſsimum Raynaldum *T. I. Annal. Eccleſ. ad ann. 1204. num. 79. pag. 202. edit. Luc.* (7) Conſule *Notitiam Eccleſiaſt. a Milone Abbate collectam* apud Schelſtratium *T. II. Antiq. Eccleſ. illuſtrat. pag. 754. & ſeq.*, & fragmentum *Notit. Eccleſiaſt.* a nobis ex noſtra Florent. S. Crucis Biblioth. exhibitum *Differt. cap. 4. num. 8.*

(8) V. *Notit. Eccleſiaſt. Epiſcopi Catharenſis* apud Schelſtrat. *Opere indic. pag. 763.* Eſt hic animadvertendum, in ejuſmodi *Notitia* Civitatenſem Eccleſiam referri etiam inter Archiepiſcopi Piſani *Suffraganeas*, ſed id factum eſse Amanuenſis oſcitantiæ cenſeo. Certè in *Notitia* Abbatis Milonis, & in illa, quæ exſtat in laudata S. Crucis Biblioth. Eccleſia Civitatenſis inter eas, quæ Piſani Metropolitæ parebant, non legitur.

(9) Adiſis ejus Conſtit. incip. *Inter ſollicitudines varias* apud Wad. *T. VII. pag. 538. ed. Novæ Rom.*

(10) Conſulito *illius Conſtit. n. 8.* incip. *Summi diſpoſitione Rectoris* apud Wad. *T. VIII. pag. 436.*

(11) Lege *Innocentii VIII. Conſt.* incip. *Apoſt. Sedis conſueta*, & alias, quas refert cl. Bremondius *T. IV. Bull. O. P. pag. 83.* Quandoquidem in nulla ex allatis Conſtitutionibus apertè narratur, ubi terrarum Eccleſia Civitatenſis fuerit, pluresque inveniuntur apud Scriptores Sedes Epiſcopales hoc inſignitæ nomine, poſset quis, cui res minus perſpectæ eſsent, in medium vocare, an *Civitas* in præfatis Pontificiis diplomatibus memorata ea ſit, cujus hiſtoriam hic breviter expono; iccirco ſupervacuum nequaquam fore ſentio, non multis oſtendere, Eccleſiam Civitatenſem, de qua laudati Pontifices mentionem fecerunt in Sardinia exſtaſse; hoc enim fundamento fideliter jacto, ſtatim liquet non modò cuinam per ea tempora Civitatenſis in Sardinia Epiſcopatus obtemperaverit, verum etiam quinam Antiſtites reipſa ad eum ſpectent. Quatuor apud Eccleſiaſticos Scriptores, quantum ſcio, memorantur Urbes Epiſcopales, quæ ſine ullo adjectu *Civitas* vocantur; prima eſt in Hiſpania; ſecunda in Apulia; tertia in Thuſcia, quæ licet in præſentia *Civitas Caſtellana* appelletur, tamen olim *Civitas* tantum dicebatur, quemadmodum ex *Notitia Eccleſiaſtica*, quam edidit doctiſsimus Baronius *T. XVII. ad an. 1057. num. 23. pag. 131. edit. Lucen.*, & ex ea Abbati Miloni attributa apud Schelſtrat. *Opere indic. pag. 747.* apparet; quarta demum in Sardinia. Cum Eccleſia Civitatenſis in diplomatibus, de quibus ſupra loquuti ſumus, dicatur ad *Romanam Eccle-*

ſiam

Deo ſub invocatione *Sancti Simplicii* Epiſcopi, & Martyris dicata erat. Archipresbyter, & quatuor Canonici ejuſdem *Capitulum* conſtituebant. Ab initio ſæculi decimi ſexti Civitatenſis Sedes Epiſcopatui Ampurienſi annexa eſt, uti in hujus Hiſtoria ex Franciſco Vico non ſemel narravi.

EPISCOPI CIVITATENSES.

I. Bernardus I.

Tametſi dubitari non poſſit, quin hæc Eccleſia jam inde a ſæculi duodecimi initio ſuos Epiſcopos habuerit, tamen nullus ante ann. MCLXXIII. mihi innoteſcit. Hoc autem anno Civitatenſis Antiſtes erat Bernardus, prout ex Bariſonis Judicis Gallurienſis diplomate a Paulo Troncio (1) publicato, fit manifeſtum.

II. N.

Civitatenſis Pontifex, cujus nomen me latet, in iis numeratur Sardiniæ Præſulibus, qui an. circiter MCCLXIII. Synodum Nationalem celebrarunt Bonarcadæ, uti pluries dictum a me eſt.

III. Laurentius.

Patria Viterbienſis, præclariſſimæ Dominicanæ Societatis inſignis Theologus Epiſcopus creatus eſt an. MCCCXXX., judice Bremondio (2) Viro clariſſimo, qui tamen Fontanam, Plodium, & alios ſuos ſodales ſequutus Laurentium non hujus Eccleſiæ, ſed *Civitatenſis in Regno Neapolitano ſub Archiepiſcopo Beneventano* Antiſtitem facit. Eandem doctrinam probaſſe video Nicolaum Coletum (3).

Ego ad eam accedo opinionem, ut judicem, Laurentium noſtrum hanc conſcendiſſe Cathedram; nam Clemens VI. in Conſtitutione (4), qua in Epiſcopum Civitatenſem Inſulæ Sardiniæ Bernardum Rubeum elegit, ſcribit, ſe illum in Laurentii locum ſufficere, qui certè diverſus non eſt ab eo, de quo loquimur in præſentia. Ex Conſtitutione ſupra indicata liquidò apparet, Laurentium iter carpſiſſe ſupremum anno MCCCXLIII., vel potius ſequenti; unde in errorem denuo lapſus deprehenditur

ſiam nullo medio ſpectare, eſſe Romano Pontif. *immediate ſubjecta*, hæc profecto ea eſſe nequit, quæ exſtat in Hiſpania, quippe hæc Archiepiſcopo Compoſtellano obſequitur. Conſtat id ex *Notit. Eccleſiaſt.* apud Schelſtrat. *pag.* 766.; apud Martinierum *T. I. Mag. Dict. G. & C. pag.* 481., nec non ex Actis Conſiſtorial. immortalis Clementis XII. P. M., quæ a me in celeberrima Nobiliſsimæ Corſiniæ Gentis Bibliotheca lecta ſunt; non ea, quæ erat in Apulia; etenim Archiepiſ. Beneventano parebat. Confer *Notit. Eccleſiaſt.* apud Schelſtrat. *pag.* 749. 762. Ughellium *T. VIII. col.* 270.; non Civitatenſis in Thuſcia; hæc enim etſi Roman. Pontif. *immediatè* ſubjecta, tamen iis temporibus, quibus per allatas Conſtitutiones Epiſcopi creabantur, viduata proprio Paſtore non erat. Adeundus Ughellius *T.* I. *col.* 599. *& ſeq.* Reſtat ergo, ut ſit Eccleſia Civitatenſis in Sardinia. Atque id ex eo etiam probatur, quod pateat, Civitatenſem Eccleſiam, de qua ſermo eſt, in Conſtitut. indicatis in Petri Regis Aragonum, Ferdinandi Caſtellæ & Legionis Regis ditione fuiſſe. Porro Aragonum Rex per ea tempora Sardiniæ quoque dominabatur. Confer *cap.* 2. *Diſſertat. noſtræ num.* 2., *& ſeq.* Anno 1476. Ferdinandus Aragonum Rex mortuo Henrico Legionis, & Caſtellæ Regnum ſibi aſſeruit (*Raynaldus ad eum ann. num.* 13.), proinde memorati Regni Dominus in Sardiniam pariter ſuum exercebat imperium.

(1) *Annali di Piſa pag.* 137. (2) *T. II. Bullar. Ord. Præd. pag.* 214.

(3) *T. VIII. Ital. Sac. in Acceſ. ad Ughel. num.* 9. *col.* 271. (4) Hanc ſupra citavimus *in notis*, ſimulque probavimus, ad Eccleſ. Civitat. in Sardinia eſſe referendam.

Digitized by Google

tur Vincentius Maria Fontana (1), qui mortem oppetiiſſe ſub annum MCCCXL. litteris conſignavit.

IV. Bernardus II. Rubei.

Ex Ordine Fratrum Minorum ad Epiſcopalem dignitatem anno MCCCXLIV. decimo octavo Calendas Julias aſſumptus eſt.

V. Raymundus.

Hac gubernata Eccleſia, anno MCCCLI. quarto Idus Junii ad Sedem Marianenſem in Corſica tranſiit. Patet id ex monumentis Vaticanis, Ughellio teſte (2), qui tamen eorum oblitus, quæ alibi, veritate duce, ſcripſerat, catalogum Epiſcoporum Civitatenſium Apuliæ conficiens, Raymundum iis perperam inſevit; hinc jure, meritoque a Coleto (3) emendatur. Obiit antequam Marianenſe Solium aſcenderet.

VI. Thomas Scotatus, seu Sferratus.

Fuit Ordinis Franciſcani Alumnus. Anno MCCCLI. Epiſcopus inauguratus eſt. Poſt biennium (4) hac dimiſſa Eccleſia ad Callienſem in Piceno acceſſit. Diù illam rexit, pluraque geſſit pro ea, ac inter cætera *novam Cathedralem abſolvendam curavit, Civeſque impulit Callienſes, ut eidem operi, effuſis opibus, impenſius inſudarent. Deceſſit MCCCLXXIX.* (5).

VII. Gerardus.

Ex Ordine item Minorum. Anno MCCCL. defuncto Andrea Eccleſiæ Caprulenſis in Veneta ditione ſitæ Epiſcopo, a Canonicis inſciis, quod Romanus Pontifex electionem ſucceſſoris ſibi reſervaſſet, in illius locum ſuffectus eſt. Tametſi Guido Epiſcopus Portuenſis tituli Sanctæ Cæciliæ Presbyter Cardinalis, ac *in partibus illis* Apoſtolicæ Sedis Legatus, auctoritate legationis ſuæ Canonicorum declarationem confirmaverat, & inſuper Gerardus ab Andrea Patriarcha Gradenſi, juſſu ipſius Legati, conſecratus jam fuerat in Antiſtitem, tamen Clemens VI. præfatam declarationem ratam habere noluit, ſed alium ad Caprulenſem Sedem aſſumpſit, atque ob id Gerardus noſter nullius Eccleſiæ Epiſcopus remanſit.

Mortuus interea eſt Clemens, eique ſucceſſit Innocentius VI. Is autem, deſtituta proprio Paſtore hac Eccleſia, Gerardum noſtrum ipſius Pontificem conſtituit an. MCCCLIII. octavo Idus Novembris (6).

VIII.

(1) *Theat. Domin. pag.* 170. (2) *T. IV. in Ep. Marianenſ. num.* 11. *col.* 1000.

(3) *Tomo VIII. in Epiſc. Civitatenſ. in notis col.* 272.

(4) Confer Conſtit. incip. *Summi diſpoſitione Rectoris* ſupra citat. Idem tradit Wading. *ad ann.* 1353. *num.* 6. Neſcio autem quid ſit, quod ipſemet Auctor *ad ann.* 1363. *num.* 21. iterum ſcribat, ad Callienſem Eccleſiam eo anno F. Thomam *Sferratum* Minoritam aſumptum eſse. Sunt *apud eundem Wading.* qui volunt, Thomam poſt Civitatenſem gubernatam Eccleſiam fuiſse quoque Imolenſem Pontificem. Vereor ne in magno ſint errore. Ex Conſtitutione indicata conſtat ſtatim, atque Eccleſiam hanc dimiſit, acceſsiſse ad Callienſem: ergo antequam iſtius regimen ſuſciperet, Epiſcopus *Imolenſis* non fuit. Neque poſtmodum eſse potuit. Nam Lithus Alidoſius renuntiatus Imolenſis Antiſtes anno 1354. quarto Calendas Februarii (*Ughell. T. II. pag.* 639.) ſponte Epiſcopatui ſe abdicavit anno duntaxat 1379. (*Coletus T. X. Ital. Sac. col.* 276.), quo tempore aut obierat Thomas, aut paucos ſupervixit menſes; unde inter Præſules Imolenſes, nemo ex iis, qui illorum Catalogum ex inſtituto texuerunt Thomam recenſet.

(5) Ughell. *T. II. in Ep. Call. num.* 34. *col.* 820.

(6) Conſtant hæc omnia ex *diplom. Innocentii VI. ſupra indic.*

Digitized by Google

VIII. BENEDICTUS.

Franciſcus Vicus inter Ampurienſes Epiſcopos, quos cum Civitatenſibus confuſos refert, numerat Benedictum neſcio quem, aitque, renuntiatum fuiſſe anno circiter MCCCLXXXVIII., & Epiſcopalem obtinuiſſe dignitatem ad annum uſque MCCCCI. Cum aliunde mihi certò conſtet, Eccleſiam Ampurienſem ab alio Præſule per ea tempora gubernatam fuiſſe, *Benedictum* ab illius Antiſtitum ſerie expunxi, ſatiuſque exiſtimavi huic aſſignare Sedi (1).

IX. ANDREAS.

Quo anno Epiſcopalem honorem ſit conſequutus, mihi non liquet. Illud autem certum eſt, an. MCCCCXXII. pridie Nonas Septembris ab Eccleſia Civitatenſi ad Sedem Adjacenſem in Corſica tranſiiſſe. Ughellius (2), qui ejuſmodi narrat hiſtoriam, in ſcriptis haud reliquit, utrum præfata Eccleſia Civitatenſis ea fuerit, de qua loquimur nunc. Verum cum Epiſcopatus hujus nominis tam Thuſciæ, quam Apuliæ a nullo Antiſtite, qui tali nuncuparetur vocabulo, ea ætate adminiſtrati eſſent (3), cœcus, mea quidem opinione, eſt, qui non percipit, Eccleſiam, quam moderabatur Andreas, antequam Adjacenſis Diœceſis regimen ſuſciperet, non fuiſſe a Civitatenſi in Sardinia diverſam.

X. SANCIUS.

Anno MCCCCXXXII. decimo nono Calendas Februarii translatus ad Sedem Minerbinenſem in Regno Neapolitano eſt. Antea tamen Epiſcopus Civitatenſis in Sardinia (4) fuerat.

XI. AUGUSTINUS.

Proximè *Sancio* ſucceſſit, quemadmodum conjectare licet; mortuus eſt enim an. circiter MCCCCXLIII. (5).

XII. ANTONIUS FONTANES.

Ex Ordine Franciſcano aſſumptus eſt ad hanc moderandam Eccleſiam, ſi Wadingo (6) fides, anno, quem modo indicavi 3. Calendas Novembris.

XIII. RODERICUS DE SESSA.

Per ceſſionem Antonii renuntiatus eſt Civitatenſis Epiſcopus Rodericus præfati Ordinis alumnus, & Sacræ Theologiæ Magiſter. Triginta annos Eccleſiam rexit; electus enim fuit anno MCCCCLX. nono Calendas Aprilis (7), obiit autem ſub an. MCCCCXC. (8).

XIV. PETRUS STORNELL.

Petrus hujus Eccleſiæ Antiſtes incognitus fuit omnibus omnino Dominicanis Hiſtoricis, qui ante cl. Bremondium ſcripſerunt. Hic namque primum ex tribus Innocentii VIII. diplomatibus (9) illius meminit, quamquam contentus ſcripſiſſe, Eccleſiam a Petro admi-

(1) Confer quæ diſſerui *in Ep. Ampur. num. XI.* (2) *T. III. in Ep. Adjac. n.17. col.494.*

(3) Lege Ughell. *T. I. col. 599. T. VIII. col. 272.*

(4) Adeundus Ughell. *T. VII. in Ep. Minerb. col. 746.* Hoc eodem loco cl. Auctor aperte non ait, Eccleſ. Civitatenſem a *Sancio* derelictam in Sardinia extitiſse, ſed ex eo colligitur, quod, teſte Lucentio *loco nuper laud. in not.*, neque Civitatenſis in Thuſcia, neque Civit. in Apulia eſse potuerit. (5) Videatur Wad. *ad eum ann. num.12. T.XI.* Eruditus *Annaliſta* ſcribit, Civitatenſem Sedem Archiepiſcopo Arborenſi hac ætate paruiſse. Verum dubio procul id aſserit memoria lapſus, eo prorſus modo, quo ipſo laborans vitio *ad ann. 1460. n. 36.* affirmat, eandem Archiep. Turritano ſubjectam fuiſse. (6) Adiſis Wad. *loco nuper laud.* (7) Lege Wading. *ad eum ann. n. 34.* (8) Conſule *diplomata* a Bremondio exhibita *T.IV. Bull. O. P. pag.* 83. (9) *Loco indic.*

adminiſtratam ſolum Romanum Pontificem obſequutam eſſe, atque ſub Hiſpaniarum Regis Imperium extitiſſe, indicare omiſerit, in quanam Provincia ſita eadem fuerit.

Verum exſtaſse in Sardinia, illamque eſſe, cujus hiſtoriam hactenus contexuimus, ne in quæſtionem quidem, meo judicio, venire poteſt. Poſtremus hic eſt, qui Civitatenſem Eccleſiam ab Ampurienſi disjunctam gubernavit; quippe eo vita functo in unum coaluerunt Epiſcopatum, quemadmodum ex Franciſco Vico alio loco diximus.

ECCLESIA GALTELLINENSIS.

SArdiniæ Civitas *Galtelly* nuncupata in ea Inſulæ parte poſita erat, quæ ad orientem Solem pertinet (1). Nunc ad exiguum oppidum redacta eſt, diſtatque ſexaginta millia paſsuum ab Urbe Boſa. Regi Gallurienſi olim parebat, uti ex pluribus monimentis a nobis alibi citatis (2), apertè colligitur. Salvator Vitalis (3) opinatur, *a Galate* Herculis Filio conſtructam, & ab illo ejuſmodi vocabulo appellatam fuiſse. Sed cum videam, non modo antiquos Hiſtoricos, verum etiam Geographos Ptolemæum, Strabonem, Antoninum, & alios altiſſimè de Civitate *Galtelly* ſilere, nemo extorquebit a me, ut hujus primordia tam antiqua cenſeam.

Hactenus de ſitu, & origine Urbis Galtellinenſis diſserui, impoſterum de ejus Eccleſia dicam. De hac mentionem faciunt ſæculo duodecimo quædam antiqua Pontificum diplomata, quorum alio loco (4) memini, Cencius Camerarius *in Libro Cenſuum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, ac veteres *Notitiæ Eccleſiaſticæ*. Innocentius II. anno MCXXXVIII. mandavit, ut Galtellinenſis Antiſtes Archiepiſcopo Piſano ſuffragaretur, quod anno MCLXI. Alexander III., anno MCXCVIII. Innocentius III. confirmarunt (5). Ab illius juriſdictione per integrum ſæculum decimum tertium circiter liber fuit; eo enim tempore, dummodò *Notitiæ Eccleſiaſticæ*, quas ſupra citavimus, nos minimè fallant, ſoli Romano Pontifici obtemperabat.

Ineunte ſæculo æræ vulgaris decimo quarto, anno ſcilicet MCCCII. Generalis Piſani Archiepiſcopi Vicarius diem dixit, ac inſuper excommunicationis telo Antiſtitem Galtellinenſem perculſit. Porro hujuſmodi factum, ut bene animadvertunt doctiſſimi viri Ferdinandus Ughellius (6), & Auguſtinus Barboſa (7) Piſanum Pontificem totius Sardiniæ Primatem fuiſse demonſtrat. Erat ergo Galtellinenſis Præſul eo tempore uni ex tribus præfatæ Inſulæ Archiepiſcopis ſubjectus, in quos, & illorum *Suffraganeos* tantum Primas juriſdictionem ſuam exercere quibat. At quem Sardiniæ Metropolitam Eccleſia Galtellinenſis venerabatur? Laſor (8), & de

(1) Adeundi Martinierus *in Magno Diction.* Baudrand *Lex. Geograph. ed.* 1705. Laſor *T. I. Univerſi Terrar. Orbis* ad verb. *Galtell.*

(2) *Pag.* 275. *nota* 1.

(3) *T. I. Annal. Sard. col.* 71.

(4) *Pag. & not. cit.*

(5) Confer *eorum diplomata, quæ pag. nuper cit. indicavimus.*

(6) *Tomo III. in Archiepiſcop. Piſan. num.* 55. *col.* 445.

(7) *De Officio, & Poteſt. Epiſcopi Par.* 1. *Tit.* 3. *cap.* 7. *pag.* 135. *edit.* 1707.

(8) *T. I. Operis aliàs indic.* ad verb. *Galtellis.*

& de Villiers (1) exiſtimant, Calaritanum obſequutam eſſe. Aubertus Miræus (2), quem ego ſequor, Arborenſem, cui, teſte eruditiſſimo Grandio (3) obtemperabat etiam antequam, præcipiente an. MCXXXVIII. Innocentio II., eſſet juris Archiepiſcopi Piſani, ut ſupra narravi.

Tametſi huic obtemperaret Archiepiſcopo, tamen ſub initium ſæculi decimi ſexti abolita Calaritanæ Eccleſiæ conjuncta eſt (4). Iis, quæ de tempore hujus abolitionis ſtatuta a me ſunt, videtur obſtare eruditiſſimus Bremondius (5), ſiquidem opinatur, Gabrielem de Alexandris virum ex inclyto Dominicanorum cœtu doctiſſimum Epiſcopali dignitate inſignitum a Sanctiſſimo Romano Pontifice Pio hujus nominis quinto an. MDLXVI., Galtellinenſem conſcendiſſe Cathedram.

De Sede, cui Gabriel adjudicandus eſt, alibi diſputavi. Probandum in præſentia mihi eſſe cenſeo, hujus Eccleſiæ Præſulem conſtitui non poſſe, quoniam tunc non amplius proprio utebatur Epiſcopo; atque id perficiam in medium proferendo Epiſtolam illius, qui anno MDLXIV. octavo Calendas Decemb. Pii IV. a Secretis erat, ex qua aperte conſtat, Clerum Galtellinenſem immediate, ut ajunt, *Calaritano Archiepiſcopo*, cui Epiſtola data eſt, obtemperaſſe. (6) „ Supplicavit Sanctiſſimo „ Domino noſtro Petrus Carta Canonicus Galtellinenſis, queſtus de Amplitudine tua Reverendiſſima, quod „ eum cogere velles, ut unico illi, „ cui præeſt, Canonicatui cederet, quia „ ejus Pater Presbyter, quem jam triennium e vita migraſſe affirmat, in „ eadem Eccleſia obtinuerit. Quare „ juſſu Sanctiſſimi Domini noſtri Amplitudinem tuam moneo, & hortor, „ ut quia Petrus iſte Patre etiam ante „ Concil. mortuo non tenetur eo Trid. „ Concilii decreto, quo Pater, & Filius „ in eadem Eccleſia beneficium obtinere prohibentur, pro tua prudentia, ac pietate deſinat illi moleſtiam „ exhibere, quem Deus incolumem, „ & felicem ſervet. „

Quo tempore Galtellinenſis Civitas proprio utebatur Epiſcopo, in Eccleſia ejus Cathedrali, quæ *Sanctum Petrum* ut Patronum ſuum venerabatur, quotidie Divinas perſolvebant laudes Archipresbyter, octo Canonici, aliique *Beneficiati*, & Clerici.

(1) *T. I. Biblioth. Carmelit. col.* 170.

(2) *Notit. Epiſcop. Orbis* ad verb. *Galtell.*

(3) *In not. ad monum.* 19. *pag.* 181. Exſt. ad calcem *Epiſt. de Pandectis Piſanis.*

(4) De tempore, quo Civitas *Galtellis* proprio Paſtore privata eſt, adeundi ſunt Vitalis *Appar. ad Annal. Sard. col.* 30. Vicus *Par.* 6. *cap.* 47. Baudrandius *Lex. Geograph.* ſed juxta edit. 1705., in qua Galtel. memoratur. De Sede, cui annexa eſt, confer Vitalem *citato loco*, Martin. *in ſuo Diction.* ad verb. *Sardaine*. Conjunctam fuiſſe Eccleſ. Calaritanæ ex eo maximè patet, quod inter Caſtella ad eandem ſpectantia recenſeatur *Galtelly* a P. Vitali citato.

(5) *Tomo V. Bullar. Ord. Præd. pag.* 299.

(6) Exſt. in Codice Chartaceo Sbaralcano, de quod non ſemel mentio facta eſt. Archiepiſcop. Calarit., ad quem ejuſmodi Epiſt. mittitur, quantum ex temporis ſupputatione colligi poteſt, eſt *Antonius Parrages*, qui ad Concilium Trident. acceſſerat.

Digitized by Google

EPISCOPI GALTELLINENSES.

I. Bernardus.

Nullus ante Bernardum mihi occurrit Galtellinenſis Præſul. Hic vero Epiſcopus erat an. MCXXXVIII., quemadmodum ex quadam *charta*, quam cl. Abbas Grandius publici juris fecit (1), aperte conſtat.

II. Joannes I.

Anno MCLXXIII. ſubſcripſit cuidam diplomati (2), quo Bariſon Gallurienſis Judex, & Rex quædam Monaſterio Sancti Felicis *de Vada* in Civitate Piſana ſito donavit.

III. N.

Adverſus hunc Antiſtitem, cujus nomen nos fugit, excommunicationis ſententiam tulit anno MCCCII. Tancredus de Monte Raynaldi Joannis de Cajetanis Archiepiſcopi Piſani Vicarius. Res ita ſe habuit. Epiſcopus Galtellinenſis accuſatus fuerat a Spontino Clerico Piſano, quod pecuniæ ſummam, quam ei debebat, ſolvere noluiſſet: Vicarius Epiſcopo vadimonium conſtituit, ipſe illud deſeruit, proinde excommunicationis fulmine Tancredus citatus eum petiit.

Hujus facti monumentum ex Eccleſiæ Piſanæ Tabulario recitat Ughellius (3), quod ſic habet:

In æterni Dei nomine. Amen.

Cum nos Tancredus de Monte Raynaldi Venerabilis Patris Domini Joannis Piſani Archiepiſcopi citari fecerimus, & moneri per noſtras litteras ſpeciales Venerabilem Patrem Dominum Epiſcopum Galtellinenſem Inſulæ Sardiniæ, ut certo termino ſibi a nobis pro primo, ſecundo, & tertio peremptorio aſſignato Piſis coram nobis per ſe, vel legitimum reſponſalem comparere deberet, & reſpondere de jure Spontino Clerico familiari bonæ memoriæ Domini Rogerii olim Piſani Archiepiſcopi conquerenti coram nobis de ipſo Domino Epiſcopo de quadam pecuniæ ſumma, quam ab eo recipere debere aſſerebat, qui Dominus Epiſcopus dicto termino non venit, nec miſit legitimum reſponſalem, ſed contumax extitit dicto Spontino comparente, & Domini Epiſcopi contumaciam accuſante, & petente contra eum procedi, prout poſtulat ordo juris. Hoc igitur contumacia dicti Domini Epiſcopi exigente, ipſum Dominum Epiſcopum reputamus meritò contumacem, & ne de ſua contumacia glorietur, ipſum Dominum Epiſcopum excommunicamus in his ſcriptis, & a gremio Sanctæ Eccleſiæ ſeparamus. Daca, & lata eſt dicta ſententia Piſis præſentibus Bindo, & Joanne Quattri Notariis, & Scribis publicis ſupradictæ Curiæ an. 1302. *Indic. XV. die* 6. *Februarii.*

IV. Antonius I. Gerundensis.

Natione Hiſpanus Catalaunus, ſeu ut

(1) *Append. ad Epiſt. de Pande. Piſan. num.* 19. *pag.* 180.

(2) Exſt. apud Paullum Troncium *Annali Piſani pag.* 137.

(3) *T. III. in Archiepiſc. Piſan. num.* 55. *col.* 445. Hujuſmodi monumentum ex eodem Eccleſiæ Piſanæ Tabulario exhibet etiam Paullus Troncius *op. cit. ad an.* 1302. *pag.* 281., apud quem tamen Epiſcopus Galtellinenſis *Dominicus* appellatur. Sed vix, ac ne vix quidem dubito, quin hoc aut Typographi, aut Amanuenſis vitio factum ſit, qui *Dominicum* pro *Dominum* ſcripſerit.

ut alii loquuntur, Celtiberus *Carmelita celebri memoria dignus*, *in Gerundenſi Muſæo ſtrenuus Philoſophiæ*, *atque Theologiæ Interpres*, *nec non Verbi Divini ſui temporis inter declamatores facile Princeps*, *a Joanne XXII. Epiſcopus Galtellinenſis creatus*, *poſtea Epiſcopi Gerundenſis Coadjutor Epiſcopus* (1).

Anno MCCCXXIV. annuis redditibus Gerundenſe Carmelitarum Cœnobium auxit. Obiit ſexennio poſt, ſepultuſque fuit Gerundæ apud ſuos Confodales. In Sarcophago, in quo ejus oſſa quieſcunt, inſculpta eſt ipſius Imago cum hac Inſcriptione

D. O. M.

,, Hic requieſcit in Chriſto
,, Frater Antonius ✠ Epiſcopus,
,, Gerundenſis Epiſcopi Coadjutor.

Opera litteraria, quæ Antonius poſteritati commendavit, a Patre Coſma de Villiers memorantur.

V. MARTINUS.

Martinus excepit Antonium Gerundenſem. Cum anno MCCCXXX. die decima tertia menſis Martii Avenione eſſet, noſtræ Eccleſiæ Urbis Recinetenſis ſimul cum pluribus aliis Epiſcopis *Indulgentias* elargirus eſt, prout ex litteris in operis *Appendice* recitandis fiet manifeſtum.

VI. FRANCISCUS GOSALDUS.

Ex Franciſcanorum cœtu in Epiſcopum Galtellinenſem an. MCCCXLV. *a Capitulo* electus eſt, *qui tamen* Wadingo judice (2), *negotium ſuæ electionis non eſt proſequutus*.

VII. ARNOLDUS DE BISSALIS.

Natione Teutonicus, inſtituto Carmelitanus, fuit, inquit Abbas Trithemius (3), *vir in Divinis Scripturis ſtudioſus*, *& eruditus*, *& ſecularis Philoſophiæ non ignarus*, *ingenio profundus*, *& clarus eloquio in declamandis ad populum ſermonibus excellentis opinionis*. Ab Urbano V. Romano Pontifice anno circiter MCCCLXVI. Galtellinenſibus infulis inauguratus eſt. Boſtius, Lucius, Daniel a Virgine Maria, & alii plures, quos numerat de Villiers (4) multis laudibus Arnoldum noſtrum cohoneſtant.

VIII. ANTONIUS II.

Hic forſitan proximè Arnoldo ſucceſſit. Iter carpſit ſupremum circiter annum MCCCCIV. (5).

IX. PAULLUS.

In demortui Antonii locum ſubrogatus eſt 2. Idus menſis Octobris. Patria Romanus, & Conventus Capitolini, vulgò *de Aracæli*, antequam Minoritæ Conventuales, qui ab Innocentii IV. ætate illud poſſidebant, ſæculo decimo quinto amitterent, alumnus fuit. De Paullo præter Wadingum (6) mentionem facit Theulius (7), qui præterea eum Sacræ Theologiæ Magiſtrum appellat.

X. JOANNES II. FERRERIUS.

Valentiæ in Hiſpania natalem vidit lucem. Poſt actam diù vitam in Franciſcana Religione dignitatem Epi-

(1) Coſmas de Villiers *T. I. Biblioth. Carmelit. col.* 169.
(2) *T. VII. ad eum an. num.* 8. *pag.* 321. *edit. Novæ*.
(3) *Lib.* 1. *de Script. Eccleſ. & VV. Illuſt. Ord. Carmelit.*, quem exhibet P. Daniel *T. II. Speculi Carmelit. pag.* 897.
(4) *Opere indica. Tomo I. col.* 197.
(5) Wading. *Tomo IX. ad eum ann. num.* 5.
(6) *Loco cit.*
(7) *Appar. Minorit. della Provincia di Roma Par.* 1: *lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 5.

ſcopalem acquiſivit an. MCCCCXXVI. ſexto Idus Julii (1). Nondum exacto biennio abiit e medio (2).

XI. GULIELMUS A MAURANA.

Joannis Sodalis, Sacræ Theologiæ Doctor eidem ſubrogatur tertio Nonas Martii. Hanc Eccleſiam ſumma cum laude gubernavit annos quinque, nam anno circiter MCCCCXXXII. vitam cum morte commutavit (3).

XII. SEBASTIANUS ABBATIS.

Civitas Valentia in Hiſpania Tarraconenſi ſita fuit illi patria. Inclyti Prædicatorum Ordinis alumnus, Sacræque Theologiæ profeſſor erat, cum anno MCCCCXXXIII. die 6. Martii (4) Epiſcopus inauguratus eſt. De Cathedra, quam conſcendit, variant multa Scriptores Dominicani. Nam Fontana (5), & Cavalierus (6) exiſtimant, Eccleſiam *Gratianenſem* adminiſtraſſe. Diago (7) ſcribit, Antiſtitem fuiſſe *in gracia*, per quod verbum nihil aliud intelligere vult, niſi quod is *in partibus*, ut ajunt, Epiſcopus extiterit. Bremondius autem opinatur (8), regimen ſuſcepiſſe Eccleſiæ *Gatellenſis* Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectæ. Sed ne is quidem veritatem eſt aſſequutus, quippe Galtellinenſis in Sardinia Sedis Pontifex fuit (9).

XIII.

(1) Vide Wading. *Tomo X. ad eum ann. num.* 4.

(2) Conſule *diploma* 2no. *Martini V.* incip. *Apoſtolatus Officium* apud Wading. *T. X. pag.* 447.

(3) Vide *Conſtitut. Eugenii IV.* apud Bremondium *T. III. Bull. Ord. Præd. pag.* 214.

(4) Conſule *eandem Conſtitut.*

(5) *Theat. Dominic. Par.* 1. *pag.* 198.

(6) *T. I. della Galeria &c. pag.* 247.

(7) *Hiſt. Provinc. Aragoniæ lib.* 2. *c.* 83. *pag.* 219.

(8) *T. III. pag.* 214., *& T. VIII. Bull. O. P. in Indic. Geograp. Epiſcop. & Epiſcoporum pag.* 529.

(9) Bremondium ob ſummam ejus eruditionem habeo, uti debeo, plurimi. Si quandoque doctrinam ab eo traditam oppugnavi, factum id ex eo eſt, quod ita ſum comparatus, ut veritatem viris etiam doctiſsimis, eruditiſsimiſque præferendam eſse judicem. Quam ob rem in nullius reprehenſionem me incurſurum confido; niſi exſtent, qui velint mihi illud crimini vertere, quod aliis gloriæ eſse ſolet. Ab ea, quam ſupra indicavi, ductus ratione probare nequeo, quod Vir Clariſs. ait de Epiſcopatu a Sebaſtiano obtento. Et ſane Eugenius IV. ſcribit, ſe præficere eum *Eccleſiæ Galtillienſi*. Porrò Eccleſia Patriarchæ Conſtantinopolit. ſubjecta, atque, ut colligitur ex Joanne Cantacuzeno *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 24. *pag.* 78. *cap.* 27. *cap.* 85. *inter Script. Bizant. edit. Pariſ.*, in Thracia non procul ab Apro poſita, vocatur *Carela*, ſeu *Garella*. Confer *Notit. Eccleſ. Patriarchæ Conſtantinop. ſubjectarum*, quam tempore Leonis Sapientis confectam judicat Schelſtrat. *T. II. pag.* 668. *Notit. Patriarchatuum collectam a Nilo Doxapatrio* apud eumdem Schelſtrat. *pag.* 735., atque Orlendium *in fine Par.* 1. *Orbis Sacri, & Profani pag.* 63. Conſule etiam *alteram veterem Notit.* apud Goarium *ad calcem Codini inter Scrip. Hiſt. Bizant. pag.* 408. Deinde Eugenius IV. in *cit. Conſtitutione* fatetur, ſe eligere Sebaſtianum in *Epiſcopum*; porrò Eccleſia illa ſub Conſtantinopol. *Patriarchatu* jam inde a pluribus ſæculis *Archiepiſcopo* utebatur. Vide *Notit. cit.*, ac Lequienium *T. I. Orie. Chriſt. col.* 1170. Tandem vehementer dubito, quin præfata Eccleſia ritus Latini Antiſtitem unquam habuerit. Etſi enim capta a Cruce ſignatis anno 1204. Urbe Conſtantinopolitana (Raynaldus *ad hunc an. num.* 5. *& ſeq.*) Patriarcha Latinus in ea, in aliis Civitatibus verò, quæ ad illius juriſdictionem ſpectabant, Epiſcopi Latini inſtituti ſint (V. Innocentium III. *T. I. Epiſt. pag.* 64. *edit. Baluz.*), tamen Albericus *Trium-Fontium* Abbas *in Chronico ad ann.* 1205. *pag.* 439. apud Leibnitium *T. II. Acceſ. Hiſt. ed. Lipſ.* 1698. Thraciæ Provinciam, in qua, uti ſupra aſserui, *Carella* erat, inter eas, quæ Patriarchæ Latino Conſtantinop. parebant, non receuſet: ac præterea Eccleſiam hanc anno 1351. regebat *Joanninus* Metropolita Græcus. Confer Lequienium *loco laudat.*; quæ quidem ratio, ſi minus

XIII. LAURENTIUS PUGIOL.

Mortuo Sebaſtiano dignitatem Epiſcopalem obtinuit an. MCCCCLI. quarto Calendas Octobris Laurentius. Antea ſe Ordini Fratrum Minorum devoverat, prout Wadingus (1) certiſſimis monumentis innixus in ſcriptis reliquit.

XIV. N.

Cum Nicolaus *Carros* Arborenſis, Baro Calaritanus, & olim Sardiniæ Prorex in morte decreviſſet, ut ex bonis ſuis Cœnobium, in quo duodecim Fratres Minores, qui *de Obſervantia* dicuntur, morarentur, ſub titulo S. Mariæ *de Jeſu* propè *Eremitorium* Dominæ noſtræ *de Serpe* Diœceſis Galtellinenſis ædificaretur, cumque Brianda *Carros de Mur* Nicolai conjux jam vidua facta ab Innocentio VIII. anno MCCCCLXXXVI. facultatem poſtulaſſet & Cœnobium conſtruendi, & præfatum *Eremitorium* eidem aggregandi: Pontifex Maximus rei examen Epiſcopo Galtellinenſi die 16. menſis Octobris anni citati commiſit (2).

Antiſtitis nomen perſpectum non habeo; hinc certò me latet, utrum Laurentius, an alter fuerit, tametſi temporis intervallum, quod inter annum electionis Laurentii, & annum, quo hæc facta ſunt, eſt, animum inducat meum ad ambigendum, eſſe diverſum, & forſan poſtremum Galtellinenſem Epiſcopum.

minus demonſtrat, nullo tempore a Latino Præſule gubernatam fuiſse, ſiquidem duo Antiſtites Latinus, & Græcus ſimul eſse poterant; at animum ad graviter dubitandum inducit. Ergo Sebaſtianus hanc rexit Eccleſiam; atque id ex eo etiam probatur, quod in Conſtitut. Eugenii IV. Sebaſtianus ſucceſsor vocetur cujuſdam *Guillelmi*, & apud Wadingum *Tomo XII. ad ann.* 1451. *num.* 55. *pag.* 118. proximus Laurentii *Pugiol* deceſsor dicatur item Sebaſtianus. Porrò tam Guillelmus, quam Laurentius Eccleſiæ Galtellinenſis in Sardinia Epiſcopi fuerunt, prout in Catalogo videre eſt.

(1) *Loco, quem nuper indicavimus.*

(2) Conſule eumdem Wadingum *T. XIV. Annal. Minor. ad eum an. num.* 30. *pag.* 417.

DE

DE QUIBUSDAM
EPISCOPIS SARDIS,
Quorum ignorantur Sedes.

CAPUT UNICUM.

SI eo prorſus modo, quo veteres Scriptores memoriæ poſterorum mandarunt, quoſdam fuiſſe in Sardinia Epiſcopos, ita pariter litteris conſignaſſent, quas rexerunt Eccleſias, nulla ſanè in præſens tempus cauſſa fuiſſet, quamobrem poſt ſingulorum præfatæ Inſulæ Epiſcopatuum contextam hiſtoriam, hanc, veluti coronidis loco narrationem Lectorum oculis ſubjicerem. In hac enim de iis Præſulibus brevem ſermonem inſtituam, quos in Sardinia Apoſtolicum geſſiſſe munus nullo pacto dubitari poteſt, ſed hactenus incompertum eſt, quas illius Inſulæ Sedes conſcenderunt. Pauci quidem ſunt, nihilo tamen ſecius ſilentio prætereundos non eſſe exiſtimavi.

I. Benedictus.

Ex Monacho Montis Caſſini electus eſt Pontifex in Sardinia an. circiter MLXXXIX. (1). De illo hæc habet Petrus Diaconus (2). „ Conſtantinus Sardorum Rex ſub Oderiſio Abbate ad Caſſinum miſit, ut ei quemdam ex Fratribus mitteret, qui ibi Epiſcopatum acciperet. Tunc miſerunt ei quemdam Monachum Benedictum nomine virum per omnia Venerabilem, qui dum ſatis ſtrenuè ibi Epiſcopi ordinem gereret, ex more ſolito veniens maxima multitudo Paſſerum ſuo ſtercore fœdabat omnem Eccleſiam, & omnia vaſa Altaris, ipſum quoque Altarium. Tunc Vir Dei cum maximam inde cotidie injuriam ſuſtineret, facto Crucis ſignaculo dixit, præcipio vobis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut in Eccleſia amplius nec intretis, nec injuriam faciatis; quod uſque in hodiernum diem ita cuſtoditur, ut nullus Paſſer ibi intrare audeat. Quodam præterea tempore Saraceni Sardiniam ingreſſi ſunt, cumque ad Benedicti Epiſcopatum intraſſent, Epiſcopum quærere cœperunt. Tunc vir Domini ante Altarium ſtans Omnipotenti Deo preces ſundere cœpit. Saraceni verò Eccleſiam ingredientes in Epiſcopum impingebant, at eum videre non poterant; quot quot autem invenerunt, in captivitatem duxerunt, Epiſcopum verò ſolum nec videre, nec tenere potuerunt. „

Mortuus creditur anno circiter MC. (3). Sepultus fuit Calari in Baſilica Sancti Saturnini Martyris teſte Bonfantio (4), qui præterea ait, *ſpectari in*

(1) Confer Bollandum *T. III. Febru. ad diem* 17. *pag.* 40., a quo non multum diſcrepat Mabillon. ſcribens, electum eſse an. 1090. *T. V. Annal. Bened. lib.* 67. *num.* 111. *pag.* 257. *edit. Lucenſ.* 1745. (2) *Lib. de Miraculis cap.* 45., ex quo hujuſmodi verba recitat Eraſmus Gattola *Par.* 1. *Hiſt. Abbat. Caſsin. ſæc.* 6. *pag.* 181.

(3) Ita opinatur Bollandus *loco cit.*, cui non repugnat Mabillon. *T. IX. Act. SS. Ord. Bened. in Vita Victoris III. Papa num.* 76. *pag.* 621. *edit. Ven.*

(4) *Triumpho SS. Sard. lib.* 3. *cap.* 39.

in Ara majori pictam ejus effigiem monachili habitu pedum Archiepiſcopale manu geſtantis ad dexteram Deiparæ. Ex hujuſmodi effigie quidam Scriptores (1) colligere ſe poſſe confidunt, Pontificem fuiſſe *Calaritanum*; ſed obſtant his Arnoldus Wion (2), & Mabillonius (3), quippe id Petri Diaconi verba pati non videntur.

II. HOMODET.
III. ALBERTUS.

Epiſcopalem dignitatem in Sardinia obtinuerunt ſub annum MCXXIV. cum antea inter Montis Caſſini Monachos vitam duxiſſent. Hujus rei teſtis locuples eſt Petrus Diaconus (4), cujus auctoritate innixi præfatorum Pontificum meminere etiam Gattola (5), & Mabillonius citatus (6), ſed uterque non ſecus, ac ille verbis pauciſſimis.

Quandoquidem ſcopus noſter in hac ſcribenda Hiſtoria eſt ſingula exhibere monumenta, quæ ad Sardiniæ Pontifices ſpectant, ſupervacuum certè non erit Urbani III. Romani Pontificis Epiſtolam ad Archiepiſcopum Piſanum an. MCLXXXVI. datam, in qua de pluribus Sardiniæ Epiſcopis ſit mentio, heic recitare, eſto eorum nomen, & Diœceſes, quas adminiſtrarunt, ignorantur (7) „ Cum quidam Epiſcopi Sar„ di, ſicut nobis eſt ex tua parte pro„ poſitum, quibuſdam pecuniam, ſicut „ juramento tenebantur adſtricti, non „ ſolverint, & quidam Epiſcopus ip„ ſius Terræ in die Dedicationis Ec„ cleſiæ Ordines, cum dies ille ad hoc „ inſtitutus non fuerit, celebraverit: „ quidam etiam juraverint aliquando, „ quod Fratri, vel Sorori, Patri, vel „ Matri loqui non debeant, aut quod„ libet ejus ſubſidium miniſtrare: a „ nobis quid de hujuſmodi faciendum „ ſit, tua Fraternitas requiſivit. Nos „ itaque denegare nolentes, quod a „ nobis charitate ſuggerente poſtulare „ videris, D. T. præſentibus litteris re„ ſpondemus, quod in Epiſcopos illos, „ qui ſuum tranſgreſſi ſunt juramen„ tum, eſt tanto gravius vindicandum, „ quanto majori præeminent dignita„ te; & eorum exemplo facilius alii „ potuerunt ad ſimilia provocari: Epi„ ſcopum autem, qui die, quo non „ debuit, celebravit Ordines, canonica „ diſciplina corrigere, & Ordinatos a „ ſuſceptis Ordinibus debes reddere „ expertes, donec apud nos, vel ſuc„ ceſſores noſtros reſtitutionis gratiam „ conſequantur: illi verò, qui jurant „ non loqui Patri, vel Matri, vel So„ rori, vel Fratri, aut eis humanita„ tis ſubſidium exhibere, abſolvendi „ ſunt ab illius obſervantia juramenti, „ cum illicitum ſit, & omni contra„ rium rationi; injuncta tamen eis de „ hoc, quod mala juraverint, pœniten„ tia competenti. „

IV. NICOLAUS.

Ordinis Prædicatorum Epiſcopus in Sar-

(1) Bonfant. cit. Bollandus *Opere laudat. pag.* 41. Vitalis *in Catal. Archiepiſc. Calarit. alibi a me citato*, atque Machinus *lib. 2. de Primatu Calarit. pag. 60.*
(2) Apud Bolland. *ibidem*. (3) *Loco nuper deſignato*.
(4) *Chron. Caſsin. lib. 4. cap. 80. pag. 546.* apud Murator. *T. IV. Script. Rerum Ital.*
(5) *Par. 1. H. A. C. pag. 400.* (6) *T. VI. Annal. Bened. l. 74. n. 46. pag. 90. edit. citatæ.*
(7) Exſt. *lib. 1. Decretal. Tit. 9.* de Tempor. Ordinan. *cap. 8. juxta recenſionem Gonzalez pag. 451. edit. 1673.* Scriptam fuiſse anno 1186. aſſerunt Pithæi Fratres *in Obſervat. Chronol. ad eandem Epiſt. lib. citato pag. 37. lib. 2. Tit. 24.* de Juramento *cap. 12. pag. 117. edit. Taurin. 1746.* Piſanus Archiepiſc. qui eam accepit eſt Ubaldus Lanfrancus; hunc enim Piſanam rexiſſe Eccleſiam ab anno 1176. ad 1209. oſtendit Ughellius *T. III. col. 408.*, *& ſeq.*

Digitized by Google

Sardinia dicitur a Bernardo Guidonis (1). Cl. Bremondius eum inauguratum putat (2) anno MCCLXXXVII. illumque ipſum eſſe, quem Lopez, & Cavalerius (3) patria Januenſem fuiſſe, & Eccleſiam Calaritanam ſæculo decimo quinto gubernaſſe volunt.

V. Ambrosius.

Natione Hiſpanus *de Monteſinos* appellatus, fortaſſis ab oppido, in quo venit in lucem. Florebat in Ordine Franciſcano ſub initium ſæculi decimi ſexti. Anno MDXI. tertio Calendas Auguſti *Epiſcopus Sardinienſis* inſtitutus eſt, prout ex Tabulario Vaticano conſtat judice Petro *de Aſtorga* (4). Anno ſequenti publicavit lingua hiſpanica Commentarios in *Epiſtolas*, & *Evangelia* totius anni, teſte Jacobo Le-Long (5), qui præterea obſervat, ejuſmodi opus multoties in lucem emiſſum eſſe.

Ut fatear ipſe, quod ſentio, ingens mihi ineſt dubitatio, Ambroſium non *Sardinienſem*, ſed *Sardenſem* in Albania ſub Archiepiſcopo Antibarenſi Pontificem fuiſſe; Petrum verò, & Jacobum laudatos, qui eum in Sardinia Antiſtitem faciunt ex nominis ſimilitudine deceptus eſſe. Verum nihil certi definire auſim. Mentionem de Ambroſio faciunt præter citatos Auctores, Nicolaus Antonius (6), Wadingus (7), Coronellius (8), & alii, quos mitto.

(1) Apud cl. Bremond. *T. II. Bull. pag.* 17. (2) *Ibidem*:

(3) Apud Bremond. *T. VII. Bull. pag.* 528.

(4) *Indic. Bullar. Seraph. ad eum an. num.* 25. *Par.* 2. *pag.* 163.

(5) *T. I. Biblioth. Sacræ pag.* 571. *edit. Pariſ.* 1723. (6) *T. I. Biblioth. Hiſp.* ad v. *Ambroſius &c.*

(7) *In Sillabo Scrip. O. M. pag.* 16. ſed Epiſcopum eum non appellat.

(8) *Tom. III. della Biblioth. Univerſ. pag.* 154., ubi de Ambroſio non pauca loquitur.

APPEN-

APPENDIX
MONUMENTORUM.

Opus excudi jam cœperat, cum ad manus meas nonnulla monumenta venerunt, quæ tametſi non multum antiqua, tamen cum in his de quibuſdam Sardis Epiſcopis mentio fiat, non potuit, quin gratiſſima mihi eſſent. Ea diligenter legens ſtatim intellexi, non modò rationibus, inſtitutoque meo, verum etiam illuſtrandæ quarumdam aliarum Eccleſiarum Hiſtoriæ conducere, proinde eadem publici juris facere ſupervacuum non eſſe exiſtimavi. Notas quaſdam monumentis adjeci, quæ ſi longiores fuerint, cum magnitudine utilitatis comparatæ, fortaſſe etiam breviores videbuntur.

Horum Epiſcoporum unuſquiſque quadraginta dierum Indulgentias *elargitur Eccleſiam S. Franciſci Urbis Aſculanæ viſitantibus* (1). I.

UNiverſis Chriſti Fidelibus præſentes litteras inſpecturis. Nos Dei gratia Fr. Odoricus (2) Compoſtellanus, Fr. Ægidius (3) Bituricenſis, Fr. Joannes (4) Turritanus, Nicolaus (5) Hydruntinus, & Fr. Joannes (6) Tranenſis 1298. 15. Maii.

Oo Ar-

(1) Harum litterarum archetypus ſervatur in noſtri Cœnobii *Aſculani* Picenæ Provinciæ Tabulario, exemplar Romæ in manibus P. Pagni S. T. M., qui, ut eſt rerum noſtrarum ſtudioſiſſimus veſtigator, plures litteras his ſimiles, aliaque vetera diplomata, quibus præſertim Annales noſtri illuſtrantur, ſupplentur, atque emendantur, collegit.

(2) Bremondius *T. I. Bull. pag.* 572. hunc Antiſtitem Ord. Præd. alumnum vocat *Rodericum*, cognominat *Gonzalez*, & patria *Legionenſem* dicit. Majora de Roderico loquitur Fontana *Par.* 1. *Theat. Domin. pag.* 67., ſed dum ait, anno 1304. obiiſſe, vehementer timeo, ne in errore verſetur; nam Rodericus Præſul Compoſtell. adfuit Concilio anno 1310. Salmanticæ adverſus Templarios celebrato, uti ſcribit Mariana *Hiſt. Hiſpan. lib.* 15. *cap.* 10. *T. II. Hiſp. Illuſtr. pag.* 652. *edit. Francf.* 1603. Porrò Rodericus hic, quantum opinari licet, eſt idem, ac Rodericus Dominicanus.

(3) Fuit ex Ord. Eremitarum S. Auguſt., exque nobiliſsima Columnenſium Romana Gente. Hujus res geſtas narrant præſertim Dionyſius Sammarthanus *T. II. Galliæ Chriſt. in Arch. Bituric. col.* 76. *& ſeq.*, P. Gandolphus *Diſſert. Hiſt. de ducentis celeberrimis Auguſt. Scriptoribus num.* 4. *pag.* 20., *& ſeq. edit. Rom.* 1704., & Jacobus Bruckerus *Hiſtoria Criticæ Philoſophiæ Tomo III. Parte* 2. *Peri.* 2. *l.* 2. *c.* 3. *ſect.* 2. *pag.* 822. *& ſeq. ed. Lipſ.* 1743.

(4) De Joanne Ord. noſtri alumno, quem Turritanum Archiepiſcopum fuiſſe ignoravit Wadingus, diſſerui *in Archiep. Turritan. num. XXII.*

(5) Ughellius *T. IX. Ital. Sac.* inter Archiep. Hydruntinos Nicolaum prætermittit; immò ab anno 1283. ad annum uſque 1310. Eccleſiam hanc rexiſſe Jacobum litteris conſignavit. Itaque dicendum eſſe cenſeo, Nicolaum noſtrum electum, ordinatumque Præſulem poſtea nuntium remiſiſſe, ac in Pontificia aula moratum eſſe, quod iis præſertim temporibus in more apud multos poſitum fuiſſe video.

(6) Ex noſtra Franciſcana Societate, cum eſſet Jaderenſis Antiſtes ad Eccleſiam Tranenſem anno 1297. acceſſit. Vide Ughell. *T. VII. num.* 22. *col.* 906.

Archiepiſcopi : Frater Lambertus (1) Aquinas , Frater Matthæus (2) Veglenſis, Joannes (3) Clonenſis , Gerardus (4) Atrebatenſis , Nicolaus (5) Tudertinus , Leonardus (6) Urbevetanus , Frater Monaldus (7) Civitatis Caſtellanæ , Leonardus (8) Averſanus , Frater Enricus (9) Revalienſis , Frater Ange-

(1) Lamberti meminit Ughell. *T. I. num. 19. col. 379. in Ep. Aquin.*, qui tamen eum fuiſſe Ordinis noſtri alumnum non animadvertit. Verum hac de re ambigere nou ſinit Conſtitutio 41. Nicolai IV. *Vacante dudum &c.* apud Wadingum *T. V. in Reg. Pontif. pag. 535. edit. poſt.* Antea rexerat Eccleſiam Veglenſem in Dalmatia , quod etiam Wadingus ſcribit , ſed anno 1297. ad Aquinatem translatum fuiſſe ignoravit; unde Annales noſtri ſuppleri poterunt.

(2) Ughellius *T. VII. n. 7. col. 944.* Matthæum , de quo pauciſsima loquitur , adjudicat Eccleſiæ Vigilienſi in Apulia ſub Archiep. Tranenſi . Sed Vir clariſ. in errore eſt , prout colligitur non modò ex his litteris, verum etiam ex Conſtitutione 18. Bonifacii VIII. *Regiminl univerſalis &c.* apud Wading. *T. VI. in Reg. Pontif. pag. 430.* , in qua legitur , anno 1302. electum in Epiſcopum Veglenſem in Dalmatia eſſe Fratrem Thomam Ordinis noſtri *per obitum bonæ memoriæ Matthæi*. Idem ipſe Ughellius opinatur, Matthæum ex aliquo ſaecrorum hominum cœtu aſſumptum fuiſſe , ſed qualis ille fuerit , ſe ignoraſſe fatetur . His circiter temporibus duos hujus nominis in Ordine noſtro Viros celebres , ac de Romana Eccleſia præclarè meritos floruiſſe ſentio; alter eſt Matthæus patria Aretinus, qui a Nicolao III. una cum aliis Minoritis ad Quolibey Imperatorem, & Abagham Tartarorum Regem anno 1278. miſſus eſt (Wadingus *T. V. ad eum an, num. 8. pag. 36.*); alter eſt Matthæus patria Theatinus, qui ſimul cum Fr. Guillelmo *a Cherio* ad Argonem Tartarorum Regem , & alios Viros Principes Orientis anno 1291. a Nicolao IV. legatus fuit (idem Wad. *Tomo cit. ad eum an. num. 4. pag. 254.*) . Satis probabile mihi fit , iſtorum alterum eſſe Matthæum Veglenſem Epiſcopum.

(3) Clonenſis Epiſcopatus extat in Hibernia ſub Archiepiſc. Caſſilienſi in ea Inſulæ parte , quæ *Momonia* vocatur. Confer Franciſcum Porterum *Compendia Annal. Eccleſiaſt. Hiberniæ cap. 7. pag. 198. edit. Rom. 1690.* Quis hic Joannes fuerit , neſcio ; nam de eodem non ſolum in Hiberniæ Hiſtoriis , ſed ne in Actis quidem Conciliorum præfatæ Inſulæ a Davide Wilkins Londini anno 1737. publicatis, & a me non oſcitanter lectis, ulla fit mentio.

(4) De Gerardo videndus doctiſsimus Dionyſius Sammarthanus *T. III. Galliæ Chriſt. col. 334.*

(5) Ex Canonico Rothomagenſi electus eſt in Tudert. Epiſcop. an. 1297. Obiit an. 1326. Legeſ Ughell. *T. I. num. 37. col. 1352.*

(6) Non pauca de Leonardo Mancino Cive , ac Epiſc. Urbevetano tradunt Ughell. *T. cit. n. 37. col. 1473.* atque Lucentius *T. I. Ital. Sac. Reſtrictæ col. 1657.*

(7) Ordinis noſtri alumnus Epiſcopatum obtinuit an. 1288. , & poſt 18. annos circiter e vita migravit. Adeundus Ughell. *T. I. num. 14. col. 598.* Lucas Wadingus *T. V. ad an. 1288. num. 37. pag. 188.* eum probe ſcripſiſſet , Monaldum hujus Eccleſiæ regimen ſuſcepiſſe , poſteaſ ſui immemor *T. VI. ad an. 1306. num. 27. pag. 86.* hunc ſimul cum Gotifredo item Minorita ejus ſucceſſore Præſulem *Tifernatem* perperam dicit. Romanus Editor , mea quidemſ ſententia , operæ pretium feciſſet , ſi Wadingum errantem , immò verò etiam ſibi contradicentem emendaſſet . Verum quantum intelligo , in Wadingo non errores , ſed plura ex iis , quæ Vir eruditus veritate duce litteris conſignavit , ei diſplicebant . Eſt tamen , qui utilem , ſeu ut melius loquar , neceſſariam provinciam ab eodem neglectam aggredietur , feliciterque perficiet.

(8) Hic eſt Leonardus Patraſſus a Jongelino apud Oldoinum *loco mox citando* , & aliis inſtituto Franciſcanus aſſertus , In Cardinalium cœtum relatus a Bonifacio VIII., cujus Patruus erat , anno 1300. Conſule Auguſt. Oldoinum *T. II. Addit. ad Ciaconium num. 14. col. 333.* , & Ughell. *in Ep. Averſ. T. I. num. 19. aliiſque in locis.*

(9) Urbs Revalienſis eſt in Livonia ad maris Baltici ſinum. Nunc Regi Sveciæ paret. Adeundus Guagninus *Deſcript. Sarmatiæ Europeæ fol. 73. 75. edit. Spiren.* 1581. Ejus Eccleſia ab Andrea

Digitized by Google

gelus (1) Nepeſinus, Fr. Bartholomæus (2) Hortanus, Arnaldus (3) Tolosa-
nus,

drea Archiepiſcopo Lundenſi in Dania inſtituta eſt. V. Raynaldum *T. II. ad an.* 1236. *n.* 62. *pag.* 156. *edit. Lucenſ.* Andreas ſucceſſit Abſaloni anno 1200., vel ſequenti vita functo. Confer Stephanum Joannem Stephanium *in not. in Præf. Hiſt. Danicæ Saxonis Grammatici pag.* 8. *edit. Hafniæ* 1644., & Olaum Wormium *lib.* 3. *Danic. Monum. pag.* 172. *edit. Hafniæ* 1643. De hujus Eccleſiæ origine, lege etiam Joan. Iſaacum Pontanum *lib. 6. Hiſt. Rerum Danic. pag.* 307. 318. 321. *edit.* 1631., qui inſuper narrat, initio obtemperaſſe Lundenſi Metropoli. Poſtmodum ſpectaſſe ad Antiſtitis Rigenſis jurisdictionem apertè tradit Ferrarius *Lex. Geograph.* ad verb. *Revalia*. Adi quoque *Catalog. Eccleſ. omnium* apud Martinierum *T. I. Mag. Dictionarii G. Crit. pag.* 484. Rigenſis Eccleſia ad Metropolis honorem evecta eſt ab Alexandro IV. anno circiter 1256. (Raynald. *T. II. ad eum an. num.* 37. *pag.* 500., & *ad an. ſeq. num.* 64. *pag.* 539., nec non *Notit. Eccleſiaſt. Epiſcopi Cathar.* apud Scheiſtratium *T. II. Antiq. Eccleſ. illuſt. pag.* 764.) cum longe ante, anno nempe 1186. a S. Mainardo originem habuiſſet (Manrique *T. III. An. Ciſtercenſ. ad an. cit. cap.* 2. *num.* 1. *pag.* 166., & *ſeq. edit.* 1649. Pagius *ad eum ann. num.* 11. *T. XIX. pag.* 569. Fabritius *ſalutaris lux Evangelii cap.* 22. *pag.* 468.) hac tamen lege, ut ejus Præſul *in certa Eccleſia Metropoliticam non habens Sedem, Livoniæ, Eſtoniæ, ac Pruſſiæ Archiepiſcopus* vocaretur. Vid. *Epiſt. Alexandri ad Archiep. Rigenſ.* apud Raynald. *T. indic. pag.* 539. Verum non ſtatim ac Riga Metropolis declarata eſt, eidem Revalienſis Eccleſia paruit, ſiquidem *Notitia paullo ante citata*, quæ exarata creditur medio circiter ſæculo 14. *pag.* 767., hanc inter Sedes Suffraganeas Archiep. Lundenſis recenſet: immò ſub annum quoque 1500. Lundenſem Pontificem veneratam eſſe tradit Albertus Krantius *lib. 6. Vandaliæ cap.* 11. *pag.* 134. *edit.* 1580. *Francof.* Cujus inſtituti F. Henricus fuerit, in nulla ex variarum Societatum hiſtoriis, quas vidi, vidi autem plures, legere potui. Sæculo Eccleſiæ decimo tertio tres extabant in Livonia Virorum Ordines, nempe *Gladiferorum*, qui Fratribus Teutonicis ſe conjunxerunt. Conſule Krantium *op. & lib. indic. cap.* 10. Monachorum Ciſtercienſium. Vid. Manrique *loco paullò ante cit.*, nec non FF. Prædicatorum. Adeundæ *Innoc. IV. Conſtitut.* XIV. *pag.* 121. LXXIX. *pag.* 146. CCXVIII. *pag.* 189. CCCXIII. *pag.* 239. & *Conſtitut.* LXV. *pag.* 299. *Alexand. IV.* apud Bremondium *T. I. Bull.* Igitur ad unum ex his tribus Ordinibus ſpectare Henricum probabile eſt, ſed quis ille fuerit, me latet omnino.

(1) Electus in Epiſcop. Nepeſinum eſt anno 1297. A Bonifacio VIII. Legatus in Germaniam miſſus fuit, & Romæ Vicarii munus geſſit. Exacto luſtro ad Eccleſiam Reatinam tranſiit, paulloque poſt e vita migravit. V. Ughell. *T. I. in Ep. Nep. n.* 29. Ex qua Societate aſſumptus ad Epiſcopatum ſit, non liquet. Tradunt Annales noſtri, ſub hæc tempora quatuor fuiſſe hujus nominis celebres Minoritas; Angelum Peruſinum Provinciæ S. Franciſci Miniſtrum (*T. V. ad an.* 1277. *n.* 18. *pag.* 25.); Angelum Urbevetanum, qui cum tribus aliis ex Ordine noſtro Sac. Theolog. Magiſtris a Nicolao III. ad Palæologum Imperatorem legatus eſt (*ad an.* 1278. *n.* 2. *pag.* 29.); Angelum Reatinum in Provincia Romana (*ad an.* 1288. *n.* 22. *pag.* 181.) & Angelum Tudertinum in Diœceſi Spoletana (*ad an.* 1291. *n.* 14. *pag.* 262.) adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitores. An horum unus idem ſit ac Angelus Epiſcopus Nepeſinus, videant, qui ſapiunt. Ego certè nil definire auſim, ne quis credat, me non veritatis amore, ſed meæ ſodalitatis Epiſcoporum numerum augendi ſtudio duci.

(2) Clariſs. Fontaninus *de Antiquit. Hortæ l.* 2. *cap.* 7. *col.* 110. *T. VIII. P.* 3. *Theſauri Burman.* hunc Epiſcopum *Bartholum* vocat. Eodem nomine appellatur in Conſtit. 37. Bonif. VIII. apud Wad. *T. V. Reg. Pontif. pag.* 595. Ante Epiſcopatum alicui Sacrorum hominum cœtui addictum fuiſſe ex eo patet, quod in his litteris *Frater* dicatur. Variarum ſocietatum Annales evolvi, ut qualis hic cœtus fuerit intelligere poſſem, ſed apud illos nullum hujus nominis Virum deprehendi, quem Hortanum fuiſſe Epiſcopum prudenter conjicere liceret. Apud Wadingum tantum legi (*T. cit. ad an.* 1280. *n.* 1. *pag.* 91.), Nicolaum III. P. M. anno 1280. Bartholomæum *de S. Gemino* Ord. noſtri in Æmiliam, & alias finitimas Civitates ad bella civilia compeſcenda legaſſe. Utrum hic Bartholomæus Epiſcopus Hortanus ſit, aliorum eſto judicium.

(3) Ex nobiliſſima Gente *de Cominges* natus, conſecratus Epiſcopus Toloſanus eſt anno 1298. *Dominica*

nus, Nicolaus (1) Matiſconenſis; Andreas (2) Venafrenſis, Nicolaus (3) Theanenſis, Joannes (4) Catalaunus, Adam (5) Marianenſis, F. Jacobus (6) Chalcedonenſis, & F. Angelus (7) *Aſtenſis* Epiſcopi ſalutem in Domino ſempiternam. Splendor paternæ gloriæ &c.

Datum Romæ die 15. menſis Maii ſub anno Domini MCCXCVIII. Pontificatus Domini Bonifacii VIII. anno IV.

II. *Bartholomæus Epiſcopus Ampurienſis quamdam appellationem Joannis Minoritæ adverſus Manfredum in Provincia Tuſciæ Inquiſitorem recipit* (8).

1316. 6. Decemb. Religioſo, & Reverendo Viro Fratri Manfredo (9) Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Provincia Tuſciæ, Fr. Bartholomæus miſericordia Divina Emporienſis (10) Epiſcopus, & Fr. Landus Cuſtos Fratrum Minorum Piſanæ Cuſtodiæ (11) cum ſinceræ charitatis affectu ſalutem in Domino. Diſcretioni veſtræ per præſentes facimus manifeſtum, quod Fr. Joannes Guardianus Fratrum Mi-

minica Luture. Roma diſcedens, ut Sponſam ſuam adiret, in itinere e medio abiit, ac ſepultus eſt in Eccleſia FF. Minorum *de Samataria*. Conſule FF. Sammarthanos *T. I. Galliæ Chriſt. num. 46. pag. 691. edit. Pariſ.* 1656.

(1) Doctiſsimi Maurini Patres *T. IV. Galliæ Chriſt. col.* 1083. ſcribunt, Hugonem Nicolai deceſſorem die 29. Decemb. an. 1300. obiiſse: Nicolaum verò anno 1301. menſe item Decembri electum eſse, ſed in errore verſari ex his literis comperta res eſt.

(2) De Andrea diſserit Ughellius *T. VI. in Ep. Venaf. num.* 11. *col.* 548.

(3) Epiſcopatus Catalaunenſis regimen ſuſcepit anno 1284.; dimiſit anno 1312., quo è vita non ſine veneni ſuſpicione migravit. Patres Maurini *T. IX. ap. paullò ante cit. col.* 889. quamplura de Joanne per ſuos annos digeſta narrant, ſed anno 1298. Romæ fuiſse neſciere.

(4) Ex Epiſc. Sorano hujus Eccleſiæ Pontifex renuntiatus eſt an. 1295. Confer Ughell. *T. cit. n.* 19. *col.* 569.

(5) Adam noſter dubio procul ille Epiſcopus eſt, qui Ughellio judice *T. IV. num.* 12. *col.* 1000. Marianenſem Eccleſiam anno 1283. gubernabat, cujus tamen nomen Vir clariſ. ignoravit.

(6) De Sede Epiſcopali Chalcedonenſi in Aſia minori in Bithyniæ Provincia poſita agit Lequienius *T. III. Oriens. Chriſt. col.* 1018. Inter ejus Pontifices Jacobum hunc prætermittit.

(7) In *apographo*, quo uſus ego ſum, Frater Angelus Epiſcopus *Aſtenſis* vocatur; ſed error eſt; nam Aſtenſem Eccleſiam ab anno 1295. ad annum uſque 1327. a Gnidone ex Comitibus *Valpergiæ* nato gubernatam fuiſse tradit Ughellius *T. IV. num.* 41. *col.* 383. Itaque cujuſnam Eccleſiæ Antiſtes fuerit, & cuinam Societati nomen dederit, ne conjectura quidem aſsequor.

(8) Hujus monumenti apographum Franciſco Bencſſio Utini adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitori Viro in noſtri Ordinis Hiſtoria verſatiſsimo acceptum refero.

(9) Nec Wadingus *in Annalibus Fratrum Minorum*, nec Antonins a Terrinca *in Theatro Etruſco-Minorit. Par.* 2. *tit.* 2. *ſerie* 8. *pag.* 138. *& ſeq.*, ubi ex inſtituto de noſtris Franciſcanis, qui in Etruria honorificum Inquiſitoris munus geſserunt, pertractat, de Manfredo mentionem faciunt.

(10) De Bartholomæo noſtri Piſani Conventus alumno plura diſserui *in Ep. Ampur. num. VI.*

(11) Piſana noſtra *Cuſtodia* a S. Bonaventura in Comitiis Generalib. Narbonæ habitis an. 1260. inſtituta eſt. Confer Wading. *T. IV. ad eum an. num.* 14. *pag.* 130. Circa ſæculi 14. finem, quo ſcribebat Bartholomæus Piſanus, quinque complectebatur Conventus; duo exſtabant Piſis, nempe SS. Franciſci, & Martini; ex cæteris tribus primus apud Vicum Piſanum, ſecundus Apuæ, tertius Sergiani erat. Jam inde a pluribus annis ſecundum, & quintum amiſimus.

Minorum Piſani Conventus (1) die 6. infraſcripti menſis Decembris in noſtra præſentia vocato publico Notario cum Teſtibus, ut de hoc faceret publicum Inſtrumentum, quamdam appellationem in ſcriptis fecit, & pertulit, cujus tenor eſt ſequens. Coram vobis Reverendis Patribus, & Venerabili Domino Fr. Bartholomæo Epiſcopo Empurienſi, ac Fr. Lando Cuſtode Fratrum Minorum Ordinis Piſanæ Cuſtodiæ tamquam publicis, & autenticis Perſonis, & coram unoquoque veſtrum ſeparatim, & conjunctim, ego Fr. Joannes Guardianus Conventus Fratrum ejuſdem Ordinis de Piſis expono in his ſcriptis, & dico, præſentatas, & datas mihi fuiſſe nudius tertio circa horam veſpertinam ex

parte

(1) Conventus ſcilicet nunc S. Franciſci vocati, quem conſtructum dicunt an. 1211. V. clar. Wading. *ad eum an. num.* 25. *pag.* 115. Ab ejus origine ad hæc uſque tempora obtinent Minoritæ Sodales mei. Præter hunc alium quoque Piſis olim habebant, nimirum S. Martini, ut paullò ante dictum eſt: cujus, quoniam Annales Wadingiani paucisſimis, & iis perquam obſcuris meminere, hic de eodem nonnulla breviter decurram. Anno 1331. a Bonifacio nobilisſimo Comite *de Donoratico* ædificari cœpit *in quarterio Chinſica in contrada, qua dicitur Guaſtolongo* propè S. Martini Eccleſiam, quæ ad Canonicos Regulares Sancti Auguſtini ſpectabat, cujus etiam proventus ei conceſſi fuerunt hac lege, ut in ipſo quadraginta S. Claræ Moniales, & quatuor Fratres *Minorita* morarentur, qui de illis curam gererent, & Sacramenta conferrent. Apparent hæc *ex diplomatibus* CCXLII. CCXLIII. CCXLIV. *Joannis XXII.* apud Wadingum *T. VII. in Regeſ. Pontif. pag.* 424. *& ſeq.*, quæ ſi vidiſset, uti videre optabat, ac etiam poterat, ſiquidem jam a pluribus annis publicata erant, eruditisſimus Bollandianus Henſchenius, hæc ſibi ex quodam antiquo Codice apud S. Martini Moniales aſservato, nota in dubium non revocaſset *T. VII. Maii in Actis S. Bonæ cap.* 7. *ad diem* 29. *ejuſ. menſis pag.* 163. Anno 1363. die 14. Aprilis comperio, in præfato Cœnobio præter alios Patres moratos eſse peculiarem *Guardianum*, ut ajunt, ac Lectorem: in veteri enim eorum temporum monumento ab eodem Henſchenio exhibito, poſteaquam narratum eſt, nova S. Martini constructa Eccleſia, ad hanc ab antiquo Templo diruto Corpus S. Bonæ translatum fuiſse, & in illius Capſa Tabulam plumbeam repertam eſse, ſequentia habentur verba: *quam Tabulam viderunt, & propriis oculis legerunt Fratres Ligelius de.... tunc Guardianus dicti loci* (nempe S. Martini), *& Joannes de Sancto Vito Lector dicti loci, & Bartholomæus de Sarzana, & Jacobus de Sardinia omnes Ordinis Fratrum Minorum in loco prædicto commorantes.* Bartholomæus Piſanus etiam *lib.* 1. *Conformit. Fruc.* 11. *Par.* 2. *fol.* 122. *ed. Mediol.* 1510. hujus Cœnobii meminit, ſed Piſis extitiſſe non indicat. Henſchenius laudatus opinatur, ineunte ſæculo decimoquinto Moniales *Clariſſas* Fratribus noſtris in eo ſubrogatas eſſe. Verum Moniales longe ante ibidem morari cœpiſſe ex hactenus dictis apertè liquet: Fratres autem multò poſt diſceſſiſſe nunc oſtendo; in Actis Comitiorum Provinciæ Tuſciæ anno 1562. die duodecima Aprilis *in Terra Plani Caſtanearii* celebratorum, quibus præfuit Thomas Origonius *de Variſio* Provinciæ Mediolanenſis tunc Miniſter, legitur, quod conſtitutus eſt *Guardianus, & Confeſſor Venerabilis Monaſterii S. Martini Venerabilis F. Joannes de Maſſa*, diverſus *a Guardiano Almi Conventus Piſarum*, qui erat *Venerabilis P. F. Joannes Andreas de Calandris a Florentia*: ergo ne poſt medium ſæc. 16. quidem Minoritæ è S. Martini Cœnobio diſceſſerant. Mea ſententia, tum S. Martini Conventum amiſimus, cum anno 1568. tertio nonas Junii Pius V. *Conſtitut.* quæ incipit: *Cum ſicut accepimus* apud Coquelines *T. IV. Par.* 3. *novi Bull. Rom. num.* 83. *pag.* 16. *& ſeq.*, ut Fratres noſtri *commodius, & liberius Sacrarum litterarum ſtudiis incumbere valeant, ab onere, & impedimento gubernii Monialium* eos ſponte ſua exemit, quod longe ante S. noſter Bonaventura, & alii Patres Comitiorum Generalium, quæ Piſis anno 1263. habita fuere ardenter optaverant: Confer Wading. *T. IV. ad eum an. num.* 15. *pag.* 218. Id ex eo colligo, quod in Comitiorum Provinciæ Tuſciæ Actis in hoc totius Ordinis Tabulario ad SS. Apoſtolorum aſservatis, quæ poſt præfatum an. 1568. celebrata ſunt, nullus Frater electus invenitur in memorati Cœnobii *Guardianum*.

Digitized by Google

parte Reverendi P. Manfredi auctoritate Apoſtolica Inquiſitoris hæreticæ pravitatis in Provincia Thuſciæ quaſdam litteras quodam ſigillo eiſdem impreſſo a tergo ſignatas hujus continentiæ, & tenoris. In Chriſto ſibi cariſſimo Fratri Joanni Guardiano Piſano, Fr. Manfredus Inquiſitor hæreticæ pravitatis in Thuſcia ſalutem, & pacem in Domino ſempiternam. Conſcientia urgente compellor pecuniam pertinentem ad Inquiſitionis Officium, quæ per Inquiſitores alios a longo jam tempore fuit diverſis accomodata Conventibus, & Perſonis, requirere, ut abſque difficultatis obſtaculo libere poſſit opportunis temporibus in Inquiſitionis commodum pervenire. Cum igitur per Fratrem Angelum de Aretio (1), dum Inquiſitionis gerebat Officium, quinquaginta Floreni aurei (2) de pecunia Lucterii Joannis ad Inquiſitionis Officium pertinente veſtro fuerit commodata Conventui, ſicut ex . . . . . . dicti officii mihi reſignata recepi: diſcretionem veſtram rogo tenore præſentium, quantum poſſum, & ad removendum dilationis nimiæ tædium, licet malè libenter, & invictè quodammodò moneo vos ſemel, bis, & tertiò peremptorio una vice pro tribus, & vos orando, diſtrictim quantum poſſum ſub pœna excommunicationis in his ſcriptis, quam volo vos incurrere ipſo facto, ſi per vos contrarium fieret, quatenus infra octo dies a receptione præſentium prædictos quinquaginta Florenos faciatis integre aſſignari alicui Mercatori, quem Fr. Bonaventura Socius meus, & lator præſentium vobis duxerit præſentandum. Valete in Domino, & orate pro me. Data Senis XXX. menſis Octobris. Et ad cautelam has litteras feci per ſingula regiſtrari, de cujus præſentatione relationi, & dicto dicti Fratris Bonaventuræ dabitur plena fides. *Sequuntur rationes, quibus* Guardianus *ſe nihil Manfredo debere oſtendit, deinde hæc habentur.*

Interpoſitæ, & lectæ fuerunt dictæ appellationes Piſis in ſcriptis coram dictis Epiſcopo, & Cuſtode per ipſum Fr. Joannem Guardianum prædictum anno Domini MCCCXVII. ab Incarnatione ejus ſecundum curſum Civitatis Piſanæ (3) Indic.

(1) Angelus hic non ſecus ac Manfredus omiſſus eſt a Wadingo, & a Terrinca ſupra laudatis. Sæculo 14. vivebat Aretii F. Angelus cognomento *de Meglia* doctrina, nobilitate, magnaque apud Concives ſuos æſtimatione clarus, ut tradit Illuſtriſsimus Rodulphius *Hiſt. Seraph. Relig. lib. 2. fol. 261.*, exque eo totidem verbis Wadingus *T. II. ad an. 1232. n. 42. pag.* 308. de Aretina noſtra Eccleſia, & Cœnobio optimè meritus. Cum præfati Auctores non indicent certum tempus, quo floruit P. *de Meglia*, primò putabam, eumdem eſſe ac Angelum adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitorem, ſed poſtmodum ab eximio Viro Sac. Theolog. Magiſtro Angelo Ciutio, qui in patrii Conventus antiquis monimentis colligendis, & illuſtrandis nunc ſe verſat, per litteras admonitus, Angelum *de Meglia* ad annum uſque *1379.* ſpiritum duxiſſe ſuum, in eam adductus ſum opinionem, ut cenſeam, illos eſſe inter ſeſe diverſos.

(2) *Florenus* aureus genus monetæ eſt, quod Florentiæ anno 1252. primò, deinde a variis aliis Principibus cuſum fuit. Vide opus, cui titulus: *Il Fiorino d'oro antico illuſtrato: diſcorſo di un Accademico Etruſco indirizzato al Sig. Dottore Antonio Franceſco Gori Lettore della Storia Sacra, e Profana nello Studio Fiorentino cap. 1. pag. 1. & ſeq., cap. 4. pag. 9. & ſeq. edit. Florent.* 1738. Non ſemper idem fuit illius valor, ſed diverſis temporibus varius. Initio ſæculi 14. erat *ſolidorum* 21. Confer *cap. 5. op. cit. Par. 2. pag. 146.*

(3) Piſani non ſecus, ac Florentini, Galli, & Mediolanenſes ab Incarnatione, nempe a die 25. menſis Martii annos numerare ſolebant. In eo tamen inter ſeſe diſcrepabant, quod primi Incar-

Indic. XV. die Lunæ ſexta die menſis Decembris: præſentibus Teſtibus Fratribus Frederico de. . . . Joanne de Vico, ... Piſano de S. Paulo, & Fr. Bernardino de Piſis, & pluribus aliis in ſolario Palatii, ubi dictus Dominus Epiſcopus Piſis moratur.

Quadraginta dierum Indulgentiæ *Eccleſiæ noſtri Ordinis Recineti conceduntur* (1). III.

UNiverſis Sanctæ Matris Eccleſiæ Filiis, ad quos præſentes litteræ venerint. Nos miſericordia Divina Petrus (2) Nazarenus, Guillel- 1330. 13. Martii.
mus (3) Antibarenſis Archiepiſcopi, Jordanus (4) Acernenſis, Angelus (5) Groſſetanus, Sergius (6) Catharenſis, Madius (7) . . . . . ., Dulphus

carnationem novem menſibus ante Nativitatem, ſecundi tribus menſibus poſt Nativitatem adſumebant. Adeundi Mabillonius *de Re Diplomatica lib.2. cap.23. n.3. pag.171. ed. Pariſ. 1681.* & Ducangius *T.I. Gloſſ. mediæ, & infimæ latin. pag.435. ed. Ven. Maur.* Nunc omnes Tuſci a Calendis Januarii annos computant, id præcipiente potentiſsimo, invictiſsimoque Romanorum Imperatore, Lotaringiæ, Barii, & Magno Etruriæ Duce Franciſco lege data 12. Calendas Decembris anno 1748.

(1) Archetypus eſt in noſtri Conventus Urbis Recinetenſis Tabulario, exemplar Romæ apud Patrem Mag. Pagninum.

(2) Anno 1330. electum in Pontificem Nazarenum eſse Petrum natione Gallum, Virum egregia virtute illuſtrem O. P. alumnum aſserunt Ughellius *T. VII. num. 12. col. 773.*, & Lequienius *T. III. Orient. Chriſt. num. 16. col.* 1300. Sed cum nec præfati Auctores, nec Bremondius, nec Fontana, qua die hoc factum ſit, ſcribant, ac præterea Petri noſtri proximus deceſsor, cujus item dies emortualis ignoratur, fuerit ejuſdem nominis, minus certò liquet, an qui hic recenſetur, ſit vel primus, vel ſecundus Petrus. Exiſtimo tamen fuiſse Petrum Dominicanum Avenionem profectum, ut a Pontifice inauguraretur. Hic anno 1332. idibus Aprilis Romæ exiſtens *Indulgentias* Eccleſiæ Sancti Laurentii, & Xenodochii Curiæ elargitus eſt. Ipſius litteræ ſunt *in Chronico Enorbii Widemanni col. 668.* apud Menchenium *T. III. Script. Rerum Germanic. præcipuè Saxonicarum*, in quibus, quod animadverſione dignum eſt, Petrus Archiepiſcopum Nazaret, & Hieruſalem ſemet inſcribit.

(3) Sedes Antibarenſis eſt in Dalmatia Orientali. Olim Archiepiſcop. Spalatenſi obtemperabat. V. Farlatum *T. I. Illyrici Sacri in Proleg. Par. 3. pag.* 308. & Joan. Lucium *de Regno Dalmat. & Croatiæ l. 2. pag. 91. & ſeq. edit. Amſtel.* 1668. Poſt initium ſæculi undecimi in Metropolim erecta eſt, ad quam Sedes etiam Dioclenſis translata fuit. Confer doctiſsimum Aſsemanum *T. I. Kalend. Eccleſ. Univerſ. Par. 2. cap. 7. Origin. Eccleſ. Slavorum num. 18. pag. 346. & ſeq.* Coronellius noſter *T. III. della Bibliot. Univerſ.* ad verbum *Antivari* hujus Eccleſiæ Præſulum Catalogum exhibet, ſed Guilelmum omittit.

(4) Electus eſt anno 1321., obiit duobus exactis luſtris. V. Ughell. *T. VII. num. 7. col. 447.* Forſan Jordanus in Pontificis Aula morabatur, ſiquidem etiam biennio ante Avenione fuiſse mihi comperta res eſt. Confer *litteras plurium Epiſcoporum* apud doctiſsimos Socios Bollandianos *Append. ad Acta SS. Aurei, & Sociorum T. III. Junii ad diem 6. pag. 83.*

(5) De Angelo O. P. multa diſserui *in Epiſcop. Sutritanis num. X.*

(6) Etſi Catharenſis Eccleſia ſit in Dalmatiæ ora maritima, tamen cum pareat Archiep. Barenſi in Apulia, ejus Epiſcoporum ſeries contexitur ab Ughellio, qui *T. VII. num. 4. col. 697.* hunc Antiſtitem vocat *Bergium*, aitque ex Canonico Eccleſiæ Cathedralis in Præſulem electum fuiſse anno 1328., præterea nihil.

(7) In exemplari ſub litura latet Epiſcopatus nomen, quem geſsit Madius. Ego tamen arbitror, Epiſcopum hunc illum ipſum Madium eſse, qui refertur in litteris a Bollandianis *loco nuper laud.*

phus (1) Dunenſis, Bernardus (2) Diagorganenſis, Joannes (3) *Camplenſis*, Martinus (4) Galtellenſis, Stephanus (5) Pharenſis, Joannes (6) . . . . bienſis, Guillelmus (7) Tauriſienſis, Vincentius (8) Maranenſis, ... Co- lum-

laud. recitatis, ac dicitur Eccleſiæ *Drmitenſis* Pontifex. Porrò hæc Eccleſia, niſi mea me fallit opinio, eadem eſt atque Eccleſia *Dimicenſis* in Theſſalia ſub Archiep. Lariſſeno, de qua agit Lequienius *T. III. Orient. Chriſt. col.* 982., ſed inter ejus Præſules Madium haudquaquam agnoſcit.

(1) Dulphus, ſeu melius Rodulphus Ordinis noſtri Sodalis in Pontificem electus eſt anno 1328. menſe Decembri, uti ſcribit Wadingus *T. VII. ad eum ann. num.* 25. *pag.* 88. Eccleſia Dunenſis eſt in Hibernia ſub Archiepiſc. Armachano, deque illa agit Porterus *Compend. Annal. Ecclrſ. Hibernia cap.* 7. *pag.* 172.

(2) Cognomento *de Gardiola* O. Præd. electus eſt in Epiſcop. Diagorganenſem in Perſide anno 1329. Vide Lequienium *T. III. op. cit. col.* 1380.

(3) In apographo mihi exhibito Joannes Epiſcopus *Camplenſis* vocatur. Hujus nominis Sedes in Aprutio ſub Archiepiſc. Theatino eſt, ſed cum a Clemente VIII. anno 1604. inſtituta fuerit (Ughell. *T. VI. col.* 777., *& ſeq.*) iſtius Eccleſiæ Pontifex Joannes noſter eſſe non potuit. Itaque reor, legi debere *Caprulrnſis*. Nã ab an. ſaltem 1318. ad an. 1331. Diœceſim Caprulenſem in ditione Veneta ſitam gubernavit Joannes Zane Patricius Venetus. Confer Ughell. *T. V. num.* 16. *col.* 1339. *rdit. Venet.*

(4) De Martino pauca loquuti ſumus *In Epiſc. Galtellinen. n. V.*

(5) Epiſcopatus Pharenſis, hodie *Leſinenſis* vulgò dictus, quem Stephanus geſſit, eſt in Dalmatia ſuperiori, qua ad Septemtriones vergit. Inſtitutus fuit ſæculo 12. Olim Spalatenſi, nunc Jadrenſi Metropolitæ paret. Adeundi Farlatus *Tomu I. Illyrici Sacri Par.* 2. *Proleg. pag.* 197. *edit.* 1751., ac Thomas Archidiac. Spalatenſis *Hiſt. Salonitana cap.* 22. *pag.* 327. *edit. Amſtel.* 1668. Exſt. *poſt Hiſt. Joan. Luridi.*

(6) Licet in noſtro exemplari nominis Eccleſiæ, quam rexit Joannes, priores litteræ deſint; tamen ad opinandum inducor, & hanc Serbienſem, & Joannem illum ipſum eſſe, qui anno 1328. Avenione exiſtens, nono Calendas Julias *Indulgentias* Eccleſiæ B. Martini Heiligenſtadienſis Moguntinæ Diœceſis contulit. Conſulito Bolland. *loco ſupra laud.* Hujuſmodi verò Eccleſia, quæ *Srrvia* (Zonaras *T. III. Annal. pag.* 179. *edit. Baſil.* 1557.) etiam vocatur, *ad confinia Bottiaa, & Theſſaliæ jacet*. Vide Joan. Cantacuzenum *Par.* 3. *Hiſt. lib.* 4. *cap.* 19. *pag.* 777. *in Corporr Hiſt. Byzantina edit. Pariſ.* 1645. Ex veteri *Notitia* Eccleſiaſtica, quam exhibet Schelſtratius *Tomo II. Antiquit. Ecclrſ. illuſt. in Append. ad opus Geographicum pag.* 788. apparet, ſub Archiep. Theſſalonicenſi fuiſſe. Cl. Lequienius *T. II. Operis indic. col.* 101. de Serbienſi Epiſcopatu mentionem facit; ſed nullum Serbienſem Præſulem ante annum 1720. circiter ſe inveniſſe ſcribit. Itaque & hujus Sedis Epiſcoporum, & Ritus Latini Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinop. ſubjectarum, quas refert idem Lequienius *T. III. col.* 837., *& ſrq.*, Catalogus ſuppleri poterit.

(7) Joan. *dr Gigiis* O. P. in Epiſcopum Eccleſ. Tauriſienſis, quæ eſt in Perſide, electus fuit anno 1329. Adeundi Lequien. *T. III. op. cit. col.* 1379. & Raynaldus *T. V. ad an.* 1330. *n.* 56. *pag.* 496. *rdit. Lucenſ.*

(8) Ex O. noſtro. Cum Eccleſ. Nubienſis ſeu Nebienſis in Corſica *certis ex cauſis tunc expreſsis* vacaret, Joan. XXII. illius regimen Vincentio commiſit, & Guillelmo *de Godin* O. P. Cardinali, ac Epiſcopo Sabinenſi, ut inaugurraretur, mandavit, ſed poſtea cum *dr cauſis, propter quas vacaviſſe præfata Nubirnſis Eccleſia dicebatur, non plenè liqueret, ac ob hoc dubitaretur, quod ipſa Nubienſis Ecclrſia non vacaret tunc temporis*, Pontifex eum *volentem, & conſentientem a vinculo* præfatæ Eccleſiæ abſolvit, *& ſic nullius Eccleſia Epiſcopus* remanſit. Ex Conſtitut. CXXII. Joannis apud Wad. *T. VII. in Regeſto Pontif. pag.* 423. apparet, hæc ante an. 1330. accidiſſe; unde dicendum eſt, in errore verſari Ughellium, qui *T. IV. n.* 7. *col.* 1012. ſcribit, Vincentium Eccleſiam Nebienſem gubernaſſe poſt Raphaelem Spinulam patria Genuenſem, ac Ordi- nis

Digitized by Google

lumbenſis (1), Joannes (2) Caſſanus, Melecius (3) Gallipolitanus, & Bonifacius (4) Sulcitanus, Fr. Sinibaldus (5) Diœceſis Auximanenſis, & Joannes (6) *Urbinenſis* Epiſcopi ſalutem in Domino ſempiternam. Pia Mater Eccleſia animarum ſaluti ſollicita &c. Cupientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Minorum de Recaneto ædificata (7) in honorem S. Franciſci congruis honoribus frequentetur &c., omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad dictam Eccleſiam in omnibus Feſtis infraſcriptis, videlicet Natalis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paraſceves, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Chriſti, omnibus, & ſingulis Feſtis Glorioſæ Virginis Mariæ, ac Sancti Franciſci

Pp præ-

nis noſtri alumnum ultra an. 1346. vita functum. Mortuo Vidone Epiſcopo Maranenſi electus eſt idem Vincentius Calendis Decembris non quidem anno 1331., uti inquit præfatus Ughellius *T. indic. num.* 14. *col.* 1000., ſed an. 1330.; nam ex Conſtitutione paullò ante citata liquet, creatum eſſe Antiſtitem anno XV. Joannis Pontificis, menſe Decembri; at hic annus, & menſis eum anno æræ vulgaris 1330. concurrit. Duodecim annos hac gubernata Diœceſi ad Liparenſem Eccleſiam tranſiit, ſed de certo anno differunt inter ſe Ughell. *loco indic.*, atque Wadingus *T. VII. ad an.* 1342. *num.* 4. *pag.* 253.

(1) His temporibus Columbenſis Eccleſia, quæ eſt in India intra *Gangem*, a Jordano Catalani O. P. regebatur. Confer Lequienium *T. III. Orient. Chriſt. col.* 1371., *& ſeq.*, quare nullus dubito, quin hic ille ſit, qui his litteris ſubſcribit, cujuſque nomen fugientibus caracteribus legi nequit.

(2) Cum eſſet Benevent. Eccleſiæ Canonicus electus eſt Caſſanenſis Epiſc. an. 1329., obiitque poſt inſtrum. Vid. Ughell. *T. IX. num.* 15. *col.* 347.

(3) Ab eodem Ughell. *T. cit. num.* 14. *col.* 102. vocatur *Meliſius*. Monachus S. Baſilii conſecratus eſt Epiſc. hujus Eccleſiæ ab ejus Metropolit. Hydruntino Archiep., ſed orta diſſenſione cum Gaufredo, qui Epiſcop. ſimiliter optabat, non niſi anno 1329. decimo Calendas Novembris a Joanne XXII. legitimè ad hanc Sedem evectus eſt. Verumtamen Gallipolitanus Antiſtes vocabatur etiam anno 1328. nono Calendas Julias. Confer *litteras paullò ante citatas* apud Bollandianos *loco indic.*

(4) De Bonifacio Ordinis noſtri loquuti ſumus *in Ep. Sulcit. num. X.*

(5) Sinibaldus ejuſdem O. ac Bonifacius electus dicitur ab Ughell. *T. I. num.* 24. *col.* 503. an. 1326., qui nihil præterea de illo habet. Epiſcopus vocatur Diœceſis non Urbis Auximanæ, quia Auximum non multò ante Joan. XXII. honore Epiſcopali, ac Civitatis titulo privaverat, quia, inquit idem Pontifex *Conſtitut. LX.* apud Wading. *T. VII. in Reg. Pontif. pag.* 379., Cives Auximates *maligno ſpiritu concitati adverſus nos, et Romanam Eccleſiam furentibus, & obſtinatis animis patenter, & manifeſtè rebellionis calcaneos erexerunt*. Aliam rationem, ob quam Joannes voluit, ut Auximum eo honore careret, indicat Conſtitutio Urbani V. incip. *Sancta Mater* apud Ughell. *col.* 504., & Martorellum *Memorie Hiſtoriche d'Oſimo lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 158. *& ſeq. edit.* 1705.

(6) In exemplari Joannes Epiſcopus dicitur *Urbinenſis*, ſed per hæc tempora Præſul Urbinas erat Alexander *de Comitibus Guidiis* teſte Ughellio *T. II. num.* 21. *col.* 786. Itaque, mea ſententia, Joannes Eccleſiam *Arbenſem*, quæ eſt in Dalmatia ſub Archiepiſcopo Spalatenſi, gubernavit. Ex eo verò errorem ortum eſſe cenſeo, quod hæc Eccleſia *Arbanenſis* etiam dicta ſit; unde Scribæ pronum fuit unum pro altero exarare.

(7) Hæc Eccleſia anno 1245. octavo Calendas Octobris ædificata jam erat, quo tempore etiam Recinetenſis Conventus extabat, uti liquet ex Conſtit. Innocentii IV. *Quoniam ut ait Apoſtolus*, cujus archetypus in Tabulario memorati Conventus, exemplar in hoc totius Ordinis Tabulario apud SS. Apoſtolos ſervatur. Quare emendandi ſunt Rodulphius, qui *Hiſt. Seraph. Relig. lib.* 2. *fol.* 256. conſtructum illum credidit anno 1258., & Wadingus, qui *T. III. ad an.* 1250. *num.* 16. *pag.* 219. hujus Conventus initium in annum 1250. rejicit. Ab eo tempore ad hos uſque dies illam poſſident Minoritæ Sodales mei.

Digitized by Google

prædicti, SS. Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ, Petri, & Pauli, omniumque SS. Apoſtolorum, & Evangeliſtarum, SS. Laurentii, Stephani, Vincentii, Ludovici . . . . ., Nicolai, Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, Antonii, Benedicti, Mariæ Magdalenæ, Claræ, Catharinæ, Margaritæ, undecim millium Virginum, omnium Sanctorum, S. Benvenuti (1) de dicta Terra, & in Octava ejuſdem, & per Octavas prædictarum Feſtivitatum octavas habentium, ſinguli noſtrum quadraginta dies Indulgentiarum de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, dummodò diœceſani voluntas ad id acceſſerit, & conſenſus. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione muniri.

Datum Avenione tertio decimo die menſis Martii anno Domini MCCCXXX., & Pontificatus Domini Joannis Papæ XXII. anno XV.

IV. *Singuli Epiſcopi his litteris ſubſcripti* Indulgentias *quadraginta dierum variis anni diebus acquirendas elargiuntur noſtræ, aliiſque Eccleſiis, nec non* Hoſpitali *oppidi Hyſpelli* (2).

1334. 10. Martii. UNiverſis Sanctæ Matris Eccleſiæ Filiis, ad quos præſentes litteræ pervenerint, nos miſeratione Divina Guillelmus (3) Antibarenſis Archiepiſcopus, Richardus (4) Cherſonenſis Epiſcopus, Galganus (5) Alerienſis Epiſcopus, Bonifacius (6) Corbarienſis Epiſcopus, Petrus (7) Montis Marani Epiſcopus, Vincentius (8) Maranenſis Epiſcopus, Andreas (9) *Coronenſis* Epiſcopus, Nicolaus

(1) Hic eſt B. Benvenutus Recinetenſis *Laicus Profeſſus* Ordinis noſtri, cujus Corpus in noſtra Eccleſia ſub Altari S. P. noſtro Franciſco dicato quieſcit, & magna veneratione a Populis colitur, præſertim die 5. menſis Februarii, quo ejus feſtum celebratur. Quo anno liquerit vitalia lumina non ſatis conſtat. Iſtius meminere doctiſsimi Bollandiani, Wadingus, Rodulphius, Gonzaga, & alii, quos numerat Arturus *in Martyrol. Franciſcano ad diem 5. menſis citati*; cum primis verò noſter Bartholomæus *de Albizis* Piſanus *lib.* 1. *Conformit. Par.* 2. *fruc.* 8. 11. *fol.* 69. 191. *edit. Mediolan.* 1510., a quo *homo ſanctiſsimus*, & *ſignis glorioſus* nuncupatur.

(2) P. M. Pagnius alias laudatus has litteras mihi communicavit, quarum archetypus in noſtri Conventus Hyſpellenſis Tabulario eſt.

(3) Vide *notam ſecundam ad Monum. III.*

(4) De hujuſmodi Sede, atque Epiſcopo O. P. alumno legendus eſt Raynald. *T. V. ad an.* 1333. *num.* 18. *pag.* 554., & *ſeq. num.* 37. *pag.* 565. *edit. Lucenſ.*

(5) Patria Florentinus, inſtituto Minorita *Bocca di Bue* cognominabatur teſte eruditiſsimo Salvino Salvinio *in not. ad Ughell. T. III. num.* 7. *col.* 503.

(6) De Bonifacio pariter Ordinis noſtri lege *Hiſt. Epiſcop. Sulcit. num. X.*

(7) Electus in Epiſcop. a Joann. XXII. non niſi Benedicti XII. tempore pacificam poſseſsionem inire potuit. V. Ughell. *T. VIII. num.* 6. *col.* 338. Hic anno 1343., tertio Idus Maii una cum pluribus aliis Epiſcop. Avenione exſtantibus *Indulgentias* noſtræ S. Franciſci Eccleſiæ Civit. Interamnenſis contulit, prout mihi conſtat ex eorum litteris, quarum archetypus in hoc totius noſtri Ordinis Tabulario ad SS. Apoſtolos ſervatur.

(8) Confer *not.* 8. *ad Monum. III.*

(9) Duæ ſunt *Coronenſes* Eccleſiæ, quarum unius juxta id, quod in noſtro exemplari habetur, Epiſcopus ſuit Andreas; altera in Peloponneſo ſub Archiepiſcop. Patracenſi; altera in Bæotia ſub Metropolita Athenienſi. V. Lequienium *T. III. op. indic. col.* 1059., *col.* 859., & *ſeq.*

Ego

laus (1) *Olmenſis* Epiſcopus, Gerardus (2) *Cenenſis* Epiſcopus, Thomas (3) Interamnenſis Epiſcopus, Thomas (4) Dulcinenſis Epiſcopus, Alamannus (5) Suanenſis Epiſcopus, Thomas (6) Tininienſis Epiſcopus, Joannes (7) Terralbenſis Epiſcopus, Natimbene (8) Abellinenſis Epiſcopus, Raymundus (9) *Catarvenſis*

Pp 2 Epi-

Ego verò cenſeo, harum nullius Antiſtitem fuiſse Andream, ſed pro *Coronenſis* legi debere *Crajenſis*, ac Thomam noſtrum illum ipſum eſse, qui anno 1320. die 10. Julii una cum pluribus aliis Pontificibus *Indulgentias* Eccleſiæ S. Martini Bononienſi PP. Carmelitarum conceſsit. V. Eliſeum Monſignanum *T. I. Bull. O. Carmelit. pag* 60. *edit. Rom.* 1715, Crojenſis Epiſcopatus eſt in Albania ſub Metropol. Dyrrachino, deque eo tractat Lequienius *T. III. op. cit. col.* 954., *&* *ſeq.*, ſed inter ejus Præſules Thomam non recenſet.

(1) Nullam Epiſcopalem Sedem *Olmenſem* vocatam deprehendere licuit, cujus, quemadmodum legitur in noſtro apographo, Antiſtes fuerit Nicolaus. Forſan hic Pontifex fuit Eccleſiæ Olenſis in Achaja, quæ nunc *Caminitza* dicitur, diverſaque ab eo non eſt, qui judice Lequienio *op.*, *&* *T. indic. col.* 1043., anno 1334. die 17. Junii ad Sedem Abellinenſem ſub Archiepiſcop. Benevent. tranſiit.

(2) Gerardus Epiſcopus *Cenenſis* appellatur. Hujus nominis Eccleſia erat in Africa, vel in Provincia Byzacena, uti cenſent Harduin. *Indic. Geograph. Epiſcop. T. XI. Concil. col.* 689., atque Fabricius *Ind. Geograph. Epiſcop. Orbis Chriſt. pag.* 47., vel in Provincia incerta, prout opinatur Dupinus *in not. ad geſta Collat. Carthag. I. inter op. S. Optati Milevit. pag.* 267. *edit. Antuerp.* 1702., ejuſque Epiſcopus Bonifacius anno 411. præfatæ collat. interfuit apud eumdem Dupin. *ibidem cap.* 129. Vix autem, ac ne vix quidem teneo, Gerardum hanc rexiſse Eccleſiam; in ea potius verſor ſententia, ut exiſtimem, gubernaſse Ceraunenſem, ſeu Cerinenſem, quæ eſt in Inſula Cypro ſub Archiepiſcop. Nicoſienſi. Si reipſa exemplar depravatum eſt, inque eo reſtituendo rem acu tetigi, ſuppleri poterit Lequienius, qui *T. III. op. cit. col.* 1230., *&* *ſeq.* Cerinenſes Epiſcopos refert, ſed Gerardum omittit.

(3) Ughellius *T. I. num.* 33. *col.* 760. de Thoma illud unum habet, electum nempe fuiſse anno 1323., ſed ex his litteris conſtat, anno quoque 1334. ſexto Idus Maii in vivis extitaſse.

(4) Dulcinienſis, ſeu Olcinienſis Epiſcopatus eſt in Albania. Uſque ad an. circiter 1030. Eccleſiæ Salonitanæ, ſeu Spalatenſi paruit, nunc Antibarenſi obtemperat. Confer doctiſsimum Aſsemanum *T. I. Kalend. Eccleſ. Univerſ. Par.* 2. *Orig. Eccleſ. Slavorum cap.* 3. *n.* 18. *pag.* 344. *&* *ſeq.* Celeberrimus Ughellius *T. VII. num.* 6. *col.* 698. *in Ep. Cathar.* ſcribit, Thomam Olcinienſem Eccleſiam cum Catharenſi commutaſse anno 1333. decimo quinto Calend. Septembris; ſed quod ad tempus attinet hallucinatum eſse ex his litteris planè liquet.

(5) Ordinis noſtri alumnus, patria Florentinus, familia *de Donatis*. Ab Ughellio *T. III. num.* 26. *col.* 747. *T. II. num.* 48. *col.* 130. vocatur *nobiliſsimus, ac doctiſsimus Homo*, nec non *inſignis Theologus*. Anno 1342. menſe Julio tranſlatus ad Sedem Mutinenſem eſt; anno autem ſequenti 3. Idus Maii Avenione exiſtens Indulgentias noſtræ Interamnenſi Eccleſiæ contulit, uti ex litteris in noſtro totius Ord. Tabulario ad SS. Apoſtolos aſservatis, explorata res eſt.

(6) Tininienſis Epiſcopatus, quem geſsit Thomas eſt in Croatia ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. Adeundi Thomas Archid. *Hiſt. Salonitana cap.* 15. *pag.* 322., ac Lucius *de Reg. Dalmat.*, *&* *Croat. lib.* 2. *cap.* 14. *pag.* 94. *&* *ſeq. lib.* 3. *cap.* 11. *pag.* 148. *&* *ſeq.*

(7) De Joanne diſserui *in Epiſc. Terralbenſ. num. VIII.*

(8) Ex Ordine Eremit. S. Auguſtini. De hoc agunt Ughell. *T. VIII. in Epiſc. Abell. num.* 20. *col.* 195.; atque Torellus *T. V. ſæc. Auguſt. ad an.* 1326. *num.* 8. *pag.* 414. *ad an.* 1334. *num.* 18. *pag.* 498., ſed ambo paucis verbis.

(9) Dubio procul error eſt in exemplari, quod ad hujus Epiſcopatus nomen attinet; nam *Catarvenſis* Eccleſia a nemine, quod ſciam, memoratur. Itaque ſic ego ſtatuo: Raymundum fuiſse Epiſcopum Catharenſem in Dalmatia, ac Sedem tenuiſse poſt Sergium, cujus *not.* 6. *ad III. Monumentum* meminimus; eo temporis ſpatio, quod intercedit inter diem decimam menſis Maii, qua datæ ſunt noſtræ litteræ, & diem decimam octavam Auguſti anni 1334.

qus

Epiſcopus, Nicolaus (1) Scarpatenſis Epiſcopus, & Joannes (2) Clonenſis Epiſcopus ſalutem in Domino ſempiternam. Sanctorum meritis inclyta gaudia &c.

Datum Avenione anno Domini MCCCXXXIV. & Pontif. Joann. Pontif. XXII. anno XVIII. ſexto Idus Maii.

qua ad hujuſmodi Cathedram evectus eſt Thomas; Raymundum laudatum aut e vita migraſſe, aut ad alium Epiſcopatum tranſiiſſe. Ughellius tamen, ubi de Pontificibus Catharenſibus agit, Raymundi non meminit.

(1) Inſula *Scarpanto* olim *Carpathus* appellata eſt in Aſia minori ad Occidentem Rhodum verſus. Oppidum habet *Poſidium*, nunc etiam *Scarpanto* dictum. Confer Cellarium *T. II. Geograph. Antiq. lib.* 3. *cap.* 2. *pag.* 23., & Baudrandium *Lex. Geograph.* ad verb. *Carpathus*. In eo morabatur Epiſcopus. Circiter hæc tempora duo fuerunt hujus Eccleſiæ ejuſdem nominis Præſules; alter eſt Nicolaus *de Machilona* Ordinis noſtri, qui ut ex Wadingo ſcribit Lequienius *T. III. Orient. Chriſt. col.* 1057. electus eſt anno 1326., ſed quo anno obierit, ignoratur; alter eſt Nicolaus Sorbolus Venetus Carmelita, qui anno 1368., die 25. Septembris deceſſit, prout conſtat ex ejus emortuali Epigraphe apud cl. Flaminium Cornelium *T. VI. Eccleſ. Venet. antiquis monumentis illuſtrat. dec.* 9., *et* 10. *pag.* 265., annus tamen electionis neſcitur. Utrum Nicolaus, qui his ſubſcribit litteris, fuerit primus, vel ſecundus, mihi non liquet. Verum, quantum conjectura aſſequor, fuit Nicolaus *de Machilona*.

(2) Vide *not.* 3. *ad Monumentum* I. *pag.* 290.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X
JUDICUM, SEU REGUM
Quatuor Sardiniæ Provinciarum, nempe Calaritanæ, Arborenſis, Turritanæ, & Gallurienſis.

A

ADelaſia	Jud. Turr. num. 11.
	Jud. Gall. num. 7.
Ambroſius	Vide Azzo.
Arzo	Jud. Cal. num. 5.
Azzo	Jud. Gall. num. 13.

B

BAriſon	Jud. Arb. num. 9.
	Jud. Turr. num. 2. 7.
	Jud. Gall. num. 4.
Benedicta	Jud. Cal. num. 12.

C

CHianna Comita	Jud. Cal. num. 13.
	Jud. Arb. num. 5. 8. 14.
	Jud. Turr. num. 9.
	Jud. Gall. num. 5.
Conſtantinus	Jud. Cal. num. 4. 9.
	Jud. Arb. num. 7.
	Jud. Turr. num. 5. 8.
	Jud. Gall. num. 1. 3.

E

ENtius	Jud. Turr. num. 12.
	Jud. Gall. num. 8.

G

GOnnarius	Jud. Turr. num. 6.
Gulielmus	Jud. Cal. num. 1. 11. 14.
	Jud. Arb. num. 15.

H

HUgo	Jud. Cal. num. 2.
	Jud. Arb. num. 12. 13. 19.

I

JAnuarius	Jud. Arb. num. 6.
Joanna	Jud. Gall. num. 12.
Joannes	Jud. Arb. num. 17.
	Jud. Gall. num. 10. 12.

M

MArianus	Jud. Cal. num. 8.
	Jud. Arb. num. 1. 16.
	Jud. Turr. num. 1. 3. 10.
	Jud. Gall. num. 6.
Michael	Jud. Turr. num. 13.
	Jud. Gall. num. 9.

N

NInus	Vide Ugolinus.

O

ORzocor	Jud. Cal. num. 4.
	Jud. Arb. num. 2. 4.

P

PEtrus	Jud. Cal. num. 10.
	Jud. Arb. num. 10. 11.

T

TOrquitor	Jud. Cal. num. 3.
	Jud. Gall. num. 2.
Toforatius	Jud. Arb. num. 18.
Turbinus	Jud. Cal. num. 7.

V

UBaldus	Jud. Turr. num. 11.
	Jud. Gall. num. 7.
Ugolinus	Jud. Gall. num. 11.

INDEX
ARCHIEPISCOPORUM, ET EPISCOPORUM
SARDINIÆ.

A

AGatho Epiſcop. Boſan. num. 1.
Alamannus Ord. Min. Archiep. Arbor. num. 11.
Albertus Ord. S. Bened. Archiep. Turr. num. 13.
Albertus Ord. S. Bened. Epiſc. Sedis incertæ n. 3.
Epiſcop. Sorr. num. 1.
Aloyſius Emmanuel de Carreto Arch. Arb. n. 58.
Alphonſus de Lorca Archiep. Turr. num. 50.
de Sotomajor Ord. Mercen. Arch. Arb. n. 50.
Ambroſius Machinus Ord. Merc. Arch. Cal. n. 54.
Idem Epiſcop. Alg. num. 15.
Ambroſius Ord. Min. Epiſc. Sedis incertæ n. 5.
Angelus Ord. Auguſt. Archiep. Cal. num. 48.
Galcerinus Ord. Min. Epiſc. Amp. num. 45.
Leonius Archiep. Turr. num. 42.
Portaſole Ord. Præd. Epiſc. Sulc. num. 10.
Andreas Epiſc. Civit. num. 9.
Aznar Ord. Aug. Epiſc. Alg. num. 24.
Baccalar Archiep. Turr. num. 51.
Idem Epiſcop. Alg. n. 11.
Manca Archiep. Turr. num. 55.
Idem Epiſcop. Amp. num. 34.
Sanna Archiep. Ampur. num. 41.
Antiochus Nin Epiſcop. Alg. num. 10.
Antonius Archiep. Cal. num. 34.
Epiſcop. Boſan. num. 18.
Epiſcop. Amp. num. 18.
Epiſcop. Caſt. num. 8.
Ord. Min. Epiſcop. Oth. num. 12.
Epiſcop. Sanctæ Juſtæ num. 15.
Epiſcop. Galtell. num. 8.
Antonius Amat. Epiſcop. Boſan. num. 66.
Atzori Epiſcop. Boſ. num. 46.
Barragnes Ord. Præd. Arch. Cal. num. 40.
Cano Archiep. Turr. num. 38.
Idem Epiſcop. Giracl. num. 11.
Canopolus Archiep. Turr. num. 53.
Cipollonius Ord. Præd. Arch. Turr. n. 33.
Fontanes Ord. Min. Epiſc. Civit. num. 12.
Gerundenſis O. Carmelit. Epiſc. Galtell. n. 4.
de Ligrns Epiſcop. Boſan. num. 20.
Manunta Epiſcop. Uſell. num. 36.
Nin Archiepiſc. Arb. num. 55.
Noſens Epiſcop. Alg. num. 19.
Parrages Archiepiſc. Cal. num. 40.
Pinna Epiſcop. Giracl. num. 18.
Pintor Epiſcop. Boſan. num. 39.
Præſto Ord. Præd. Epiſc. Sulc. num. 20.
Sangualus Epiſc. Boſan. num. 22.
Stammingus O. Min. Epiſc. Boſan. num. 23.
Surredo Epiſc. Boſan. num. 29.
de Tauro Ord. Min. Epiſc. Caſt. num. 20.
de Vergara Ord. Præd. Arch. Cal. num. 58.
Idem Archiep. Turr. num. 60.
Antonius Joſephus Carcaſſona Epiſ. Uſell. n. 44.
Arnaldus Epiſcop. Sulc. num. 5.
Arnoldus Ord. Præd. Epiſc. Sor. num. 10.
de Biſſalis Ord. Carmel. Epiſ. Galtell. n. 7.
Atho Ord. Camald. Epiſcop. Caſt. num. 2.
Auguſtinus Grimaldi Archiep. Arb. num. 39.
Epiſcop. Sanctæ Juſtæ num. 1.
Epiſcop. Civit. num. 11.
Aymericus Epiſc. Boſan. num. 14. 16.
Aymo Epiſcop. Sulcit. num. 6.
Azso, ſeu Atho Archiep. Turr. num. 9. 12.

B

BAlthaſſar de Eredia O. P. Arch. Cal. n. 46.
Idem Epiſcop. Boſan. num. 37.
Bandinus Epiſcop Sulcit. num. 7.
Bartholomæus Chini Archiep. Arb. num. 26.
Malacria Ord. Min. Epiſc. Amp. num. 6.
Bartholomæus Ord. Carmel. Epiſc. Sulc. num. 11.
Bartholomæus Archiep. Turr. num. 25.
Baſilius Gambone Epiſc. Plovac. num. 14.
Benedictus Ord. S. Bened. Epiſ. Dol. num. 2.
Benedictus Ord. Auguſt. Epiſc. Suel. num. 8.
Benedictus Ord. S. Bened. Ep. Sedis incertæ n. 1.
Benedictus Epiſcop. Civit. num. 8.
Berengarius de Sos Archiep. Turr. num. 40.
Bernardinus de la Capra Arch. Cal. num. 55.
Bernardinus Ignatius Rotarius Capuccin. Archiep. Turrit. num. 66.
Bernardus Archiep. Cal. num. 32.
Archiep. Arb. num. 5.
Epiſcop. Boſan. num. 30.
Erchiep. Turr. num. 27.
Epiſcop. Giracl. num. 6.
Epiſcop. Sanctæ Juſtæ num. 10.
Epiſcop. Civit. num. 1.
Epiſcop. Galtell. num. 1.
Bernardus de Carinena O. Merc. Arch. Cal. n. 61.
Cotoner Archiep. Arb. num. 51.
Gentilis Ord. Præd. Epiſc. Boſan. num. 35.
Joverius Epiſc. Caſt. num. 16.
Maja Ord. Præd. Epiſc. Dol. num. 15.
Michaelis Ord. Præd. Epiſc. Uſel. num. 16.
Rubei Ord. Min. Epiſc. Civit. num. 4.
Rubei Ord. Min. Epiſc. Uſel. num. 11.
Bertrandus Archiep. Arb. num. 28.
Epiſcop. Amp. num. 10.
Blaſius Archiep. Turr. num. 15.
Epiſcop. Othan. num. 9.
Epiſcop. Sulcit. num. 16.
Bonifacius Ord. Auguſt. Epiſc. Boſan. num. 11.
de Sanctoauguſtino Ord. Servor. Epiſcop. Boſan. num. 12.
Bonitus Archiepiſc. Cal. num. 18.

Caro-

C

CArolus de Alagon Archiep. Arb. num. 38.
Carolus Franciſcus Caſanova Epiſc. Alg. n. 35.
Idem Archiepiſc. Turr. num. 66.
Chriſtophorus Archiep. Turr. num. 7.
Manua Epiſcop. Caſt. num. 11.
Citonatus Archiepiſc. Cal. num. 9.
Comes Epiſcop. Sulcit. num. 9.
Comita Archiepiſc. Arb. num. 2.
de Martia Epiſcop. Amp. num. 2.
Comitatus Pais Epiſcop. Uſel. num. 3.
Conradus a Cloaco Archiep. Arb. num. 22.
Idem Epiſcop. Sulc. num. 15.
Cornelius Epiſcop. Caſt. num. 5.
Conſilius Gattus Ord. Præd. Arch. Arb. num. 12.
Conſtantinus Archiep. Cal. num. 17.
Archiep. Turr. num. 6.
Idem Epiſcop. Boſan. num. 2.
Epiſcop. Othan. num. 6.
Conſtantinus de Lella Epiſcop. Plov. num. 5.
de Vico Epiſcop. Plov. num. 3.
de Secone Epiſcop. Terral. num. 4.
a S. Ludovico Ord. Carmel. Excal. Archiep. Turr. num. 65.
Cyprianus Aacon Epiſcop. Alg. num. 18.

D

DEusdedit Archiep. Cal. num. 7.
Didacus Archiep. Cal. num. 33.
Borgia Ord. Min. Obſerv. Ep. Uſel. n. 31.
Cugia Epiſcop. Uſel. num. 39.
Fernandez Ord. Min. Obſer. Arch. Cal. n. 57.
de Maria Ord. Auguſt. Epiſc. Amp. num. 21.
Navaſques Ord. Carmel. Arch. Tur. n. 24.
Paſſamar Archiep. Turr. num. 54.
Idem Epiſcop. Amp. num. 32.
Pozuli Ord. Præd. Epiſcop. Amp. num. 44.
Dionyſius Cartaſenes Ord. Min. Obſerv. Epiſcop. Alg. num. 22.
Joachim Ganieres O. Serv. Epiſ. Alg. n. 33.
Dominicus Ord. Præd. Archiep. Cal. num. 22.
Epiſcop. Sanctæ Juſtæ num. 13.
Dominicus Joannis Ord. Præd. Epiſc. Terr. n. 15.
Milia Epiſcop. Othan. num. 15.
Paſtorellus Ord. Min. Archiep. Cal. n. 45.
Idem Epiſc. Alg. num. 5.
Dorgodorius de Muru Archiep. Arb. num. 7.
Durantes Duranti Epiſc. Alg. num. 7.
D. Epiſcop. Boſan. num. 7.

E

ELias Ordinis Minorum Archiepiſcop. Arbor. num. 29.
Elias Ord. Min. Epiſcop. Suel. num. 9.
Euthalius Epiſcop. Sulc. num. 2.

F

FElix Epiſcop. Turr. num. 1.
Ferdinandus Archiepiſc. Arb. num. 34.
del Campo O. M. Obſerv. Epiſ. Uſel. n. 33.
Fridericus Ord. Præd. Epiſc. S. Juſtæ num. 7.
Franciſcus Archiepiſ. Cal. num. 38.
Epiſcop. Sulc. num. 13.
Epiſcop. Caſt. num. 12.
Epiſcop. Sorr. num. 11.
Epiſcop. Terral. num. 12.
Ord. Min. Epiſc. Terral. num. 13.
Ord. Min. Epiſc. Girael. num. 8.
Franciſcus Arneſti Archiep. Arb. num. 32.
de Auria Ord. Min. Ep. Uſel. num. 9.
de Barchonovo O. M. Epiſc. Alg. num. 3.
de Buil Ord. Merc. Epiſc. Alg. n. 21.
Camps Epiſc. Boſan. n. 56.
Eſquival. Archiep. Cal. num. 53.
Fernandez Ord. Merc. Epiſc. Alg. num. 30.
Figo Archiep. Arb. num. 45.
Goſaldus Ord. Min. Epiſc. Galt. num. 6.
Lopez de Urraea O. S. B. Ep. Alg. n. 26.
Idem Epiſc. Boſan. num. 59.
Manno Epiſc. Amp. num. 22.
Maſones y Nin Archiep. Arb. num. 54.
Idem Epiſc. Uſel. num. 40.
de Mellis Ord. Min. Epiſc. Boſ. num. 40.
Meloni Epiſc. Boſan. num. 29.
Minerbetti Archiep. Turr. num. 43.
Pellicer Archiep. Turr. num. 41.
Perez Archiep. Cal. num. 49.
Sampero Epiſc. Amp. num. 42.
de Sobrecaſas O. P. Archiep. Cal. n. 51.
de Valle Archiep. Cal. num. 51.
Franciſcus Bernardus de Ceſpedes Ep. Boſ. n. 65.
Franciſcus Thomas Epiſc. Amp. num. 26.

G

GAbriel Archiep. Cal. num. 41.
Galceranus Alba Epiſc. Boſan. num. 32.
Gallus Archiep. Cal. num. 25.
Garſias Ord. Min. Epiſc. Sulc. num. 21.
Quixada Ord. Min. Epiſc. Girael. num. 17.
Gaſpar Fuller Archiep. Turr. num. 64.
Litago Archiep. Turr. num. 56.
Idem Epiſc. Boſan. num. 55.
Idem Epiſc. Amp. num. 36.
de Prieto Ord. Merc. Epiſc. Alg. num. 16.
Gaſpar Epiſc. S. Juſtæ num. 17.
Gaſpar Vincentius Novella Archiep. Cal. n. 50.
Idem Epiſc. Amp. num. 28.
Ganfredus Sigarla Ord. Min. Epiſc. Dol. n. 14.
Epiſcop. Plov. num. 4.
Gavinus de Aquena Epiſc. Boſan. num. 62.
Cattayna Ord. Carm. Archiep. Turr. n. 59.
Idem Epiſc. Boſan. num. 58.
Mallani Archiep. Arb. num. 48.
Manca Archiep. Turr. num. 52.
Idem Epiſc. Boſan. num. 47.
Idem Epiſc. Alg. num. 13.
Manconi Epiſc. Uſell. num. 32.
Gavinus Epiſc. Amp. num. 14.
Gelaſius Epiſc. Amp. num. 17.
Geminianus Epiſc. S. Juſtæ num. 14.
S. Georgius Epiſc. Suel. num. 2.
Sogia Ord. Serv. Archiep. Turr. num. 62.
Idem Epiſc. Boſan. num. 61.
Gerardus Ord. Min. Epiſc. Civit. num. 7.

Gode-

Digitized by Google

Godefridus Epiſc. Boſan. num. 6.
Gonnarius Archiep. Arb. num. 19. 20.
Gregorius Artea Epiſc. Amp. num. 24.
Gregorius Attaccus Archiep. Arb. num. 30.
Gregorius Ord. Præd. Epiſc. Sor. num. 8.
Epiſc. Oth. num. 5.
Gualfredus Archiep. Cal. num. 14.
Guantinus Pitiolo Epiſc. Dol. num. 4.
Guantinus, ſeu Gontinus Epiſc. Terr. Vide Conſtantinus de Secone.
Guido Ord. Præd. Archiep. Arb. num. 14.
Catanus Ord. Min. Archiep. Arb. num. 17.
Guillelmus Belvayalus O. Min. Arch. Turr. n. 28.
Caſſadoni Epiſc. Alg. num. 4.
Jornetti Ord. Min. Epiſc. Sulc. num. 12.
a Maurana Ord. Min. Epiſc. Galtell. n. 11.
Guillelmus Archiep. Cal. num. 15.
Guillelmus Ord. Præd. Epiſc. Terr. num. 10.
Gundiſalvus Archiep. Cal. num. 28.
G. Epiſc. Amp. num. 5.
G. Epiſc. Sorr. num. 5.

H

HEctor Ord. Præd. Epiſc. S. Juſtæ n. 14.
Herbertus Ord. Ciſterc. Arch. Turr. num. 14.
Hieronymus Barbarani Archiep. Arb. num. 43.
Secchius Ord. Min. Epiſc. Oth. num. 13.
a Villa-nova Archiep. Cal. num. 44.
Hieronymus Fernandes de Velaſco, & Mendoſa O. S. B. Epiſc. Alg. num. 28.
Homodei O. S. B. Epiſc. Sedis incertæ num. 2.
Homodeus Archiep. Arb. num. 4. 8.
Hugo Archiep. Cal. num. 13. 24.
Epiſc. S. Juſtæ num. 3.
Epiſc. Oth. num. 2. 4.

I

JAcentinus Epiſc. Plov. num. 1.
Jacobus de Abbate Archiep. Cal. num. 27.
Capay Caſtaner Epiſc. Boſan. num. 57.
Cucchius Ord. Præd. Ep. S. Juſtæ num. 8.
Gualterotti Ord. Præd. Arch. Turr. n. 29.
de Maltio Ord. Min. Epiſc. Suel. num. 7.
Petri Ord. Præd. Archiep. Turr. num. 30.
Pogius Epiſc. Sorr. num. 17.
Sancti Angeli Archiep. Arb. num. 31.
Serra Archiep. Arb. num. 35.
Jacobus Ord. Min. Epiſc. Uſel. num. 13.
Archiep. Cal. num. 11.
Epiſc. Dol. num. 11.
Epiſc. Boſan. num. 9.
Epiſc. Amp. num. 8.
Epiſc. Sorr. num. 2.
Epiſc. Uſel. num. 8.
Epiſc. Girael. num. 10.
Epiſc. Sorr. num. 13.
Januarius Archiep. Cal. num. 6.
Archiep. Turr. num. 16.
Epiſc. Sorr. num. 12.
Ignatius Royo Archiep. Turr. num. 58.
Ildephonſus Laſſus Sedenus Arch. Cal. num. 58.
Ildibrandinus Epiſc. Terr. num. 2.
Innocentius, vel Libertinus Epiſc. Foro-Tra. n. 2.
Joannes Annadea Ord. Min. Epiſc. Dol. n. 17.
Aragonius Ord. Min. Archiep. Cal. num. 31.
Athenas Archiep. Turr. num. 35.
Atzori Epiſc. Boſan. num. 50.
de Bardaxino Ord. Min. Epiſc. Dol. num. 9.
Briſeloth O. Carm. Arch. Arb. num. 37.
de la Bronda Epiſc. Amp. num. 33.
de Campo-Longo O. Carm. Ep. Uſel. n. 12.
Cannabera Ord. Min. Epiſc. Uſel. num. 26.
Caſa-nova Ord. Præd. Epiſc. Boſ. num. 25.
Caſſanus Ord. Aug. Ep. Sulc. num. 18.
de Claray Archiep. Arb. num. 38.
de Claravo O. Carm. Epiſc. Boſ. num. 15.
Criſpi Ord. Aug. Epiſc. Caſt. num. 17.
Idem Epiſc. Uſel. num. 18.
Fabri Ord. Carm. Archiep. Cal. num. 36.
Ferrarius Ord. Min. Epiſc. Galt. num. 10.
Garſias Ord. Præd. Epiſc. Uſel. num. 14.
de Loyſa Epiſc. Alg. num. 2.
Manca Epiſc. Uſel. num. 27.
de Martis Epiſc. Sorr. num. 14.
Morillo Velarde Archiep. Turr. num. 61.
Perez Epiſc. Oth. num. 16.
Pilares Archiep. Cal. num. 43.
Renna Epiſc. Alg. num. 6.
Rubei Ord. Carm. Epiſc. Terr. num. 8.
de Salmis Aureia Ord. Min. Ep. Oth. n. 11.
Idem Epiſc. Boſan. num. 31.
Sancius Ord. Præd. Epiſc. Sorr. num. 16.
Sanna Archiep. Turr. num. 44.
Idem Epiſc. Uſel. num. 19.
Sanna Epiſc. Amp. num. 30.
Sarga Epiſc. Sorr. num. 4.
Segria Archiep. Turr. num. 47.
de Seir Epiſc. Boſan. num. 34.
Serra Ord. Aug. Epiſc. Boſan. n. 41.
Thella Epiſc. Girael. num. 3.
Joannes Ord. Min. Archiep. Turr. num. 22. 31.
Arch. Cal. num. 30.
Epiſc. Dol. num. 13.
Epiſc. Suel. num. 2.
Epiſc. Boſan. num. 5.
Ord. Carm. Epiſc. Boſan. num. 28.
Epiſc. Amp. num. 7.
Archiep. Arb. num. 33.
Ord. S. B. Epiſc. Caſt. num. 19.
Ord. Min. Epiſc. Girael. num. 7.
Epiſc. Oth. num. 1.
Ord. S. Hieronymi Epiſc. Plov. n. 15.
Epiſc. Sorr. num. 3.
Epiſc. S. Juſtæ num. 6.
Epiſc. Terr. num. 11. 17.
Epiſc. Uſell. num. 5.
Epiſc. Galtel. num. 2.
Ord. Min. Epiſc. Terr. num. 18.
Joannes Baptiſta de Aquena Epiſc. Boſ. num 48.
Brunenghi Epiſc. Uſel. num. 37.
Lomellini Ord. Præd. Epiſc. Alg. num. 32.
Machin, & Spiga Ep. Boſ. num. 67.
Sanna Epiſc. Uſel. num. 43.
Sorribas Ord. Carm. Epiſc. Amp. num. 40.
Joannes Franciſcus Fara Epiſc. Boſ. num. 45.
Joannes Gaſto Leuaol Ord. Min. Ep. Caſt. n. 13.
Joannes Joſephus Paulus Conſtantinus Falletti Archiepiſc. Cal. num. 62.

Joan-

Joannes Leonardus Sanna Epiſc. Boſan. num. 64.
Idem Epiſc. Amp. num. 46.
Joannes Maria Olmo Epiſc. Boſan. num. 53.
Joannes Matthæus Jofridus Arch. Cal. num. 37.
Joannes Accorra, & Figo Arch. Arb. num. 53.
Idem Epiſc. Amp. num. 41.
Sanchis Ord. Merc. Epiſc. Boſan. num. 39.
de Sichardo Ord. Auguſt. Arch. Torr. n. 63.
Joſephus Angles Ord. Min. Obſerv. Epiſc. Boſ. n. 43.
Joſephus Auguſtinus Delbechius Scholar. Piarum Epiſc. Alg. num. 36.
Joſephus a Jeſu Maria Ord. Carmelit. Excalceat. Epiſc. Alg. num. 29.
Iſidorus Maſones, & Nin Epiſc. Uſel. num. 41.
Mattovi Ord. Præd. Epiſc. Sulcit. num. 22.
Julianus Epiſc. Boſan. num. 26.
Julius Cæſar Gandolfi Arch. Cal. num. 63.
Juſtinus Archiep. Cal. num. 8.
Juſtus Archiep. Arbor. num. 3.
J. Epiſcop. Plovacen. num. 6.

L

LAmbertus Archiep. Calar. num. 12.
Laurentius de Moncada Ord. Min. Ep. Caſt. n. 15.
Nieto Ord. S. Ben. Arch. Arb. num. 47.
Idem Epiſc. Alg. num. 14.
Idem Epiſc. Uſel. num. 30.
Pugiol Ord. Min. Epiſc. Galtel. num. 13.
Sampero Epiſc. Amp. num. 37.
Laurentius Ord. Præd. Epiſc. Civit. num. 3.
Ord. Min. Obſerv. Epiſc. Uſel. num. 25.
Epiſc. Caſt. num. 10.
Leonardus Ord. Min. Archiep. Arb. num. 13.
Archiep. Calarit. num. 21.
Archiep. Arborenſ. num. 21.
Ord. Min. Epiſc. Caſtren. num. 9.
Ord. Min. Epiſc. Sulc. num. 15.
Epiſc. Caſtrenſ. num. 14.
Libertinus, vel Innocentius Epiſc Sulc. num. 3.
Lucifer Archiep. Calar. num. 2 3.
Ludovicus Camaynas Ord. M. Ep. Othan. n. 14.
de Caſas Epiſc. Amp. num. 25.
a S. Cruce Ord. Min. Epiſc. Girael. n. 15.
Dias Ord. Merc. Archiep. Cal. num. 59.
Idem Epiſc. Algar. num. 27.
Gomes Ord. Præd. Epiſc. Boſ. num. 24.
Gonzales Epiſc. Amp. num. 23.
Joannis Ord. Min. Epiſc. Amp. num. 20.
Reger Epiſc. Alg. num. 25.
Ludovicus Archiep. Cal. num. 39.
L. Archiep. Cal. num. 23.

M

MAnfridus Archiep. Turrit. num. 8.
Marcus Epiſcop. Plovacen. num. 12.
Marianus Epiſcop. Terralbs num. 1.
Marinianus Epiſcop. Turrit. num. 2.
Marinianus, ſeu Marianus Zorachi Epiſc. Terralb. num. 3.
Marinus Fabarius Archiep. Arb. num. 24.
Epiſcop. Boſan. num. 4.
Martinianus Epiſc. Foro-Traja. num. 1.
Martinus Martinez Archiep. Turrit. num. 48.
Epiſcop. Terralb. num. 8.
Epiſcop. Galtellin. num. 5.
Mar.... Epiſcop. S. Juſtæ num. 5.
Matthæus de Bertolinis Archiep. Turrit. num. 67.
Idem Epiſc. Alg. num. 34.
Matthæus Serra Ord. Præd. Epiſc. Terr. num. 14.
Maurus Epiſc. Uſel. num. 4.
Michael Beltram de Caſtellon. Ep Uſel. num. 35.
Ibanes Archiep. Turrit. num. 49.
Lopez de la Sorva O. M. Ep. Girael. n. 16.
Mayquez O. Aug. Arch. Turrit. num. 45.
Idem Epiſc. Uſel. num. 20.
Pirella Epiſc. Boſan. num. 52.
Idem Epiſc. Uſel. num. 34.
Rubio Epiſc. Amp. num. 29.
de Temps Epiſc. Caſt. num. 18.
Villa Epiſc. Amp. num. 43.
Michael O. Aug. Epiſc. Boſan. num. 10.
Ord. Præd. Epiſc. Uſel. n. 15.

N

NIcolaus Baſone Epiſc. Plov. num. 13.
Berutus Ord. Præd. Arch. Arb. num. 27.
de Bonifatio Ord. Præd. Epiſc. Dol. n. 12.
de Campo Epiſc. Amp. num. 19.
Canavera Epiſc. Alg. num. 12.
Canelles Epiſc. Boſan. num. 42.
Caſſi Ord. Præd. Epiſc. Boſan. num. 63.
de Vais Ord. Min. Epiſc. Caſt. num. 6.
Nicolaus Ord. Min. Arch. Turrit. num. 36.
Archiep. Arbor. num. 18.
Epiſcop. Dolienſ. num. 16.
Epiſcop. Boſan. num. 21. 36.
Epiſcop. Ampurien. num. 1.
Epiſcop. Othanenſ. num. 8.
Ord. Præd. Epiſc. Sedis incertæ num. 4.
Nicolaus Mauritius Fontana Arch. Arb. num. 57.
Novellus Epiſcop. Turrit. num. 4.
N. de Aranda Ord. Aug. Epiſc. Terral. n. 16.
N. Archiep. Calar. num. 20.
Archiep. Arb. num. 1.
Epiſc. Dolienſ. num. 5. 6.
Epiſc. Sulcitan. num. 8.
Epiſc. Suellenſ. num. 6.
Epiſc. Boſan. num. 8.
N. Ord. SS. Trinit. Epiſc. Boſan. num. 44.
Epiſc. Amp. num. 4. 5. 9.
Epiſc. Caſtrenſ. num. 1. 4.
Ord. Min. Epiſc. Girael. num. 18.
Epiſc. Othanenſ. num. 7.
Epiſc. Plovac. num. 9.
Epiſc. Terralb. num. 3.
Epiſc. Sorrenſ. num. 7.
Epiſc. Uſell. num. 6.
Epiſc. Civit. num. 2.
Epiſc. Galtellin. num. 3. 14.

O

OBertus Epiſc. Plovac. num. 7.
Oddo Sala Ord. Præd. Arch. Arb. num. 16.
Idem Epiſc. Terral. num. 4.
Oddo Archiep. Arborenſ. num. 15.
Onuphrius Gervida Archiep Turrit. num. 57.
Opizzo Archiep. Turrit. num. 17.
Orlandus Ord. Præd. Epiſc. Dolien. num. 7.

P

PAlaczinus Ord. Min. Epiſc. Sanctæ Juſtæ n. 9.
Pandulphus Arch. Torrit. num. 20.
Pancapeles Epiſc. Sanctæ Juſtæ num. 8.
Paulus Oleni Archiep. Arb. num. 25.
Paullus Ord. Min. Epiſc. Galtell. num. 9.
Pellus Epiſc. Uſell. num. 2.
Petrus de Alagon Archiep. Arb. num. 52.
Idem Epiſc. Amp. num. 38.
Petrus Buerbs Narro Archiep. Arb. num. 44.
Idem Epiſc. Amp. num. 27.
Petrus de Canneto Archiep. Turr. num. 12.
Clemens Ord. Carmel. Epiſ. Uſell. num. 28.
Clerici Epiſc. Uſel. num. 24.
Fragus Epiſc. Alg. num. 9.
Idem Epiſc. Uſel. num. 23.
Garſia Epiſc. Uſel. num. 17.
de Garſiniis Ord. Præd. Epiſc. Sorr. num. 9.
de Martio Epiſc. Sanctæ Juſtæ num. 4.
de Martis Epiſc. Amp. num. 3.
Parens Epiſc. Alg. num. 1.
Pilares Archiep. Cal. num. 42.
Idem Epiſc. Dolienſ. num. 18.
Portillo Ord. Præd. Arch. Turr. num. 24.
Sanna Archiep. Arbor. num. 42.
de Sens Epiſc. Boſan. num. 23.
de Serra de Mognos Archiep. Arb. num. 36.
Spanus Archiep. Turrit. num. 27.
Spinola Ord. S. Ben. Arch. Cal. num. 35.
Idem Epiſc. Uſel. num. 10.
Stornell Ord. Præd. Epiſc. Civit. num. 14.
Vagnier Ep. Alg. num. 8.
de Vellens Ord. Min. Epiſc. S. Juſtæ n. 16.
Vico Archiep. Arbor. num. 49.
Idem Archiep. Cal. num. 56.
Petrus Archiep. Calar. num. 16.
Archiep. Arbor. num. 9.
Epiſcop. Suel. num. 3.
Epiſcop. Boſan. num. 3.
Epiſcop. Ampur. num. 11.
Epiſcop. Giracl. num. 1.
Epiſcop. Plovac. num. 2. 10.
Epiſcop. Sorrenſ. num. 6.
Petrus Antonius Archiep. Turrit. num. 39.
Primaſius Archiep. Calar. num. 4.
Philippus Marimon Epiſc. Amp. num. 31.
Primus Archiep. Torritanus num. 34.
Idem Epiſc. Boſan. num. 19.
Princivallis Malatraverſi Archiep. Cal. num. 26.

Q

QUintaſius Archiep. Calar. num. 1.

R

RAymundus Queſada Epiſc. Boſan. num. 68.
Raymundus Ord. Min. Epiſc. Sulc. num. 19.
Epiſcop. Giracl. num. 9.
Epiſcop. Civit. num. 5.
Epiſcop. Sulcit. num. 4.
Raynerius Ceſco Epiſc. Plovac. num. 8.
Raynerius Epiſc. Boſan. num. 17.
Richus Archiep. Calar. num. 19.

Robertus Dragoni Ord. Præd. Ep. Uſel. num. 7.
Robertus Ord. Min. Epiſc. Terralb. num. 7.
Rodericus de Seſſa Ord. Min. Epiſc. Civit. n. 13.
Rodulphus Epiſc. Dolienſ. num. 3.

S

SAlodinus Epiſc. Dolienſ. num. 8.
Salvator Mallas Epiſc. Alg. num. 23.
Ruyu Epiſc. Uſel. num. 42.
Salvator Alexius Salepoſius Arch. Torr. n. 46.
Salvator Angelus Cadello Epiſc. Amp. num. 48.
Sebaſtianus Abbatis Ord. Præd. Ep. Galtel. n. 18.
Carta Epiſc. Boſan. num. 51.
Sancius Epiſc. Civit. num. 10.
Sanctes Ord. Præd. Epiſc. Plov. num. 11.
Secundus de Moris O. M. Epiſc. Dol. num. 10.
Seraphinus Eſquirro Epiſc. Boſan. num. 60.
Idem Epiſc. Uſell. num. 38.
Seraphinus Tavacius de Trio O.M.Ep.S.Juſtæ n.11.
Sergius Epiſc. Suel. num. 5.
Simon Chriſtophori Ord. Præd. Ep. Giracl. n.11.
Simon Vargius Ord. Min. Epiſc. Sulcit. num.23.
Simon Epiſc. Turritanus num. 5.
Simon Epiſc. Ampur. num. 12.
Idem Epiſc. Caſt. num. 7.
Simon Epiſcop. Othan. num. 10.
S. Simplicius Epiſc. Phauſan. num. 1.
Siſinus Epiſc. Sulcit. num. 19.
Idem Epiſc. Amp. num. 15.
Idem Epiſc. Giracl. num. 14.
Stanangius Ord. Min. Epiſc. Boſan. num. 13.
Stephanus Ord. Præd. Arch. Turr. num. 18.
Stephanus Epiſc. Sorrenſ. num. 15.

T

THeodoricus Archiep. Arbor. num. 6.
Theodorus Archiep. Turrit. num. 23.
Theodoſius Archiep. Turrit. num. 21.
Thomas Scotaius, ſeu Sferatus O.M.Ep.Civit.n.6.
Trogodorius Epiſc. Caſt. num. 3.

V

VAlentinus Epiſcop. Turrit. num. 3.
Valerius Ximenez de Embun O.Carm.Ep.Alg. n.17.
Ubaldinus Cambi Archiep. Turr. num. 38.
Idem Archiep. Arb. num. 23.
Ugo Epiſc. Othan. num. 2. 4.
Victor Epiſcop. Phauſan. num. 2.
Vigilius Epiſc. Dolienſ. num. 1.
Vincentius, ſeu Agatho Epiſc. Uſel. num. 1.
Vincentius Baccalar Epiſc. Boſan. num. 49.
Leo Ord. Carm. Epiſc. Boſan. num. 38.
Vincentius Aug. de Claveria Ep. Boſ. num. 54.
Idem Epiſc. Alg. num. 20.
Vincentius Joannes Vico, & Torrellas Archiep. Arbor. num. 56.
Idem Epiſc. Amp. num. 47.
Vitalis Archiep. Turrit. num. 10.
Epiſcop. Sulcit. num. 1.

Z

ZAcharias Epiſcop. Othan. num. 3.

INDEX

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Abbas de Sacargia adeſt Concilio Bonarcadæ celebrato *Pag.* 156. *Nota* 4.

Abbatiæ Eccleſiæ Turritanæ conjunctæ. 162. Eccleſiæ Ampurienſi. 181.

Acta S. Ephyſii M. poſt ſæculum decimum ſcripta. 233. Plura falſa continent. *ibidem*. Sincera edere promiſerat Papebrochius. 70.

Acta S. Juſtæ, & Sociarum deperdita credidit Ferrarius. 253. Antonius Martis ea edidit. *ibidem*. Dubia ſunt. *ibidem nota* 2.

Adarenenſis, ſeu Aderenſis Eccleſia an in Sardinia. 215.

Adelaſia Uxor Ubaldi Provincias Turrit. & Gallurienſ. Eccleſiæ Romanæ concedit. 17. Fit Vidua. *ibidem*. Eam conſolatur Gregorius IX. *ibidem*. Iterum nubit Entio Friderici Imperat. filio contra Pontificis voluntatem. *ibidem*.

Africa occupatur a Vandalis. 3. Ab eiſdem liberatur. *ibidem*. *pag.* 42. n. 6. In Africa Religio Chriſtiana colitur, & morantur Epiſcopi quo tempore a Saracenis premitur. 49. 53.

Alamannus Balneoregienſis Ord. noſtri Vir celebris Inquiſitor adverſus Hæreſes in Romana Prov. inſtituitur. 242. A Bonifacio VIII. legatur in Siciliam. *ibidem*. Creatur A. Arborenſis, & Urbis Vicarius. *ibidem*. Inauguratur a Matthæo Aquaſpartano ejuſdem Ordin. S. R. E. Card., Pallium verò accipit a ſeptem Cardinalibus. *ibidem*. Paullò poſt Romæ moritur. *ibidem*.

Albertus Cenali an A. Arborenſis. 250.

Albertus an Epiſc. Sulcitanus. 128.

Albertus Epiſc. Sorrenſis adeſt conſecrationi Eccleſiæ de Sacargia. 228.

Albertus Monachus Caſſ. Ar. Turritanus eximit Monaſt. S. Petri de Nurchi a ſolutione cujuſdam cenſus. 152. Domui Hoſpitali *de Stagno* Piſano concedit Eccleſiam S. Georgii de Oleaſtreto. 152.

Aleſia oppidulum ubi poſitum. 164. An idem ac Uſellis. *ibid. in not.* An idem ac Valentia. *ibidem*. Quando Sedes Epiſcopal. Uſelli Aleſiam tranſlata eſt. *ibidem*.

Alphonſus de Lorca Ar. Turrit. intrepidum Eccleſiæ tutorem ſe prodit. 167. Concilium Provinciale celebrat. *ibidem*. Primus eſt ex Ar. Turrit., qui ſe Primatem Sardiniæ appellarit. *ibidem*.

Algarienſis Civitas ubi ſita. 171. A quibus conſtructa. *ibidem*. Quando Epiſcopalem Sedem obtinuit. *ibidem*. Ejus Epiſcopi. 172. *ſeq.*

Ambroſius Machinus Ord. Merc. fit Præſul Algarienſis, tum Calarit. 107. Ejus opera litteraria. 108.

Ampurienſis Civitas ubi poſita. 180. Utrum eadem ac Caſtrum Aragonenſe. *ibidem*. An a Phocenſibus ædificata. *ibidem*. Quo tempore Sedes Epiſcopalis ab eadem amota eſt. 181. Ejus Epiſcopi. 182. *ſeq.*

Angelus Galcerinus Ord. noſtri inſtituitur Regens Calari. 190. Fit Miniſter Provincialis Sardiniæ. *ibidem*. Ejus dotes. *ibidem*. Creatur Epiſcopus Ampurienſis. 191.

Angelus Leoni Ar. Turritanus intereſt Concilio Lateranenſi V. 164. Eccleſiam Turrit. ante mortem dimittit. *ibidem*.

Angelus Portaſole Ord. Præd. fit Epiſc. Sulcitanus. 135. Concedit Indulgentias noſtræ Eccleſiæ Recineti. *ibidem*. Eligitur Epiſc. Groſſetanus. *ibidem*. Poſt mortem ceu Beatus colitur. 136.

Angelus Ord. Auguſt. ob ſuam doctrinam plurea honores conſequitur. 104. Fit Ar. Calaritanus, ſed incertum an Sponſam ſuam ſit amplexatus. *ibidem nota* 6.

Annales Wadingiani ſupplentur, atque emendantur. 101. 113. 124. 134. 137. 138. 158. 162. 184. *ſeq.* 195. 197. 200. 208. 210. *ſeq.* 217. 223. 243. 244. 257. 261. 269. 278. 279. 288.

Anonymus Ravennas quo ſæculo vixit. 115. *in not.* P. Berrettæ de ejus ætate opinio refellitur. *ibid.* & *ſeq.*

S. Antiochus an Epiſc. Sulcitanus. 128.

Antonius Canopolus Ar. Arborenſis Oriſtani Seminarium pro Clericis fundat. 251.

Antonius Cano Ar. Turritanus Concilium Provinciale celebrat. *ibidem*.

Antonius Nin Ar. Arborenſis, ut duo Sacella ex marmoribus in Eccleſia Cathedrali ædificentur curat. 252.

Antonius Parrages Ar. Calaritanus excommunicat Fideles Miſſam audientes dominicis, & majoris feſti diebus extra propriam Paræciam. 103. Ob id a Pontifice Romano reprehenditur. *ibidem*.

Antonius Stamingus Ord. noſtri an Epiſc. Giracenſis. 216.

Appellationum Judex a Pio II. conſtituitur in Sardinia. 163.

Amadeo Sabaudiæ Duci conceditur Sardinia. 13.

Aragoniæ Rex petit a Clemente IV. Sardiniæ Regnum. 19. Pontifex ejus voluntati non obſequitur. *ibidem*. Eidem poſtea traditur a Bonifacio VIII. *ibid. ſeq.* Meditatur Rex armorum vi ex Sardinia Piſanos expellere. 21. Animum variat. *ibid.* Eos expellit. *ibid.* Pactiones a R. P. in concedendo Regno exactas non ſervans in judicium vocatur. 22. Fidem datam præſtat. *ibidem*.

Arboreæ Civitas ubi ſita. 223. An eo in loco, in quo nunc eſt Oriſtanum. 234. Vaſtatur a Piſanis. 9. Quando Sedes Archiep. in ea fixa. *ibidem*, & *ſeq.* Ejus Archiepiſcopi. 238. *ſeq.* Ejus Judices, ſeu Reges. 30. *ſeq.*

Archiepiſcopatus Sardiniæ nunc tres ſunt. 55. Ante ſæculum decimum unicus tantum. 59. ſeq. In quas Eccleſias juriſdictionem excreebat. 61. 63. ſeq.
Archiepiſcopus Piſanus Primas, & Legatus Sardiniæ, & Corſicæ. 85. nota 4.
Archivium totius noſtri Ordinis in Conventu SS. duodecim Apoſtolorum. V. Tabularium.
Arderæ oppidum ubi poſitum. 150. in not. Olim celebre, ac Regum Turrit. Sedes. ibid. Duo in eo celebrata ſunt Concilia. ibidem. Fuit etiam aliquando Sedes Epiſcopi Othanenſis. 219.
Arderenſis Epiſcopatus. 114.
Arso Judex Calaritanus Monaſterium SS. Georgii, & Gineſii fundat. 25.
S. Athanaſius ſcribit ad Luciferum I. Archiep. Calaritanum. 73. Eum impenſe celebrat. ibidem ſeq.
Atho, ſeu Azzo Ar. Turritanus Monachis Camald. Eccleſiam de Sacargia, & alia privilegia concedit. 148. Quædam bona largitur Eccleſiæ S. Mariæ de Bonarcanto. 151. Concilium Provinciale celebrat. ibidem.
Atho Ord. Camald. Epiſc. Caſtrenſis quaſdam Eccleſias ſuis ſodalibus concedit. 210.
S. Avendrax an Epiſc. Calaritanus. 69.
Aymericus Epiſc. Boſanenſis fit Vicerector Provinciæ Romandiolæ. 196.
Aymo an Epiſcop. Sulcitanus. 128.
Aymo Epiſc. Sulcitanus in judicium vocatur ab Archiep. Piſano, quod nonnulla bona Monachorum occuparet. 133.
Asso Archiep. Tyrenſis an Præſul in Sardinia. 236. & ſeq. in not.
Aszoguidius Antonius Maria Ord. noſtri laudatur. 208. n. 4.

B

BAlduinus Cardinalis Ar. Piſanus anno circiter 1146. excommunicat Comitem Judicem Arborenſem. 31. Factum hoc probat S. Bernardus. ibidem.
Balearides Inſulæ occupantur a Vandalis. 3. Earum Epiſcopi ſæculo V. vocantur Carthaginem a Vandalorum Rege. 57. Probabile eſt eo tempore harum Inſul. Epiſcopos Metropolitano Sardiniæ obtemperaſſe. 63. ſeq.
Balthaſſar de Eredia Ord. Præd. Archiepiſcopus Calarit. conſtituit, ut a Capitulo S. Thomæ Aquinatis feſtum celebretur. 102.
Baraceuſis Eccleſia an in Sardinia, vel Africa. 59.
Barbaricini quinam fuerint. 4. nota 6. Quænam eorum Fides. 47. Vexant Sardiniam. 4. Inſulæ pars, quam illi incolebant Barbaria appellata eſt. ibid. & 122.
Barbarienſis Eccleſia eadem eſt ac Suelleuſis. 55. n. 14. & pag. 122.
Bariſon Rex Sardiniæ Monachos Caſſinenſes in Sardiniam vocat. 50. Hæc Hiſtoria adverſus P. Berrettam vindicatur. ibid. in not. Plura donat Monachis præfatis. 33.
Bariſon Judex Arborenſis totius Sardiniæ Rex a Friderico Imperatore Genuenſium ope conſtituitur. 9. ſeq. Ab eis conjicitur in carcerem. 11. Liberatur, & ducitur in Sardiniam. ibidem. Plura Monachis Caſſinenſibus elargitur. 31.
Bariſon Judex Turritanus adverſus Judicem Arborenſem pugnat. 9. 34.
Bariſon Judex Gallurienſis quibuſdam bonis Eccleſiam Piſanam ditat. 37.
Bartholomæus Malacria Piſanus Ord. noſtri pietate, doctrina, & ſanguine clarus fit Epiſcop. Ampurienſis. 184. & in not. Conſecratur a Joanne Ar. Turritano item Ord. noſtri. ibid. Moritur Piſis, ac in noſtra S. Franciſci Eccleſia ſepelitur. 185.
Bartholomæus Mezzavacca Bononienſ. S.R.E. C. quo anno Legati munere ad Genuenſes fungi cœpit. 124. n. 1.
S. Baſilii Epiſc. Cæſarienſis Caput dicitur eſſe in Eccleſia noſtri Conventus Oriſtani. 238.
Beatrix Eſtenſis Ugolini Judicis Gallurienſis Uxor ſepelitur Mediolani in noſtra Eccleſia. 39.
Benedicta Judiciſſa Calaritana juramentum præſtat R. Pontifici. 28. Scribit ad Honorium III. de oppreſſionibus ſibi a Piſanis factis. 13. ſeq.
Benedictus XIV. Epiſtolam ſcribit de Miſſæ celebratione ſedendo. 173.
Benedictus Monachus Caſſinen. Epiſc. Dolienſis concedit Monaſterio S. Victoris Maſſilienſis Eccleſiam S. Mariæ de Areo. 111.
Benedicti Mon. Caſ. in Sardinia miracula. 286. An Archiepiſc. Calaritanus fuerit. 187.
Berardus, ſeu Bernardus ſubſcribit Conſtit. Leonis VIII. 209. An Ep. Caſtrenſis in Sardinia. ibid.
Bernardinus Ignatius Rotarius Aſtenſis nobilitate clariſſimus poſt plures annos operam militiæ datam Ordinem Capuccinorum ingreditur. 170. Fere omnes ſuæ Religionis honores conſequitur. ibidem. Creatur Arch. Turritanus, deinde Epiſc. Novarienſis. ibidem.
Bernardus Ar. Arborenſis de Monachis Camaldulenſ. benè meritus. 239. Plura ei committuntur ab Innocentio, & Honorio III. 240.
Bernardus de Carinena Ord. Mercen. Ar. Calaritanus, ut ſingulis annis B. M. V. de Mercede feſtum in Eccleſia Cathedrali celebretur ſtatuit. 109.
Bernardus Gentilis Ord. Præd. Epiſc. Boſanenſis Capellanus, & Hiſtoricus Caroli V. Imperatoris. 200.
Bernardus Maja Ord. Præd. an Epiſc. Dolenſis in Britannia minori, an Dolienſis in Sardinia. 113. Ab Alphonſo Siciliæ Rege, cujus erat a Confeſſionibus, & Concionibus Sacerdos plures Abbatias obtinet. ibidem.
Bernardus Michaelis Ord. Præd. Epiſc. Uſellenſis an idem atque Michael ejuſdem Eccleſiæ Præſul, ejuſdemque inſtituti alumnus. 270. Fuit Regis Aragoniæ Conſiliarius, & Ducis Calabriæ Confeſſarius. ibidem.
Bibliotheca noſtra Florentina S. Crucis laudatur. 54. n. 5. 276. in not.
Bibliotheca Corſinia laudatur. 277. in not.
Biora oppidum an idem ac Biſarchium. 113.
Biſarchium oppidum. V. Giracia.
Blaſius Ar. Turritanus Romam venit. 153. In Sardiniam remeanti plura ei committit Innocentius III. ibidem. An fuerit Legatus Apoſtolicus. ibidem. Controverſiam habet cum

Mona-

Digitized by Google

Monachis S. Petri de Nurchi. 154. Calarim petens malè a Piſanis habetur. *ibid. in not.*

Bonarcadenſe Concilium Nationale. 156. *ſeq.* n. 4. An confictum. *ibidem*.

Bonifacius, quem Sardi dicunt Chriſti Diſcipulum, an Fidem in Sardinia prædicaverit. 40. *ſeq.* An fuerit Epiſc. Calaritanus. 69.

Bonifacius Ord. Auguſt. Epiſcopus Boſan. primò fit coadjutor Epiſcopi Tridentini, tum Baſileenſis. 195. Plures Indulgentias variis Eccleſiis concedit. *ibidem*.

Bonifacius Piſanus Ord. noſtri ex Comitibus Donoratici a Canonicis eligitur in Epiſc. Sulcitanum. 134. Ejus electionem ratam non habet Pontifex. *ibidem*. Avenionem petit, inque Pontificia Aula moratur. *ibidem*. Eligitur poſtea in Epiſc. Corbarienſem. 135.

Bonitus Ar. Calaritanus Monachis Caſſin. injurius. 88. *ſeq.*

Boſa Urbs ubi ſita. 192. Epiſcopus Boſanen. eſt primus Archiep. Turritani Suffraganeus. *ibidem*. Ejus Epiſcopi. 193. *ſeq.*

Brumatius Ar. Calaritanus. V. Primaſius.

Byrole oppidulum an ibi ſitum ubi olim erat Biſarchium. 213.

C

CAlaria Urbs ubi ſita. 66. A quibus conſtructa. *ibidem*. Etiam ſæculo quarto erat cum civilis, tum Eccleſiaſtica totius Regni Metropolis. 61. Expugnatur ab Alphonſo Aragonenſium Duce. 21.

Calaritani Præſules ante ſæculum decimum in omnes Sardiniæ Epiſcopos ſuam juriſdictionem exercebant. 51. *ſeq.* Ante ſæculum ſextum fortaſſis eam exercebant etiam in Epiſcop. Corſicæ, & Inſularum Balearidum. 63. *ſeq.* Olim Epiſcop. Turritanos ordinabant. 61. 84. 146. S. R. E. Vexillarii titulum obtinent. 22. *in not.* 67. Calarit. Præſulum ſeries. 70. *ſeq.*

Calaritana Provin. prima earum erat, in quas diviſa fuit Sardinia. 8. Calarit. Judex princeps aliorum erat. 14. Calarit. Judicum ſeries. *ibidem ſeq.*

Calaritani Cives ſumma erga Immaculatam B.M.V. Conceptionem religione flagrant, ipſique ſe anno 1632. voto obſtrinxerunt. 66.

Carolus III. Auſtriacus Rex Hiſpaniæ in Sardiniæ poſſeſſionem venit. 23.

Caſſianus an Epiſcopus Uſellenſis in Sardinia, an Uſulenſis in Africa. 266.

Caſtellum Caſtri expugnatur a Piſanis. 18. An idem atque Caſtrum olim Epiſcopalis Sedes. 207. Epiſcopi Caſtrenſes. 209. *ſeq.*

Caſtrum Aragonenſe ubi poſitum. 181. Cur ita dictum. *ibidem*. Quando Epiſcopus ibi reſidere cœpit. *ibidem*.

Chianus Judex Calaritanus a Piſanis gladio occiditur. 18.

Chriſtophorus Arch. Turritanus conſecrat Eccleſiam SS. Trinit. de Sacargia. 147.

Ciſellus, & Camerinus MM. in Sardinia. 44. *nota* 7.

Citonatus Ar. Calaritanus ſuſpenditur ab Epiſcopatu. 83. Cognita ejus innocentia ab Imperatore promulgatur, ac ille in priſtinum reſtituitur. *ibidem*.

Citonatus alter utrum Ar. Calaritanus. 84. *ſeq.*

Civitas ubi ſita. 275. Cuinam ejus Epiſcopi parebant. 176. *nota* 11. Eorumdem Catalogus. 177. *ſeq.*

S. Clemens Romanus an Epiſc. Calaritanus. 69. An Epiſc. Turritanus. 148.

Coletus Nicolaus emendatur. 3. *not.* 3. 277.

Comita de Laccone Ar. Arborenſis adeſt conſecrationi Eccleſiæ S. Mariæ de Bonarcanto. 238.

Comita Judex Turrit. ædificat pro Monachis Ciſtercienſibus Monaſterium Capitis Aquæ. 34. Etiam Provinciam Gallurienſem gubernat. 35.

Comita Judex Arborenſis plura bona concedit Eccleſiæ S. Laurentii Genuenſi. 30. Excommunicatur ab Arch. Piſano. 31.

Concilium Arborenſe. 244. 156. *nota* 4. Ardarenſe. 149. & *ſeq.* n. 4. Bonarcadenſe. 156. n. 4. Calaritanum. 96. Turritana. 36. 147. *ſeq.* 162. 163. 167.

Conſtantinopolitano Patriarchæ an Eccleſiæ Sardiniæ aliquando paruerint. 53. *ſeq.*

Conſtantinus Arch. Calaritanus confirmat Monachis Caſſ. Maſſiliæ Eccleſiam S. Saturnini. 88.

Conſtantinus Ar. Turritanus plura ſignificat Judicibus Sardiniæ nomine Gregorii VII. 146. An fuerit Legatus Apoſtolicus. 147. Non pauca Concilia celebrat. *ibidem*. An antea fuerit Ep. Boſæ. 146. n. 3.

Conſtantinus de Lella ex Archipresbytero Turritano fit Epiſcop. Pluvacenſis. 225.

Conſtantinus de Secone Epiſc. Terralbenſis Gongtinus, & Guantinus vocatur. 261.

Conſtantinus Judex Calar. ſummo amore Monachos Caſſin. proſequitur. 26. Malam ducens vitam ſe in meliorem frugem recipit. *ibidem*.

Conſtantinus Judex Turrit. conſentit, ut Eccleſia S. Nicolai Monachis Camald. concedatur. 33. Bona largitur Monachis Caſſin. 24. Eccleſiam de Sacargia ædificat, 147.

Cordara Julius S. J. laudatur. 251.

Corſica occupatur a Vandalis. 57. Sæculo quarto proprios Epiſc. habebat. *ibidem*. & *in not.* Quot olim Civitates habuerit. 58. n. 2. Ejus Epiſc. uſque ad ſæculum ſextum obtemperarunt Metropolitano Sardiniæ. 63. *ſeq.* Quot Epiſcopatus eo tempore ibi erant. *ibid. in not.*

P. Carolus Marcla Calaritanus *Laicus Profeſſus* Ordinis noſtri magnæ ſanctitatis Vir an. 1708. moritur. 67.

D

DEuſdedit Ar. Calaritanus adeſt Concilio Romano ſub Martino I. 82. Accuſatur apud Rom. Pontificem. *ibidem*. A Patre Vitali Sanctus Deodatus vocatur. *ibid.*

Didacus Fernandez Ar. Calaritanus Ord. Minor. de Obſervantia vices gerit in tota Sardinia Caroli II. Regis. 108.

Didacus Paſſamar Ar. Turritanus Synodum Diœceſanam celebrat. 168.

Dionyſius Joachim Ganieres Ordinem Servorum B. M. V. ingreditur. 178. Plures honores in citato Ordine conſequitur. 179. Fit Theologus,

gus, & Conſiliarius Ducis Sabaudiæ. *ibidem*. Creatur Epiſc. Algarienſis. *ibidem*.
Dolienſe oppidum olim variis nominibus appellabatur. 110. Proprios habebat Epiſcopos. *ibidem*. Eorum catalogus. 111. *ſeq.*
Dominicus Ord. noſtri Epiſc. Sanctæ Juſtæ Dondeus etiam dictus. 258. *in not.*
Dominicus Paſtorellus Ord. noſtri eligitur in Ep. Algarienſem, tum in Arch. Calaritanum. 101. Cujas fuerit. *ibid.* Balneoregii moritur. *ibid.*
Dorgodorius Ar. Arborenſis Eccleſiam Cathedralem ædificat. 140. Conceditur ei fiduciario jure Caſtrum Girapala. 141.
Durantes Duranti ex Epiſc. Algarienſi fit Præſul Caſſanenſis deinde S. R. E. Cardinalis. 173.

E

EAden. Civitas Epiſcopalis an in Sardinia. 254. *in not.*
Eccleſienſis Urbs quo in loco poſita. 126. Quamdiu Sedes Epiſcopalis ibi fuit. *ibidem*.
Elias Ord. noſtri fit Epiſc. Eccleſiæ Cluſinæ, ſed in illius poſſeſſionem non venit. 124. Deinde Epiſc. Suellenſis, Coadjutor Antiſtitis Veronenſis, & SS. Tuſcæ, ac Teuteriæ Rector. *ibid.* Harum SS. translationem facit. *ibid.*
S. Ephyſius M. in Sardinia. 45. *in not.*
Epiſcopatus, qui variis temporibus in Sardinia fuerunt. 51. & *ſeq.* Quot nunc ſunt. 55.
Eugenius Epiſc. Carthaginenſis Fidei Catholicæ profeſſionem ſcribit. 77.
Euſebius Vercellenſis Epiſc. improbat ordinationem Paulini in Epiſc. Antiochenum. 74. An fuerit Ar. Calaritanus. 77.
Euthalius an Epiſc. Sulcienſis in Sardinia. 130. *ſeq.* Varia ſcripſit opera. *ibidem*.
Eutricus M. in Sardinia. 43. *nota* a.

F

FElix Epiſc. Turritanus Carthaginem a Vandalorum Rege vocatur. 144. An fuerit Epiſc. in Sardinia. *ibidem*.
Ferdinandus del Campo Ord Min. de Obſervantia an Epiſc. Uſellenſis in Sardinia. 273.
Fogginius Petrus Franciſcus laudatus. 129. n. 3.
Foro-Trajanenſis Urbs quo in loco poſita. 114. A Juſtiniano Imperatore mœnibus cingitur. *ibidem*. Quando proprium Epiſcopum amiſit, ac deſtructa eſt. *ibidem*.
Franciſcani anno 1237. erant in Sardinia. 209.
Franciſcus Barrai Calaritanus Ord. noſtri ob ſummam pietatem apprimè carus eſt Coſmo III. Magno Etruriæ Duci. 67.
Franciſcus de Caſali Ord. noſtri fit Abbas S. Michaelis *de Salvenero* in Sardinia. 224.
Franciſcus Hortulanus S. J. communi ſanctitatis fama moritur. 67.
Franciſcus Serra Saſſaritanus Ord. noſtri ab Algarienſibus Africæ in ſervitutem redigitur. 141.
Franciſcus Zirانus Saſſaritanus Ord. noſtri in Africam petit. 141. Ibidem anno 1603. martyrio afficitur. 142.
Franciſcus Epiſcop. Terralbenſis an Minorita, an Auguſtinianus. 262.
Franciſcus Eſquival Ar. Calaritanus *Sanctuarium* Calari ædificare facit. 107.
Franciſcus Maſones, y Nin Ar. Arborenſis anno 1708. Synodum Diœceſanam celebrat. 252. Seminarium inſtituit. *ibidem*.
Franciſcus Minerbetti Florentinus fit Ar. Turritanus. 164. Poſtea Epiſc. Aretinus. 165.
Franciſcus Sampſonus noſtri Senenſis Conventus alumnus totius Ord. Minorum Miniſter Generalis permittit Didaco de Narclavis Minoritæ, ut Sardiniam adeat ad gerenda negotia Epiſc. Giracienſis. 218.
Franciſcus de Sobrecaſas Ord. Præd. Caroli II. Hiſpaniarum Regis Sacerdos a Confeſſionibus. 109. Ab Alexandro VIII. creatur Ar. Calaritanus. *ibidem*.
Franciſcus Thomas Epiſc. Ampurienſis Canonicorum diſtributiones auget. 187.
Fridericus I. Imperator Sardiniam concedit Velfoni avunculo ſuo. 27. Bariſonem omnis Sardiniæ Regem creat. 10. Sardiniam Piſanis tradit. *ibidem*.
Fridericus II. Imperator ſuadet Entio Turritanum, & Gallurienſem Principatus ſibi ſubjicere. 17. *ſequ.*

G

GAbriel de Alexandris Ord. Præd. an Epiſc. Alenſis, ſeu Uſellenſis in Sardinia. 272. *in not.*
Gallus fit Antiſtes Calaritanus ope Archiep. Piſani. 96. Eccleſiam in honorem S. Barbaræ V., & M. ædificat. *ibidem*.
Galtellinenſis Urbis Epiſcopalis ſitus. 280. An a Galate Herculis Filio conſtructa. *ibidem*. Quo ſæculo Epiſcopum obtinuit. *ibid.* Cuinam Metropoli ille paruerit. *ibid. ſeq.* Quando Epiſcopum amiſit. 281. Galtellinenſium Epiſc. ſeries. 282. *ſeq.*
Garela, ſeu Garella Civitas in Thracia. 284. *in not.* An ejus Eccleſia Epiſc. ritus Latini unquam habuerit. *ibidem*.
Garſias Quixada Ord. noſtri ex Epiſc. Giracienſi fit Præſul Guadicenſis, deinde Catanenſis. 218.
Gaſpar de Prieto Ord. Mercen. plures honores in ſuo Ordine obtinet. 175. Fit Epiſc. Algarienſis, & totius Sardiniæ ſummus Præſul. *ibid.*
Gaudentius an Antiſtes Turritanus. 143.
S. Gavinus M. in Sardinia an idem ac S. Gabinus. 43. *in not.* An Epiſc. Turritanus. 143. An ejus Eccleſia Turribus ſæculo ſexto conſtructa, & conſecrata. 139. & *ſeq.*
Gavinus Cattayna Ord. Carmelit. fit Epiſc. Boſanenſis. 169. Synodum Diœceſanam celebrat. *ibidem*. Transfertur ad Eccleſiam Turritanam. *ibidem*.
Genuenſes una cum Piſanis Saracenos e Sardinia expellunt. 8. Poſtmodum & ipſi a Piſanis expelluntur. *ibid.* Curant, ut Bariſon Judex Arboreæ in totius Sardiniæ Regem a Friderico Imperatore eligatur. 9. *ſeq.* Ipſum Bariſonem in carcerem conjiciunt. 11. Bellantur cum Piſanis ob Caſtellum Caſtri. 18.
S. Georgius naſcitur. 121. Creatur Epiſc. Suellenſis. *ibid.* An vitam cum morte anno 1117. commutaverit. 122. *nota* 3.

Geor-

Digitized by Google

Georgius Sogia Saſſaritanus Ord. Serv. B. M. V. communi plauſu in ſuæ Societatis Priorem Generalem eligitur. 205. Fit Epiſc. Boſanenſis. *ibidem*. Transfertur deinde ad Sedem Turritanam, ſed moritur antequam in ejus poſſeſſionem veniat. *ibidem*. Ejus opera litteraria. *ibidem*.
Gerardus Ord. noſtri eligitur in Epiſc. Capruleñſem, ſed ejus electio a Romano Pontifice non confirmatur. 276. Fit deinde Epiſc. Civitatenſis. *ibidem*.
Giracla Civitas ubi ſita, 213. Pluribus vocabatur nominibus. 214. Giraclenſis Epiſc. olim Arderæ morabatur. *ibidem*. Giraclenſium Ep. Catalogus. *ibid. ſeq.*
Gonnarius Judex Turritanus Hieroſolymam, & Montem Caſſinum religionis ergo adit. 34. In magna fuit apud S. Bernardum æſtimatione. *ibidem*. Fit Monachus in Cœnobio Claravallenſi. *ibidem*.
S. Gregorius Magnus Epiſcopos Sardos reprehendit utpote negligentes in convertendis Infidelibus. 48. Scribit ad Zabardam Sardiniæ Ducem, ut Infidelium converſioni incumbat. *ibidem*. Concedit Presbyteris Sardis, ut confirmationis Sacramentum, abſentibus Epiſcopis, conferre queant. 81. Utitur familiariſſimè Januario Arch. Calaritano, cui etiam plures dat litteras. *ibid. ſeq.*
S. Gregorius VII. mandat Jacobo Ar. Calaritano, ut barbam ſibi radat. 85. Scribit ad Orzoccum Judicem Calaritanum, ut etiam Clericos Calaritanos ad idem præſtandum compellat. *ibidem*.
Gregorius IX. Ubaldum Piſanum Sardiniæ partem occupantem excommunicat. 16. Arch. Piſano mandat, ut excommunicet Sarzanenſes. *ibid.* Scribit ad Adelaſiam Reginam Turritanam. 17. Fridericum Imperatorem, ejuſque Filium Entium excommunicat. 18.
Gregorius Arch. Calaritanus. 79.
Gregorius Epiſc. Othanenſis teſtis fuit reconciliationi inter Arch. Turritanum, & Monachos Caſſinenſes. 221.
Gregorius Prima Ord. noſtri Calliſti III. Nepos fit Prior S. Petri *de Scano* in Sardinia. 225.
Gualfredus Ar. Calaritanus confirmat diploma Ep. Dolienſis pro Monachis Maſſilienſibus S. Victoria. 87.
Guido Catanus Ord. noſtri Arch. Arborenſis in controverſia de Chriſti, & Apoſtolorum paupertate adhæret Pontifici. 245. Adeſt Coronationi Alphonſi Regis Aragoniæ. *ibidem*.
Guilelmus Arch. Calaritanus S. Saturnini Eccleſiam conſecrat. 87. Eccleſiam unam Canonicis Genuenſibus elargitur. *ibidem*.
Guilelmus Cepolla Judex Calaritanus moritur Genuæ. 19.

H

HErbertus fit Monachus in Cœnobio Claravallenſi. 152. Caræ S. Bernardi committitur. *ibid.* Eligitur in Arch. Turritanum. *ibid.*
Hieronymus Barberani Ar. Arborenſis PP. Dominicanos excommunicat. 252. Ob id reprenditur a S. Pio V. *ibidem*.
Homodeus Ar. Arborenſis Eccleſiam Bonarcàdenſem conſecrat. 241.
Honorius III. Piſanos adducit ad dimittenda, quæ in Sardinia occupaverant. 15. *ſeq.* Scribit ad Ar. Turritanum de jure Ar. Piſani in Sardinia. 155. Excommunicat Ar. Arborenſem. 240.
Hugo Arch. Calaritanus plures Eccleſias concedit Monachis Caſſinenſibus. 86.
Hugo Epiſc. S. Juſtæ ad Imperatorem Fridericum pro Bariſone Judice Arborenſi legatur. 255. Genuæ manens Civibus in ſuſpicionem venit. 256.
Hugo Epiſc. Othanenſis PP. Camaldulenſibus Eccleſiam S. Petri *in Olim* elargitur. 221.
Hugo Dominus Corſicæ, & Judex Calaritanus plura bona concedit Eccleſiæ S. Mariæ de Canovaria. 24.
Hugo Judex Arborenſis in cauſſa eſt cur Piſani Sardiniam amittant. 33.
Hugo de Buſſo, ſeu potius Baſſo Marchionis Maſſæ Filiam in Uxorem ducit contra Innocentii III. præceptum. 91.

I

JAcobus de Abbate Arch. Calaritanus tria SS. VV., & MM. Corpora in Eccleſia S. Saturnini reponit. 96.
Jacobus Cucchius Ord. Præd. Epiſc. S. Juſtæ multa bona dono concedit Conventui Piſano. 257.
Jacobus de Maltio Ord. noſtri fit Epiſc. Eccleſiæ Suellenſis. 123. Fortaſſis numquam ejuſdem poſſeſſionem inuit. *ibidem*. Indulgentias concedit Eccleſiæ S. Catharinæ *de Triaria* Diœceſis Albingaunenſis. *ibid.* An creatus poſtea fit ejuſdem Diœceſis Epiſcopus. 124.
Jacobus Petri Ord. Præd. Ar. Turritanus inſignis Verbi Dei Concionator. 159.
Jacobus Sancti Angeli Arch. Arborenſis Cœnobium S. Mariæ Magdalenæ Oriſtanenſe PP. Minoribus *de Obſervantia* dictis elargitur. 247.
Jacobus Serra fit Ar. Arborenſis. 247. Deinde S. R. E. Cardinalis. *ibidem*. Plures Eccleſias adminiſtrat. *ibidem & ſeq.*
Jacobus medio ſæculo decimo quarto circiter Urbis Vicarius an Arch. Calaritanus. 97.
Jacobus Arch. Calaritanus coactus eſt a Gregorio VII. barbam ſibi radere. 85. Ob negligentiam in Sacris Templis cuſtodiendis adhibitam a Victore Papa reprehenditur. *ibidem*.
Jacobus in Pago Villa nova ortus Ord. noſtri, & Epiſc. Uſellenſis an idem ac Joannes Jacobi ejuſdem inſtituti alumnus, ejuſdemque Eccleſiæ Præſul. 269.
Jacobus Epiſc. Sorrenſis quædam Privilegia PP. Camaldulenſibus confirmat. 229.
Jacobus Epiſcop. Boſanenſis Eccleſiam Bonarcadæ conſecrat. 195.
Januarius Ar. Calaritanus valde amatur a S. Gregorio Magno. 80. Ab eodem poſtea acriter reprehenditur. *ibidem & ſeq.*
Januarius Ar. Turritanus Eccleſiam S. Theodori *de Villa* Coguinæ conſecrat. 155.
Ildephonſo Laſſo Sedeno jubet Clemens VIII. executioni mandare decreta pro reformatione Regularium in Sardinia. 105. *ſeq.*

Inno-

Innocentius III. vix in R. P. electus procul abigere curat S. R. E. Dominium occupantes. 11. Scribit ad Sardiniæ Judices, hanc ad Romanam Eccleſiam ſpectare. *ibid. & ſeq.* Excommunicat Gulielmum Maſſæ Marchionem, & Judicem Calaritanum. 18. Ægro animo permittit Richo Arch. Calaritano, ut Eccleſiam dimittat. 90. *ſeq.* Multa committit Blaſio Ar. Turritano. 153. *ſeq.*

Inquiſitores adverſus Hæreſes primò mittuntur in Sardiniam FF. Minoritæ ex Provincia Tuſciæ. 50.

Joanna ad Gallurienſis Provinciæ regimen aſſumitur. 39. Nubilis decedens hæredem inſtituit Fratrem ſuum Azzonem. *ibidem.*

Joannes Judex Gallucienſis, ac tertiæ partis Regni Calaritani Dominus. 38. Moritur in Caſtro Montis Topori, & in noſtra Eccleſia oppidi S. Miniatis ſepelitur. *ibid.*

Joannes Aragonius Ordin. noſtri de Eccleſia, ac Beatrice Luſitaniæ Reginæ optimè meritus evadit. 98. Mittitur in Boſniam ad convertendos Hæreticos. *ibid.* Creatur Ar. Calaritanus. 97. Ampliat Cœnobium Barcinonenſe FF. Minorum. 98. Ab Arturo inter Beatos recenſetur. *ibidem.*

Joannes Briſelotus Ord. Carmelit. eligitur in Confeſſarium, & Conſiliarium Caroli V. Imperatoris. 148. Fit Abbas S. Petri Altimontenſis, Epiſc. Berytenſis, & ſuffraganeus Cameracenſis. *ibid.* Creatur Arch. Eccleſiæ Arborenſ. *ibid.* Nunquam tamen ad eam acceſſit. 149. Archiepiſcopatui nuncium remittit. *ibidem.* Fuit in magna apud Litteratos æſtimatione. *ibid.* An idem, ac Joannes Bertenſis a nonnullis ex Ord. Præd. aſſertus. *ibid. in not.*

Joannes de Caſa-nova Ord. Præd. eligitur in Confeſſarium Regis Aragoniæ. 198. In Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtrum. *ibidem.* Creatur Epiſc. Boſanenſis, deinde Helenenſis, tum Cardinalis. *ibid.* Quando publicatus. 199. Ubi mortuus. *ibidem.*

Joannes de Claravo Ord. Carmelit. plures honores in ſua Societate obtinet. 196. Renunciatur Epiſc. Boſanenſis. *ibidem.* Doctrina floret. *ibidem.*

Joannes Fabri ejuſdem Ordin. Archiep. Calaritanus annectit propriæ Eccleſiæ Epiſcopatum Suellenſem. 99.

Joanni Loyſæ Epiſc. Algarienſi quædam committit Leo X. 173. Ad Concilium Lateranenſe accedit. *ibidem.* Inter Abbreviatores Apoſtol. omittitur a Ciampinio. *ibidem.*

Joannes Renna ab Eccleſia Algarienſi ad Pampelonenſem tranſit. 173. A podagra vexatus, ut ſedens integram Miſſam celebrare queat a Rom. Pont. obtinet. *ibidem.*

Joannes Rubei Ord. Carmel. Epiſc. Terralbenſis Indulgentias noſtræ, aliiſque Eccleſiis Hyſpelli elargitur. 262.

Joannes de Salmis Aureis Ord. noſtri munere Vicarii Generalis in tota Sardinia fungitur. 222. Inquiſitoris adverſus hæreſes in eadem Inſula. *ibidem.* Creatur Epiſc. Othanenſis. *ibid.* Hæreſis per ſummam injuriam inſimulatur. *ibid.* An poſtea ad Eccleſiam Boſanenſem tranſierit. *ibidem.*

Joannes Sanna Arch. Turritanus munus Inquiſitoris Generalis adverſus Hæreſes in Sardinia gerit. 165. Auctoritate Apoſtolica Regulares in Sardinia reformat. *ibid.*

Joannes Segria a Turritana non a Tudelenſi Eccleſia, ut viſum eſt Roccho Pyrro, ad Panormitanam tranſit. 167.

Joannes, qui in Concilii Lateranenſis III. Actis *Adarenenſis*, ſeu *Adcrenſis* Epiſcopus dicitur, an Præſul Giraclenſis. 215. An idem ac Joannes Thelia. *ibidem.*

Joannes Ord. noſtri ab Eccleſia Nicoſienſi ad Turritanam transfertur. 158. Indulgentias concedit noſtris Eccleſiis Tuſcaniæ, & Aſculi in Piceno. *ibidem.*

Joannes alter Ord. noſtri Arch. Turritanus Petro Aragoniæ Regi morienti extrema pietatis officia perſolvit. 160. Barchinone examinat revelationes, quas habuit Petrus Aragonius Minorita de Urbano VI. *ibidem.*

Joannes, qui duabus Synodis Romanis initio ſæculi ſexti celebratis an Epiſc. Turritanus in Sardinia fuerit. 144.

Joannes Epiſc. S. Juſtæ adeſt Concilio Provinciali Arboreæ celebrato. 256.

Joannes Epiſc. Dolienſis juſſu Pontificis expeditionem in Turcas promovet. 212.

Joannes Epiſc. Sorrenſis quo anno Cœnobium Sancti Nicolai *in Trulla*, & alias Eccleſias PP. Camaldul. donavit. 229. Proſequutus eſt Gonnarium Judicem Turritan. Hieroſolymam, aliaque ſacra loca viſitantem. 230. An idem atque Joannes Sarga ejuſdem Eccleſiæ Præſul. *ibidem.*

Joannes Baptiſta Sorribas Ord. Carmelitarum fit Concionator Regis Catholici. 189. Epiſcopus Ampurienſis. *ibidem.* Totam Diœceſim viſitat. *ibidem.*

Joannes Franciſcus Fara Hiſtoriam Sardiniæ ſcribit. 202. Creatur Epiſc. Boſanenſis. *ibid.*

Joannes Joſepus Paullus Conſtantinus Falletti Ar. Calaritanus facultatem petit, qua Minores Ordines, & Subdiaconatum eadem die, uni, & eidem perſonæ conferre poſſet, ſed non obtinet. 110.

B. Joannes Parenti Florentinus Ord. noſtri Miniſter Generalis quieſcit in noſtro Conventu *Montis Raſi* Provin. Sardiniæ. 208.

Joſephus Anglea Ord. Min. *de Obſervantia* Epiſc. Boſanenſis ſummus Theologus. 202.

Joſephus Auguſtinus Delbecchius inter Clericos Regulares Scholarum Piarum numeratur. 179. Fit Provincialis Siciliæ. *ibid.* Per ſexennium Procuratoris Generalis munus gerit, quo tempore de ſua Societate præclarè meritus evadit. 180. Eligitur in Generalem. *ibid.* In Ep. Algarienſem. *ibidem.*

Joſephus Monſerratus Ord. noſtri magnæ Sanctitatis Vir anno 1716. in Conventu Caſtri Aragonenſis moritur. 182.

Joſephus Sanchiz Ord. Mercen. varias dignitates in ſuo Ordine conſequitur. 189. Creatur Ep. Ampurienſis. *ibidem.*

Jucundianus, ejuſque Socii MM. in Sardinia. 43. n. 1.

Judæi Calari olim Synagogam habebant. 47.

Judices Sardiniæ. Arborenſes. 30. *ſeq.* Calaritani.

ni. 24. *ſeq.* Gallurienſes. 36. *ſeq.* Turritani. 33. *ſeq.*
S. Julia Civitas Epiſcopalis an in Sardinia. 255. *in not.*
Juſta, Juſtina, & Henedina Martyres in Sardinia. 253.
S. Juſta Civitas ubi poſita. 254. Quando ædificata. *ibidem*. Ejus Epiſcopi. 255.
Juſtinianus Imperator mandat, ut Sardinia Africæ Præfecto ſubſit. 3.
Juſtinus Ar. Calaritanus ſubſcribit Concilio Romano ſub Martino I. habito. 83.
Juſtus Arch. Arborenſis apud Romanum Pontificem Innocent. III. accuſatur de variis criminibus. 239. Plura incommoda a ſuis æmulis patitur, ac in carcerem conjicitur. *ibid.*
Juſtus an Epiſcopus Turritanus. 146.
Juvenalis an Præſul Calaritanus fuerit, incertum omnino. 70.

L

LAmbertus Civis Piſanus Sardiniam aggreditur. 16. Excommunicatur ob id ab Honorio III. *ibidem*.
Langobardi in Sardiniam irrumpunt, ſed ibi non morantur diu. 47.
Laurentius Viterbienſis Ord. Præd. Epiſc. Civitatenſis in Sardinia, non in Regno Neapolitano. 277.
Leonardi Arch. Calaritani electio malè a Vitali, & Vico fixatur. 93. An idem ſit ac Ar. Calaritanus, qui ab Alexandro IV. Sardiniæ, & Corſicæ Legatus inſtitutus eſt. 94. *in not.*
Leonardus Epiſcop. Caſtrenſis an Congregationis Valliſumbroſæ alumnus. 212.
Leonardus Ord. noſtri Pœnitentiarius, & a Secretis Gerardi Blanci Cardinalis, & Epiſc. Sabinenſis fit Epiſcopus Eccleſiæ Tricaricenſis. 243. Ab hac ad Arborenſem tranſit, quod ignoravit Wadingus. *ibidem*.
Leonardus Ord. noſtri Epiſc. Caſtrenſis in Synodo Diœceſana 42. Conſtitutiones pro reformando populo edit. 212. Eum præſertim proprio exemplo reformat. *ibidem*.
Lucia de Sartillas Tertii Ordinis Servorum Mariæ piiſſima fœmina. 192.
Lucifer I. Archiep. Calaritanus ex quibus Parentibus natus, & quo in loco educatus ſit, incertum. 72. Sub Liberio Papa Romam accedit. *ibidem.* Ab eodem Liberio in Galliam ad Conſtantium Imperat. legatur. 73. Liberii vices in Concilio Mediolanenſi gerit. *ibidem*. Quatuor exilia patitur. *ibid.* Male a duobus Epiſcopis Arianis habetur. *ibidem*. Litteras a S. Athanaſio recipit. *ibid.* Ab Arianis ad necem quæritur. *ibid.* Paulinum in Epiſcopum Antiochenum conſecrat. *ibidem.* Diviſionem in Eccleſiam infert. 75. In Sardiniam remeat. *ibidem*. An ante mortem ſe Eccleſiæ reconciliaverit, variæ ſunt opiniones. *ibid. not.* 2. Illius Corpus, ac Eccleſia ejus nomini dicata invenitur. *ibidem & ſeq.*
Lucifer II. Ar. Calaritanus ab Hunnerico Vandalorum Rege Carthaginem vocatur. 77. Pellitur in exilium, inque eo moritur. *ibidem.* An hic potius, quam alter Lucifer Sanctus vocari debeat. *ibidem*.
Ludovicus Pius Sardiniam Eccleſiæ Romanæ dono concedit. 5. Quid de illius diplomate ſentiant Eruditi, exponitur. *ibidem not.* 5.
Ludovicus Archiep. Nicoſienſis an poſtea ad Eccleſiam Calaritanam tranſlatus. 99. *not.* 6.
Ludovicus a S. Cruce Ord. noſtri Epiſc. fuit Biſarchienſis in Sardinia, non Biſacienſis in Regno Neapolit., ut putavit Wadingus. 217.
Ludovicus Gonzalez Epiſcop. Ampurienſis, quod Concil. Lateranenſi V. adeſſe nequiverit, excuſatur. 187. Perperam ab Harduino dicitur Ep. Ampurienſ. in Hiſpania. *ibidem not.* 3.
Ludovicus Joannis Ord. noſtri Epiſc. Ampur. antea erat Abbas S. Michaelis *de Plano*, ſeu *Plajano*, & *Prior* S. Martini Caſtri Aragonenſis. 187.

M

MAmachius Thomas Maria Ord. Præd. laudatur. 41. 42. 68 151. 153. *in not.*
Manfridus Canonicus Piſanus, & Ar. Turritanus. 148.
Manſius Joannes Dominicus Congreg. Matris Dei laudatus. 147. 150.
Marianus Epiſc. Arderenſis idem eſt, ac Marianus Thelle Epiſc. Guiſarchienſis, ſeu Giraclenſis. 214. *ſeq.*
Marianus Epiſc. Terralbenſis Eccleſiam Cathedralem ædificare facit. 260.
Marianus Zorrachi Epiſc. Terralbenſis conſentit, ut Bariſon Rex Arborenſis Eccleſiam S. Nicolai *de Gurgo* Montis Caſſini Cœnobio largiatur. 260.
Marianus Judex, ſeu Rex Calarit. confirmat bona Monachis Maſſilienſibus S. Victoris conceſſa. 27. Rogat Willelmum Arch. Calaritanum, ut Eccleſiam S. Saturnini conſecret. *ibidem*.
Marianus Judex Turritanus plura Templa conſtruit. 33.
Marianus alter Judex Turritanus Pontifici adhæret adverſus Piſanos. 35.
Marinianus Epiſc. Turritanus commemoratur a S. Gregorio Magno. 144.
Martinianus Epiſc. Foro Trajanenſis a Vandalorum Rege Carthaginem vocatur. 116.
Martinus Epiſc. Galtellinenſis Indulgentias noſtræ Eccleſiæ Recineti concedit. 283.
Martinus Martinez munus Inquiſitoris adverſus Hæreſes Cordubæ exercet. 167. Creatus Ar. Turritanus lites, quæ in Sardinia inter Miniſtros S. Inquiſitionis, & Regios verſabantur, componit. *ibidem*.
Matthæus Bertolini Eccleſiam Algarienſem gubernans controverſiam habet cum ſuis Canonicis. 179.
S. Melito non fuit Epiſc. Sulcitanus in Sardinia 126. *ſeq.*
Michael Ibañes Arch. Turritanus omnes Regni *Officiales* viſitat. 167.
Michael Mayquez Ord. S. Auguſtini quo anno in Arch. Turritanum electus. 165. Vir fuit doctiſſimus. *ibid.*
Michael Ord. Auguſtin. Epiſc. Tridentino ſuffraga-

gatur. 194. Fuit Epiſcop. Boſanenſis in Sardinia. *ibidem*.
Michael Zanche Vicarius Entii Regis Sardiniæ. 35. Poſt Entii mortem ducta in Uxorem ejus Matre ſit Dominus in Sardinia. *ibidem*.
Minoricæ, ac Majoricæ Eccleſiæ forſitan Metropolitano Sardiniæ olim parebant. 63.
Mirenſis Eccleſia an in Sardinia. 56.
Mittarellius Joannes Benedictus Congregat. Camaldul. Abbas per litteras varia monumenta mihi ſuppeditat. 185. 222. 229. 232. 239. 240. 241. 256. 261. Hic, ejuſque Socius Coſtadonius laudati. 25. 49. 148. 150. 239. 267.

N

NIcolaus Berutus Ord. Præd. Ar. Arborenſis utrum adfuerit Concilio Piſano. 246.
Nicolaus Cani Ord. Præd. cum Epiſc. Boſanenſis creatus eſt, plura munia geſſerat. 205.
Nicolaus de Vais Ord. noſtri Epiſc. Caſtrenſis in Sardinia, non in Gallia, uti ſentit Dionyſius Sammarthanus. 210 Subſcribit donationi factæ a Mariano Judice Arborenſi Monaſterio S.Claræ. *ibidem*.
Nicolaus Romanus Ord. noſtri officio Miniſtri in Provincia Romana fungitur. 162. A Clero Urbis legatur Bononiam ad Alexandrum V. *ibidem*. Creatur Ar. Turritanus. *ibidem*. An ad PP. Minores, quos vocant *de Obſervantia*, ſpectet. *ibidem in not.*
Nicolaus Epiſc. Boſanenſis adeſt Concilio Piſano. 197.
Nicolaus Rotæ Auditor, & utriuſque Signaturæ Referendarius fit Epiſc Boſanenſis. 200.
Nicolaus Epiſc. Ampurienſis adeſt conſecrationi Eccleſiæ de Sacargia. 182. Confirmat quædam privilegia PP. Camaldulenſibus. 183.
Nicolaus Epiſc. Othanenſis Diaconatus Ordinem confert B. Petro Congregationis Camaldul. 222.
Novellus Epiſc. Turritanus a Citonato Ar. Calaritano ordinatur. 145. Primum ob id R. Pontifex ejus electionem probare detrectat, deinde illum probat. 146.
Nulvi ſepultus jacet Angelus Galcerinus Ord. noſtri Epiſc. Ampurienſis. 191.
Nura, ſeu Nora Civitas an umquam proprium Epiſcopum habuerit. 51. *ſeq.*

O

ODdo Sala nobilis Piſanus Ord. Præd. Terralbenſem, & Polenſem Eccleſias regit. 244. Creatur Ar. Arborenſis. *ibidem*. Concilium Provinciale celebrat. *ibid.* Ad Eccleſiam Piſanam transfertur. *ibidem*. Fit Patriarcha Alexandrinus, & Eccleſiæ Caſſinenſis administrator. *ibidem*. Adeſt Concilio Viennenſi. *ibid.* De anno ejus mortis Ugbellius, & Lequienius emendantur. *ibidem*.
Olbia antiquiſſima Sardiniæ Civitas. 117. An eadem, ac Phauſania. *ibidem*.
Opizzo Arch. Turritanus ſubſcribit cuidam diplomati Ottonis Ar. Gennenſis. 155.
Oriſtani ſitus. 237. An idem, ac Uſellis. *ibidem*. 263. *ſeq.* Quando Antiſtes ibi manere cœpit. 235.
Orlandus Ord. Præd. Theologiam, ac Philoſophiam Senis docet. 112. Fit Epiſc. Dolienſis. *ibidem*.
Orſius Joſephus Auguſtinus Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter laudatus. 76. *in not.*
Ortillum, ſeu Orotellum oppid. ubi poſitum. 219.
Ortonenſis, ſeu Hortenſis Eccleſiæ in Tuſcia probabiliter Epiſc. fuit Georgius a Vico Othanenſi Eccleſiæ adjudicatus. 220.
Othaas Urbs ubi poſita. 219. Eadem non eſt ac Othoca, ſeu Oſæa. *ibidem*. Deſtructa nunc eſt. *ibid.* Othanenſis Epiſ. Ortilli etiam aliquando habitabat. *ibid.* Othanenſium Epp. ſeries. 220. *ſeq.*
Otthonium Urbs Daniæ quandò, & a quo conſtructum. 220. *& in not.*

P

PAganus an Epiſcopus Turritanus in Sardinia. 146.
Pandulphus Eccleſiam Turritanam adminiſtrat. 157.
Paraſon. V. Bariſon.
Paulinus an Epiſc. Turritanus in Sardinia. 145.
Paulus Oleni Epiſc. Chalcedonenſis Sacram militiam prædicat. 246. Nuncius Apoſtolicus inſtituitur. *ibidem*. Creatur Archiep. Arborenſis. *ibidem*.
Pellus Epiſc. Uſellenſis ſubſcribit diplomati Bariſonis Jud. Arborenſis. 266.
Pentuſius Epiſc. non fuit Turritanus in Sardinia, ſed in Africa. 145.
Petrus de Alagon Ar. Arborenſis Synodum Diœceſanam celebrat. 253.
Petrus de Canneto Ar. Turritanus duas Eccleſias Monachis Caſſinenſibus concedit. 149. An ultra medium ſæculum duodecimum ſpiritum duxerit. 150.
Petrus Clemens Ord. Carmelitarum Vicarius Generalis ſuæ Societatis in Sardinia inſtituitur. 273. Deinde Epiſc. Uſellenſis. *ibidem*.
Petrus Clerici Epiſc. Uſellenſis a Pio IV. prohibetur, ne moleſtiam inferat Bartholomæo Montello Canonico Calaritano. 271. *ſeq.*
Petrus Fragus Pariſios petit ſtudendi cauſſa. 274. Renunciatur Epiſc. Uſellenſis. *ibidem*. Deinde Algarienſis. *ibidem*. Moleſtiam infert Franciſco Garſino Canonico. *ibidem*. Tranſit ad Eccleſiam Oſcenſem in Hiſpania. *ibidem*. In Concilio Tridentino Orationem habet. *ibidem*. Apprimè doctus fuit. *ibidem*.
Petrus Fugetius Ord. noſtri Coadjutor Epiſ. Sulcitani. 138. Quando probabiliter hujuſmodi munus obtinuerit. *ibidem*.
Petrus Garſia inter Domeſticos Cardinalis Roderici Borgiæ, qui poſtea fuit Alexander VI., numeratur. 270. Factus Epiſc. Uſellenſis adverſus Joannem Picum Mirandulanum ſcribit. *ibid.*
Petrus de Martio Epiſc. Sanctæ Juſtæ diplomati Petri de Baſſo Judicis Arborenſis ſubſcribit. 256.
Petrus de Martis Epiſc. Ampurienſis ratam habet donationem quamdam Martino *Priori* Camaldul. factam. 183.
Petrus Parena Epiſc. Algarienſis adeſt Concilio Lateranenſi V. 172.
Petrus Pilarea Epiſc. Dolienſis aram maximam Eccleſiæ Oſcenſis PP. Dominicanorum conſecrat. 114. Factus Arch. Calaritanus Eccleſiam

S. Sa-

S. Saturnini reſtaurat . 100. An fuerit Dominicanus . *ibidem* .
Petrus de Portillo Ord. Præd. in Confeſſarium Jacobi II. Aragoniæ Regis eligitur . 158. In Ar. Turritanum . *ibid.*
Petrus Spanus Ar. Turritanus Concilium Provinciale celebrat . 162. Ejus ætate Sedes Archiep. Saſſarim transfertur . *ibidem*. In animo habebat Seminarium inſtituere . 163.
Petrus Stornell Ord. Præd. Epiſc. Civitatenſis in Sardinia . 179. *ſeq.*
Petrus Vagnier Epiſc. Algarienſis a Carolo V. omnis Sardiniæ Viſitator conſtituitur. 173. *ſeq.*
Petrus Ar. Calaritanus ſedulam navat operam reſtaurandis , ornandiſque Templis . 88.
Petrus Ar. Arborenſis plures Indulgentias variis Eccleſiis concedit . 241. *ſeq.*
Petrus Epiſc. Suellenſis ſubſcribit concordiæ inter Bonitum Ar. Calaritanum , & Monachos S. Saturnini factæ . 188.
Petrus Epiſc. Giraclenſis quædam privilegia pro Monachis Camaldul. confirmat . 214. Adeſt conſecrationi Eccleſiæ S. Saturnini . *ibid.*
Petrus Epiſc. Sorrenſis ab Innocentio III. eligitur ad componenda diſſidia Ar. Arborenſem inter, & Capitulum orta . 231. Facultatem petit Epiſcopatum dimittendi , eamque obtinet . *ibidem* .
Petrus Antonius Ar. Turritanus Eccleſiam S. Benedicti *de Serqui* PP. Minoribus , quos *de Obſervantia* vocant , elargitur . 163.
Petrus Filius Gonnarii Turritanam Provinciam gubernat . 87. *ſeq.*
Petrus Judex Arborenſis a Piſanis , & a Gulielmo Judice Calaritano Regno privatur . 32.
De Phagi Eccleſia Ar. Turritano parebat . 55. *not.* 14. Diverſa non erat ab una ex illis ſeptem, quas eidem Arch. obtemperaſſe antiqua monimenta tradunt . *ibidem* .
Phauſanis Civitas ubi ſita . 117. An fuerit Civium numero celeberrima . *ibid.* Eccleſiæ Phauſanienſis vetuſtas . *ibidem* . Cuinam Metropolitano olim paruerit . 118. An abolita , an aliò translata fuerit Sedes Epiſcopalis . *ibidem in not.* Phauſanienſes Epiſcopi . *ibidem ſeq.*
Piſani Saracenos è Sardinia expellunt . 7. *ſeq.* Capiunt Muſactum Regem , eumque ad Imperatorem ducunt . 8. Inſulam in quatuor Dynaſtias dividunt . *ibidem* . Expellunt Genuenſes. *ibid.* Piſani ipſi privantur dominatu Sardiniæ . *ibidem & ſeq.* Bellum inferunt Bariſoni Judici Arborenſi . 9. Ægro animo ferunt , præfatum Bariſonem totius Sardiniæ Regem creari . 10. Ab Imperatore Sardiniæ dominatum accipiunt . *ibidem*. A Chriſtiano Arch. Moguntino Imperatoris Legato denuò Sardinia privantur . 11. Ab eodem paullò poſt in priſtinum ſtatum reſtituuntur . 12. Caſtellum Caſtri ædificant . 13. Vexant Benedictam *Judiciſſam* Calaritanam . *ibid. & ſeq.* Sardiniam dimittunt . 15. Iterum Sardiniam aggrediuntur . 16. Cum Genuenſibus denuò in Sardinia bellantur. 18. Gladio occidunt Chianum Judicem Calaritanum . *ibidem* . Partem Sardiniæ Genuenſibus concedunt . 20. In mandatis a Bonifacio VIII. accipiunt Regi Aragoniæ Sardiniam cedere . 21. Recuſant id facere . *ibidem* . Ipſis Sardinia ab Aragoniæ Rege cum Judice Arborenſi fœderato eripitur . *ibid.* Duodecim Monachos Caſſinenſes in Sardiniam petentes expoliant . 50. Eccleſiam Cathedralem Calaritanam ædificant . 67.
Piſanus Ar. Primas eſt , ac Legatus Sardiniæ. 85. *& ſeq. nota* 4.
Piſani Archiepiſcopi Vicarius Epiſc. Galtellinenſem excommunicat . 282.
Plocum Urbs eſt in Polonia . 226. *in not.*
Plovacenſis Civitas . 284. Ejus Sedes Epiſcopalis nunc Turritanæ annexa eſt . *ibidem* . Ejus Epiſcopi . 285. *ſeq.*
Protogenes nec Calaritanus , nec Turritanus , ſed Sardicenſis in Bulgaria Epiſcopus fuit . 70. , *& ſeq.* 143.
Primaſius Arch Calaritanus concedit S. Fulgentio Epiſc. Ruſpenſi in Sardinia exuli locum pro Monaſterio conſtruendo . 79.
Primus Epiſc. Boſanenſis litteras a Bonifacio IX. accipit . 197. Creatus Arch. Turritanus adeſt Concilio Piſano . 161.
Princivallis Malatraverſi renuntiatur Ar. Calaritanus . 95. Ei jubetur , ut Concilium Provinciale pro uniendis inter ſe Templariis , atque Hoſpitalariis celebret . 96. *ſeq.*
S. Probus an Epiſc. Turritanus in Sardinia . 143.

Q

QUintaſius Epiſcop. Calaritanus adeſt Synodo Arelatenſi primæ . 70. Quintus . Quintius, & Quintas in nonnullis Codicibus appellatur . *ibid. not.* 5.
S. Quintus Martyr in Sardinia . 43.

R

RAmon Ep. Boſanenſis idem fortaſſis ac Raynerius . 197.
B. Raymundus Lullus Martyr ſuadet Nicolao IV. conjunctionem Templariorum , & Hoſpitalariorum ad reſiſtendum Saracenis . 96.
Raymundus Ord. noſtri Epiſc. Sulcitanus plura Altaria in noſtra Urbis Niciæ Eccleſia conſecrat . 137.
Raymundus Epiſc. Sulcitanus ſubſcribit diplomati fundationis Monaſterii SS. Georgii , & Geneſii . 133. Litteris Hugonis Ar. Calaritani . *ibid.*
Raynerius Ceſco Epiſc. Plovacenſis eligitur a Canonicis in Ar. Arborenſem , ſed electionem ratam non habet Rom. Pontifex . 226.
Raynerius in Gregorii XI. litteris Roſſanenſis Antiſtes vocatus Epiſcopus fuit Boſanenſis . 197.
S. Reſtituta V. , & M. in Sardinia . 45.
S. Reſtitutus an Antiſtes fuerit Calaritanus . 69.
Richus Ar. Calaritanus multæ ſagacitatis , ac prudentiæ fuit . 90. Plura ei committit Innocentius III. *ibidem* . Facultatem poſtulat Archiepiſcopatum dimittendi . *ibidem* . Innocentius primò illam concedere recuſat , deinde concedit . 91. Re melius conſiderata Eccleſiam non dimittit . *ibidem* . In Pontificis indignationem incurrit . *ibidem* .
Robertus Ord. noſtri Epiſc. Terralb. adeſt Concilio Arborenſi . 261.

Robertus Dragoni Ord. Præd. creatur Ep. Uſellenſis. 268. In patria, nempe Piſis moritur. *ibidem*. Multa bona legat Cœnobio ſui Ordinis Piſano. *ibidem*.
Rodulphus Epiſc. Dolienſis adeſt concordiæ Arch. Calaritanum inter, & Monachos Caſſinenſes factæ. 111.
S. Rudis incertum eſt, an Epiſcop. fuerit Calaritanus. 69.

S

SAlinas Michael Angelus Ordin. noſtri laudatus. 234.
Salvator Alexius Salepuſius fit Arch. Turritanus. 165. In Concilio Tridentino Orationem recitat. 166. Obſtat decreto ſtatuenti opinionem aſſerentem B. V. ſine originali peccato conceptam fuiſſe eſſe magis piam. *ibidem*. Unus ex iis Patribus fuit, qui obtinuerunt, ut inter actus ad Juſtif. per Pœnitentiam obtinendam neceſſarios poneretur amor initialis. *ibid*. Controverſiam habet cum Archipresbytero Cathedralis. *ibidem*. Officium SS. Gavini, Prothi, & Januarii perſcribit. *ibidem*.
Sammarthanus Dionyſius Congreg. S. Mauri corrigitur. 211. 248. not. 3.
Samſucius an Epiſc. Turritanus in Sardinia. 143. *ſeq.*
Sanafer Urbis Epiſcopalis ſitus. 53. *ſeq.*
Sanctes Ord. Præd. non fuit Epiſcop. Plocenſis in Polonia, ut Bremondio viſum eſt, ſed Plovacenſis in Sardinia. 226., *& ſeq. n.* 5.
Sancti Sardiniæ. 43. *ſeq.*
Sardica Urbs Bulgariæ an proprium Epiſc. olim habuerit. 71.
Sardiniæ Inſulæ ſitus. 1. Nomen. *ibid*. Amplitudo. 2. Fertilitas. *ibidem*. Sardinia Religionis Chriſtianæ initio poſſidebatur a Romanis. 3. Simul cum Corſica unam conſtituebat Provinciam. *ibidem*. Poſtea inter ſe diviſæ ſunt. *ibidem*. Occupatur a Vandalis. *ibidem*. Hi expelluntur a Juſtiniano Imperatore. *ibidem*. Occupatur a Gotbis. 4. Vexatur a Barbaricinis. *ibidem*. Irruunt in eam Langobardi. 47. *n.* 3. Occupatur a Saracenis. 4. Ab eiſdem liberatur. 5. Se dedit Ludovico Pio Imperatori, & Galliarum Regi. *ibid*. Ab eodem Eccleſiæ Romanæ conceditur. *ibidem*. Iterum occupatur a Saracenis. 6. Certus annus, quo id accidit ignoratur. *ibidem*, *& ſeq.* Piſanorum, & Genuenſium ope liberatur. 7. *ſeq.* In quatuor Dynaſtias dividitur. 8. Occupatur ab Entio Friderici Imperatoris Filio 17. *ſeq.* Reges Caſtellæ, Siciliæ, & Aragoniæ Sardiniam a Clemente IV. poſtulant. 19. Bonifacius VIII. Regi Aragoniæ eam tradit. *ibidem*, *& ſeq.* Illam hæreditat Carolus V. Imperator, & Rex Hiſpaniarum. 23. Ab ipſo traditur Philippo ejus filio Hiſpaniarum Regi. *ibidem*. Eadem potitur Carolus Auſtriacus, qui poſtea Imperator fuit. *ibidem*. Huic eam ſurripit Philippus V. *ibidem*. Conceditur Victorio Amadeo Sabaudiæ Duci. *ibid*.
Sardiniam a SS. Jacobo, Petro, Paullo Apoſtolis, ac Bonifacio Chriſti Diſcipulo Religionem Chriſtianam accepiſſe probari nullo pacto poteſt. 40. *ſeq.* Noſtris Sacris circiter finem ſæculi primi, vel initium ſecundi imbui cœpit. 45. Religionis Chriſtianæ in ea progreſſus. 46. *ſeq.* Monaſteria ædificantur in Sardinia ſæculo ſexto, & ſequentibus. 47. *& in not.* Plures in ea morantur Infideles. *ibidem*, *& ſeq.* Saracenis ei dominantibus, nec Fides noſtra, nec Eccleſiæ abolitæ omnino ſunt. 48. *ſeq.*
Sardiniæ Eccleſiæ. V. Archiepiſcopatus. Epiſcopatus.
Sardiniæ Epiſcopi an aliquando Patriarchæ Conſtantinop. obtemperaverint. 52. *ſeq.*
Sardiniæ Judices. V. Judicea.
Sartius Maurus Abbas Camaldul. laudatus. 241. *nota* 5.
Saſſaris Civitas in qua Inſulæ parte poſita. 140. Amœna eſt, ſed parum munita. 141. Quo anno Archiepiſcopus in ea reſidere cœpit. 140.
Saturninus Martyr in Sardinia. 44.
Sbaralea Joannes Hyacinthus Ord. noſtri laudatus. 54. not. 5. 71. 76. not. 2. 120. 236. not. 1, *& alibi*. Criticam in Italiam Sacram paravit. 61. 62. 115. *& ſeq. in not.*
Sbaraleanus codex chartaceus laudatus. 103. 120. 166. 174. 181. 201. 271. 281.
Sebaſtianus Abbatis Ord. Præd. non fuit Epiſc. Gallellenſis in Thracia, uti opinatus eſt Bremondius, ſed Galtellinenſis in Sardinia. 284.
Sebaſtianus Carta Epiſc. Boſanenſis curat, ut Sanctuarium Calaritanum ædificetur. 203.
Seraphinus Tavaccius de Trio Ord. noſtri Epiſc. Rhegienſis translationem Corporis S. Proſperi facit. 257. Creatur Epiſc. Sanctæ Juſtæ. *ibidem*. De anno, quo id factum eſt, errant Wadingus, & Haroldus. *ibidem*.
S. Severus an Ar. Calaritanus. 79.
Sicilia occupatur a Saracenis. 4. Nunquam aut Fides Catholica, aut Eccleſiæ in ea abolitæ ſunt. 7. not. 1. 49.
Simon Epiſc. Boſanenſis magna ſanctitatis fama floret. 222.
S. Simplicius Martyrio afficitur. 118. A Baronio, Florentinio, Ferrario, & aliis Ep. Phauſanienſis dicitur. *ibidem & ſeq.* Incertum tamen, utrum revera fuerit. 119. Ejus Corpus ſæculo elapſo repertum. *ibidem*.
Sorra Civitas. 228. Ejus Eccleſia primò Boſanenſi, deinde Turritanæ Sedi unitur. *ibidem*. Ejus Epiſcopi. *ibidem*, *& ſeq.*
Stephanus Hiſpanus Ordinem Prædicatorum ingreditur. 155. Eligitur in Priorem Provincialem Langobardiæ. *ibidem*. In Ar. Turritanum. *ibidem*. Ab Innocentio IV. Legatus Sardiniæ, & Corſicæ declaratur. *ibidem*. Soræ in Regno Caſtellæ Archiepiſcopi Piſani vices gerit. 156. An Legatus etiam fuerit ad Genuenſes, incertum. *ibidem*. Diverſus non eſt a Stephano, quem Dominicani Scriptores Ar. Arborenſem dicunt. 241. *nota* 2.
Suellis Civitas. 120. Quo tempore Sedes Epiſcopalis amota ab ea eſt. *ibidem*, *& ſeq.* Illius Epiſcopi. 121. *ſeq.*
Sulcis Urbs ubi poſita. 125. Fuit multum celebris. *ibidem*. A Carthaginenſibus ædificata traditur. *ibidem*. Nunc diruta. *ibidem*. Primordia Eccleſiæ Sulcienſis. *ibidem*. Ejus Epiſcopi. 126. *ſeq.*

Tabu-

T

TAbularium totius noſtri Ord. ad SS. duodecim Apoſtolos laudatur. 103. *nota* 4. 107. *n.* 1. 191. *n.* 1. 200. *n.* 2. 218. *n.* 5. 248. *n.* 1.
Tarros oppidum an fuerit olim Archiepiſcopi, qui nunc Arborenſis dicitur, Sedes. 234. An ſæculo duodecimo ſuperſtes fuerit. *ibid.* *n.* 4.
Tegula Civitas Epiſcopalis an in Sardinia. 58.
Terralba oppidum in Sardinia. 259. Ejus Eccleſia quando alteri conjuncta eſt. *ibid.* *ſeq.* Ejus Epiſcopi. 260. *&* *ſeq.*
Theodorus Arch. Turritanus legatur ad Jacobum Aragoniæ Regem totius Sardiniæ nomine. 158.
Theodoſius Ar. Turritanum Palatium Archiepiſcopale Saſſaritanum ampliat. 157. Ædificat Sancti Andreæ Sacellum. 158.
Thomas Polla Calaritanus Ord. noſtri anno 1663. moritur. 67. Calaritani Cives magna ſanctitatis, miraculorumque fama permoti ad eum videndum conveniunt. *ibid.* Canonici, & alii Civitatis Clerici ei funeris juſta perſolvunt. *ibid.*
Thomas Scotatus Ord. noſtri Epiſc. Civitatenſis. 278. An poſtea Ep. fuerit Imolenſis. *ibid.* *n.* 4.
Tillienſis Eccleſia an in Sardinia. 59.
Torquitor Provinciam Calaritanam regebat, quo tempore S. Georgius Ep. Suellenſis ortus eſt. 25.
Torquitor alter in Concilio Turritano excommunicatur. 36. *ſeq.* Fuit Judex Gallurienſis. *ibidem* *not.* 2.
Tortoly Sardiniæ Portus. 214. An idem fuerit ac oppidum Foro-Trajanenſe. *ibidem*.
Toſoratus Provinciam Arborenſem gubernat. 32.
Turbinus Judex Calaritanus ſumma neceſſitudine Piſanis conjunctus fuit. 27.
Turralba. V. Terralba.
Turris Lybiſſonis Civitas ubi poſita. 138. Olim Colonis celebris erat. *ibidem* *ſeq.* Quis eam ædificaverit, ignoratur. 139. Quando proprios Epiſc. habere cœpit. *ibidem*. Quo ſæculo illius Eccleſia Cathedralis S. Gavino ſacra conſtructa eſt. *ibidem* *&* *ſeq.* *not.* 5. Ab ea Sedes Epiſcopalis removetur. 140.
Turritani Præſules poſt ſæculum decimum Metropolitani honores conſequuti ſunt. 142. 60. *&* *ſeq.* Antea ſuffragabantur Arch. Calaritano. 60. *ſeq.* Ab eodem etiam aliquando ordinati fuerunt. 61. 84. 146. Gaudent titulo Vexillarii S. R. E. 140. Eorum Catalogus. 144. *ſeq.*
Turritani Judices. V. Judices.
Tyrenſis Eccleſia an in Sardinia. 236. Quando Arborenſi unita fuerit. 232. *ſeq.*

V

VAlentinus an Epiſc. Turritanus in Calabria, an in Sardinia. 145.
Valerius Ximenez de Embun Ord. Carmelitarum plura in Hiſpanis gerit officia & Religionis, & Regis mandato. 176. Epiſcopus Algarienſis nominatur. *ibidem*. Decedit antequam inauguretur. *ibidem*.
Ubaldinus Cambii Florentinus Vir ſumma dexteritate, & prudentia ornatus. 160. Apoſtolicus Referendarius, & Spoliorum Collector in Regno Pragenſi. *ibidem*. Eligitur in Epiſc. Cortonenſem. *ibidem*. Deinde in Ar. Turritanum, ac tandem Arborenſem. *ibidem*.
Ubaldus Lanfranchi Ar. Piſanus ab Innocentio III. reprehenditur. 12.
Ubaldus Piſanus Calaritanum Principatum expugnat. 16. A Gregorio IX. excommunicatur. *ibidem*. Reconciliatur Eccleſiæ. 17. Fatetur Principatus Gallurienſem, & Turritanum eſſe Romani Pontificis vectigales. *ibidem*. Migrat e vita. *ibidem*.
Venerius an Ar. Calaritanus. 81. *ſeq.* An Epiſc. Turritanus. 145.
Ughellius Ferdinandus Abbas Ord. Ciſtercienſis corrigitur. 215. 244.
Ugo. V. Hugo.
Ugolinus Piſanus Judex Gallurienſis adverſus Concives ſuos pugnat. 38. Matrimonio ſibi jungit Beatricem Eſtenſem. 39. Moritur in oppido S. Miniatis. *ibid.*
Victor Epiſc. Phauſanienſis a Januario Ar. Calaritano S. Gregorii Magni juſſu ordinatur. 119. Vexatur a Judicibus Africæ Sardiniæ dominantibus. *ibidem*.
Vigilius Epiſc. Dolienſis ſubſcribit diplomati fundationis Monaſt. SS. Georgii, & Geneſii. 111.
Vincentius Baccalar Epiſc. Boſanenſis Judicium fert de Reliquiis Luciferi Ar. Calaritani. 203.
Vincentius Leo Ord. Carmelitarum fit Epiſc. Boſanenſis. 201. Bis adeſt Concilio Trid. *ibid.*
Vincentius Auguſtinus de Claveria ex Epiſcopo Petrenſi in Arabia fit Epiſc. Boſanenſis. 204.
Vitalis Eccleſiæ Turritanæ Archipresbyter quædam privilegia Monachis Camaldulenſibus confirmat 149. Eligitur in ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopum. *ibidem*.
Vitalis Epiſc. Sulcitanus a Vandalorum Rege Carthaginem vocatur. 129. *ſeq.*
Uſellis Civitas ubi poſita. 263. An eo in loco, ubi nunc eſt Oriſtanum. *ibidem* *ſeq.* Quando Sedes Epiſcopalis ab eadem amota eſt. 264. Epiſcopi Uſellenſes. 266. *ſeq.*
Wadingus Lucas Ord. Minorum de Obſervantia. V. Annales Wadingiani.

Z

ZAbardæ Duci Sardiniæ litteras mittit S. Gregorius Magnus. 48.
Zacharias Epiſcop. Othanenſis ſubſcribit diplomati Alberti Arch. Turritani. 221.
Zacharias Franciſcus Antonius Soc. Jeſu laudatur. 44. *not.* 1. 68. *not.* 3. 127.

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,
Quæ in Monumentis, ac Notis continentur.

A

ADam Epiſc. Maranenſis Indulgentias concedit noſtræ Eccleſiæ Aſculanæ in Piceno. 292. Hujus Epiſcopi nomen ignoravit Ughellius. *ibid.*
Alamannus de Donatis Ord. noſtri Vir nobiliſſimus, atque doctiſſimus Epiſc. Suanenſis noſtræ, aliiſque Eccleſiæ Hiſpelli Indulgentias concedit. 299. Factus Epiſc. Mutinenſis Indulg. largitur noſtræ Eccleſiæ Interamnenſi. *ibid.* n. 5.
Andreas an Epiſc. Coronenſis, an Crojenſis. 298. & *ſeq.* n. 9. Indulgentias concedit noſtræ, & aliis Eccleſ. Hiſpelli. *ibid.* Eccleſiæ Bononienſi PP. Carmelitarum. *ibid.*
Angelus Epiſc. Nepeſinus Indulgentias elargitur noſtræ Eccleſiæ Aſculanæ. 291. Forſan Ord. noſtri alumnus fuit. *ibid.* n. 1.
Angelus *de Meglio* Aretinus Ord. noſtri doctrina, ac nobilitate clarus. 294. n. 1. De Aretina noſtra Eccleſia, ac Cœnobio optimè meritus. *ibid.* Ejus ætatem minus perſpectam habuere Rodulphius, atque Wadingus. *ibid.*
Angelus Aretinus Ord. noſtri Inquiſitor adverſus Hæreſes in Tuſcia. 294. An idem ac Angelus de Meglio. *ibid.* n. 1.
Angelus Peruſinus Ord. noſtri Miniſter Provinciæ S. Franciſci. 291. n. 1. Angelus Urbevetanus Ord. noſtri legatur ad Paleologum Imperatorem. *ibid.* Angelus Reatinus Ord. noſtri Inquiſitor in Provincia Romana. *ibidem.* Angelus Tudertinus Ord. noſtri Inquiſitor in Diœceſi Spoletana. *ibidem.*
Antibarenſis Eccleſia eſt in Dalmatia. 295. n. 3.
Arbenſis Epiſcopatus eſt in Dalmatia. 297. n. 7.
Aſculanæ noſtræ Eccleſiæ a variis Epiſcopis Indulgentiæ conceduntur. 289. *ſeq.*
Aſſemanus J. S. laudatus. 295. n. 3. 299. n. 4.
Auximum Civitatis titulo, & honore Epiſcopali privatur. 297. n. 5.

B

BArtholomæus Epiſc. Hortanus noſtræ Aſculanæ Eccleſiæ Indulgentias concedit. 291. Idem fortaſſis eſt ac Bartholomæus *de S. Geminio* Ord. noſtri a Nicolao III. in Æmiliam Legatus. *ibidem not.* 2.
Bartholomæus Malacria Ord. noſtri Epiſc. Ampurienſis appellationem Joannis Minoritæ adverſus Manfredum Tuſciæ Inquiſitorem recipit. 292. *ſeq.*
Benoſſius Franciſcus Ord. noſtri Utini adverſus Hæreſes Inquiſitor laudatur. 292. n. 8.
Benvenuti Ord. noſtri Corpus Recineti in noſtra Eccleſia quieſcit. 298. n. 1. Magna veneratione a Populis colitur. *ibid.* Beati, ac etiam Sancti titulo cohoneſtatur. *ibidem.*

C

CEnenſis Eccleſia in Africa poſita. 299. n. 2.
Ciutius Angelus Ord. noſtri laudatur. 294. n. 1.
Clonenſis Eccleſia eſt in Hibernia. 290. n. 3.
Conventus duos Piſis olim habebat Ordo noſter. 293. *not.* 1. Alter vocabatur S. Martini; alter S. Franciſci. *ibid.* Primus quando, & a quo fundatus. *ibid.* Quo ſæculo a nobis amiſſus. *ibid.*
Conventus noſter Recineti quo anno conſtructus. 297. n. 7. Rodulphius, & Wadingus emendantur. *ibidem.*
Coronenſes Eccleſiæ duæ. 298. *ſeq.* n. 9.
Crojenſis Eccleſia ubi ſita. 299. *in not.*
Cuſtodia noſtra Piſana a S. Bonaventura inſtituta eſt. 292. n. 11. Quot Conventus olim complexa ſit. *ibidem.*

D

DIagorganenſis Eccleſia ſita eſt in Perſide. 296. n. 2.
Demitenſis, ſeu Dimicenſis Epiſcopatus in Theſſalia. 296. *in not.*
Dulcinienſis Eccleſia eſt in Albania. 299. n. 4.

E

EPiſcopi plures Indulgentias elargiuntur noſtræ Eccleſiæ Aſculanæ. 298. *ſeq.* Noſtræ Eccleſiæ Recineti. 295. *ſeq.* Noſtræ, aliiſque Eccleſiis oppidi Hiſpelli. 298. *ſeq.*

G

GErardus, qui in litteris Cenenſis Epiſcopus dicitur, quam Eccleſiam gubernavit. 299. n. 2.

H

HEnricus Epiſcopus Revalienſis cujus Societatis alumnus fuerit. 298. *in not.*

I

JAcobus inter Epiſcopos Chalcedonenſes a Lequienio omittitur. 298. n. 6.
Joannes Guardianus noſtri Conventus Piſarum Epiſtolam recipit a Manfredo Tuſciæ Inquiſitore. 292.
Joannes in litteris Epiſ. Camplenſis vocatus cujus Eccleſiæ Antiſtes fuerit. 296. n. 3.

Lam-

Digitized by Google

L

LAmbertus fuit Ord. noſtri alumnus, quod neſcivit Ughellius. 290. *n.* 1. Ab Eccleſia Veglienſi ad Aquinatem transfertur, quod Wadingo ignotum fuit. *ibidem*.

Landus Cuſtos noſtræ Cuſtodiæ Piſanæ. 292.

Lequienius Michael Ord. Præd. ſuppletur. 292. *n.* 6. 296. *in not.* 299. *in not.*

Ligelius Guardianus noſtri Conventus S. Martini Piſarum translationi corporis S. Bonæ adeſt. 293. *in not.*

M

MAdius Epiſcopus Demitenſis. 295. *n.* 7.

Manfredus Inquiſitor adverſus Hæreſes in Provinciis Tuſciæ ſcribit ad Joannem Guardianum Piſarum. 294.

Matthæus non Vigilienſis, uti putavit Ughellius, ſed Veglenſis in Dalmatia Epiſc. fuit. 290. *n.* 2. Probabile eſt non eſſe diverſum vel a Matthæo Aretino ad Quolibey Imperatorem, & Abagham Tartarorum Regem Legato, vel a Matthæo Theatino ad Argonem Tartarorum Regem item Legato Ord. noſtri alumnis. *ibid.*

Maurini Patres emendantur. 298. *n.* 1.

Monaldus Ord. noſtri Epiſc. Civitatis Caſtellanæ perperam a Wadingo Antiſtes dicitur Eccleſiæ Tifernatis. 290. *n.* 7.

N

NIcolaus Archiep. Hydruntinus omittitur ab Ughellio. 289. *n.* 5.

Nicolaus Epiſcop. Matiſconenſis perperam a PP. Maurinis anno 1301. electus dicitur. 298. *n.* 1.

O

ODoricus Archiep. Compoſtellanus Ord. Præd. haud obiit anno 1304., uti ſcribit Fontana. 289. *n.* 2.

P

PEtrus Ord. Præd. Archiepiſcopus Nazarænus Indulgentias concedit noſtræ Eccleſiæ Recineti. 295. Eccleſiæ S. Laurentii & Xenodochii Curiæ. *ibidem* *n.* 2. Seipſum appellat etiam Archiepiſcopum Hieruſalem. *ibidem*.

Piſani noſtri Conventus. V. Conventus.

R

RAymundus Epiſcop. Catharenſis omittitur ab Ughellio. 299. *ſeq.* *n.* 9.

Recinetenſis noſter Conventus. V. Conventus.

Revalia Urbs quo tempore proprium Epiſcopum habere cœpit. 290. *ſeq.* *n.* 9.

Rigenſis Eccleſia quando inſtituta. *ibid.*

S

SErbienſis Eccleſia an unquam Latini Ritus Epiſcopum obtinuerit. 296. *n.* 6.

V

UGhellius Ferdinandus Ord. Ciſterclenſis ſuppletur, atque emendatur. 289. *n.* 5. 290. *n.* 1. 296. *ſeq.* *n.* 8. 299. *n.* 4. 9.

Vincentius Ord. noſtri quo anno electus in Epiſc. Nebienſem. 296. *n.* 8. Quo anno in Epiſcop. Maranenſem. 297.

Wadingus Lucas Ord. Min. *de Obſervantia* ſuppletur, atque corrigitur. 289. *n.* 4. 290. *n.* 1. 7. 292. *n.* 9. 293. *n.* 1. 294. *n.* 2. 297. *n.* 7.

F I N I S.

ADDEN.

ADDENDA, DELENDA, ET MUTANDA.

PAg. *6*. col. 2. lin. 12. *tres alias*. leg. duas alias. lin. 23. *tertia*. dele uſque ad *ſubjectis*. dele etiam notam 4.

Pag. 32. col. 1. lin. 7. poſt *conjecerunt* addatur. In Epiſtola Innocentii Pontificis Maximi apud clariſſimum Stephanum Balutium, ex qua hæc omnia apparent, infelicis Judicis nomen littera A. notatur. Verum apud Franciſcum Vicum (1), qui ejuſdem Epiſtolæ partem in lucem emiſit, notatur communi littera N., quod ſanè mihi magis placet; nam præfatum Judicem *Petrum* vocatum fuiſſe apertè teſtatur Benedicta Gulielmi laudati Filia, ac Regina Calaritana his verbis an. MCCXVII. ad Honorium III. ſcribens *Suſcepi in virum nobilem virum P. nomine*, ſcilicet Paraſonem, *Filium quondam Judicis P.*, nempe Petri *Arboreæ*, *ob multiplicem guerram inter præfatos progenitores noſtros diu habitam a nobis ſedandam* (2). De Petro mentionem facit etiam Vicus, qui eum *de Serra* cognominat, & Patri ſucceſſiſſe anno MCXCI. aſſerit.

XI. Constantinus II.

Petrum liberos ſuſcepiſſe & ex Benedictæ verbis ſupra exſcriptis, & ex Innocentio, qui a Gulielmo, Piſaniſque una cum ipſomet Petro *Filium ejus parvulum* in carcerem contruſum eſſe narrat, manifeſta res eſt. Is, qui pœnam Patri communem habuit, teſte Vico (3), appellabatur *Domicellus*, eratque *majorazgo, y heredero del Reyno*. Bariſonem ſimul cum Uxore Provinc. Calaritanam rexiſſe alibi demonſtravi. Domicellum Arborenſem Dynaſtiam gubernaſſe mihi non liquet. Illud ſcio, circiter ſæculi decimitertii initium Arboreæ Judicem fuiſſe Conſtantinum, qui varias Eccleſias Sancti Zenonis Monaſterio *de Bonarcanto* ad PP. Camaldulenſes ſpectanti confirmavit (4). Utrum hic pariter ex Petro procreatus ſit, videant alii, ego quidem id me ignorare fateor.

XII. Petrus II. de Laccon.

Cum Judex, ac Rex Arborenſis, nec non Vicecomes *de Baſſo* eſſet, anno MCCXXX. aſſentiente Diana ipſius uxore Sylvam *de Querqueda* Monaſterio ſupra laudato elargitus eſt (5). Poſt ſeptennium idem ipſe Petrus quamdam donationem Monaſterio, cujus ante meminimus, ab Hugone ejus Parente factam innovavit (6). Eodem anno Arborenſem Provinciam ad Romanos Pontifices ſpectare publicis tabulis, ac etiam juramento faſſus eſt: liberis ſe carere ſentiens ditionis ſuæ Eccleſiam Romanam hæredem inſtituit, quam ob rem Gregorius hujus nominis IX. ſummis laudibus eum proſequutus eſt: ac *de omnibus litibus, & controverſiis, quæ vertebantur* ipſum inter, & Ubaldum Judicem Gallurienſem, ac Turritanum, *præſtito juramento hinc inde, & pœna duodecim millium Marcharum appoſita* compromiſit *in Magiſtrum*

(1) *T. II. Hiſt. General. Sard. Par. 4. cap. 22. fol. 52.* (2) Benedictæ litteras recitavi *n. 22. & ſeq. hujus cap.* (3) *Loco cit. fol. 51.* (4) V. *T. III. Annal. Camaldul. ad an. 1147. lib. 29. n. 32. pag. 300.* (5) Conſtat hoc ex monumentis in Tabulario Monaſterii S. Michaelis *in Burgo* Piſarum ſervatis, prout doctiſſimus Abbas Mittarellius Camaldulenſis litteris hoc anno 1758. duodecimo Calendas Februarias Venetiis datis mihi humaniſſimè ſignificavit.
(6) Hujus innovationis diploma exſtabat olim in manibus Abbatis Grandii. Ita in memoratis litteris Vir clariſs. laudatus.

giſtrum Alexandrum Capellanum, & *Legatum Apoſtolicæ Sedis* (1).

Obiter hic animadverto, Hugonem Petri genitorem illum ipſum fortaſſis eſſe, qui anno circiter MCCVIII. inceſtuoſam copulam prius ab Innocentio vetitam cum Filia Gulielmi Marchionis *de Maſſa* ſupra memorati contraxit, prout in Archiepiſcopis Calarltanis fuſius narravi. Provinciam Arborenſem aliquando gubernaſſe nec affirmare, nec inficiari auſim. Næ eam haud regebat anno MCCXII., ſiquidem Innocentius ad eum ſcribens non *Judicem*, ſed *nobilem Virum* duntaxat appellat (2).

Vicus Conſtantino, ac Petro *de Laccon* omiſſis, poſt Petrum *de Serra* ait, regnaſſe Gulielmum *de Maſſa*, qui per vim Arboream occupaverat; poſt Gulielmum obtinuiſſe *eſte Judicado Arborenſe Ugon primiero deſte nombre*, *Sobrino de Pedro de Serra*, *juntamente con el Vizcondado del Baſſo*; *ſegun eſcrive Zurita*, *y otros Hiſtoriadores a las coſas de Eſpaña*. Quoniam mihi non conſtat, an hic Hugo idem ſit atque Hugo Petri genitor, & Vicus quo anno regimen ſuſceperit, non indicat, ſccirco Hugonem illum poſt Petrum recenſendum eſſe duxi. Negari tamen non poteſt, quin horum Judicum hiſtoria perquam obſcura ſit. XIII. Hugo I.

Pag. 33. col. 2. ubi de Conſtantino I. lin. 2. *Eccleſiam*. leg. Ut Eccleſia S. Nicolai PP. Camaldulenſibus concederetur, aſſenſit anno &c.

Pag. 34. col. 1. l. 13. *Quædam pariter*. lege. Idem ipſe Conſtantinus quædam bona largitus &c.

Pag. 86. col. 2. l. 11. *Eccleſiam* dele uſque ad *caſtra haud moviſſent*.

Pag. 94. col. 2. l. 3. *Hujus Pontificis*. dele uſque ad *confeciſſe*. Eorum verborum loco pone *Eccleſiam* uſque ad *caſtra haud moviſſent*, ſed lin. 4. poſt *Magiſter* lege hoc pacto: Noſocomii Piſis recenter conſtructi, quod *Papæ Alexandri* dicebatur. Abbas quoque, & Monachi Cœnobii Sancti Victoris Maſſilienſis in præfatam Eccleſiam, ejuſque prædia jus habere aſſerebant, ſed cum in illorum poſſeſſionem venire nequiviſſent ad Urbanum Romanum &c. l. 24. poſt *expulſus eſt* lege: iccirco eos omnes anathemate petiit. Poſt obitum tandem Urbani Monachos &c. poſt *caſtra haud moviſſent* adde. Clariſſimi Maurini Patres Martene, atque Durand Hugonis litteras, in quibus hæc omnia narrantur, ex illius Cœnobii Tabulario erutas, & ab ſe publicatas, anno circiter MC ſcriptas fuiſſe exiſtimant, ſed cum in iis noſocomium recenter ædificatum memoretur, Viros eruditiſſimos graviter errare certa, explorataque res eſt. Illud enim a Piſanis Alexandro IV. jubente ſub annum MCCLVII. conſtructum ſuit, ut patet ex epiſtola (3) ejuſdem Pontificis Calendis Aprilis anno ſui regiminis tertio Manſueto Viro docto noſtri Conventus Caſtellionis Florentini alumno, *Pœnitentiario*, & ad Piſanos Legato data, in qua hæc leguntur: *Piſanum Commune in Civitate ipſa, vel circa eam in loco apto, quem ad hoc duxerit deſignandum, quoddam Hoſpitale conſtrui faciet, in quo tam pro ædificiis, quam pro donatione ipſius uſque ad quinquennium decem millia libras Piſ. parvorum, videlicet duo millia quolibet anno expendet*. Ex hoc etiam liquet, Urbanum, de quo in laudatis litteris ſit mentio, non II., quemadmodum Martene

(1) Confer Raynaldum *T. II. Annal, ad an.* 1237. *num.* 20. *ſeq. pag.* 165. *ſeq. edition. Lucenſ.* V. etiam *varia diplomata* apud Muratorium *T. VI. Antiq. Medii Ævi Diſſertat.* 71. *col.* 25. *ſeq.*

(2) *T. II. Epiſtolarum lib.* 14. *pag.* 554. *edit. Balut.*

(3) Exſt. apud Ughellium *T. III. in Archiep. Piſanis num.* 52, *col.* 438. *ſeq.*

tene, & Durand opinati ſunt, ſed IV. fuiſſe.

Hæc cum ita ſe habeant dicamus oportet, Hugonem ante an. MCCLXV., quo, ut communis fert Hiſtoricorum ſententia Urbanus IV. e vita migravit, Eccleſiam Calaritanam gubernaſſe. Scribit Ughellius (1), ſub an. MCCLXXVI. hujus Eccleſiæ Antiſtitem nomine Hugonem obiiſſe, quem alium non eſſe ab eo, de quo in præſentia loquimur, arbitramur.

Pag. 95. nota 4. poſt *num.* 30. adde; ſed hic Auctor, ut fere ſemper ſolet, Nicolai litteras imperfectas exhibet; integras exſcribit cl. Sebaſtianus Paulli *Codice Diplomatico del Sacro Militare Ordine Geroſolimitano T. II. num.* 1. *pag.* 1. *edit. Luc.* 1733.

Pag. 110. col. 2. l. 14. dele *Gregem ſibi &c.*, ac ita lege. Hac Eccleſia duobus luſtris, & ultra gubernata, e vita migravit Taurini, ubi a pluribus menſibus morabatur, octavo Calendas Quintilis præſentis an. MDCCLVIII. Sepultus eſt in PP. Societatis Jeſu Eccleſia eorum habitu indutus, quem inter ipſos etiam ab adoleſcentia detulerat.

Pag. 134. col. 1. poſt Bandinum hic addatur Epiſcopus.

VIII. N.

Epiſcopus hic, cujus nomen inexploratum habemus, Sulcienſem Eccleſiam regebat Honorii III. ætate, ideſt eo temporis ſpatio, quod inter ann. MCCXVI., & ann. MCCXXVII. intercedit. Cum Archiepiſcopus Calaritanus contenderet, ut ſinguli Antiſtites, qui ſibi parebant quotannis feria quinta majoris hebdomadæ Calarim accederent, Epiſcopus noſter hoc exequi detrectans ad præfatum Honorium ſcripſit, qui inter alia hæc illi reſpondit.

Reputari poteſt indignum, ut in die Cœnæ Domini, quo deberent in ſuis Eccleſiis Epiſcopi Chriſma conficere, lavare juxta exemplum Domini pedes pauperum, & reconelliare publicè pænitentes ad Metropolitanam Eccleſiam, quæ 40. milliaria, & amplius a te diſtat, Chriſma ibidem cum Metropolitano tuo confecturus accedas, quamquam idem Metropolitanus tam in tua, quam in aliis metropolitico jure ſubjectis Eccleſiis, non ex ſpeciali privilegio, vel antiqua, & approbata conſuetudine, ſed ex uſurpatione potius hoc obtinuiſſe hactenus videatur. Hoc itaque olim in tua conſecratione prudenter attendens, quod huic gravamini occurreres, fuiſti publicè proteſtatus. Volentes igitur, Ven. in Chriſto Fr., tuo ſuper gravamine providere, auctoritate tibi præſertim indulgemus, ut ad hoc, niſi ſpeciale privilegium exigat, vel antiqua, & approbata conſuetudo requirat, per uſurpationem hujuſmodi nullatenus tenearis (2).

Ex nominis, quo Epiſcopus noſter vocabatur, ignorantia, illud fit, quod ne certò quidem ſciatur, an idem ſit, ac *Bandinus*, cujus ſupra meminimus. Ego verò diverſum eſſe arbitror; nam, ut ex Honorio conſtat, Archiepiſcopus Calaritanus Præſules Suffraganeos ſingulis annis ad Metropolim accedere coegit, Antiſtes Sulcienſis Calarim petere nolle publicè profeſſus eſt, dum Sacrum Ordinem accepit. Porrò quis umquam credet, ſi ante annum MCCVI., quo, ut Vicus tradit, vivebat Bandinus, inauguratus fuiſſet, non niſi poſt annum MCCXVI. ad

Ro-

(1) *Op. & T. indic. col.* 443.

(2) Quod ad Honorii litterarum epigraphen attinet, variant codices; nam in horum uno legitur datas eſſe *Epiſcopo Saltenſi*, in altero *Fulcenſi*, in tertio *Sulcienſi*; cujus auctoritate fretus Innocentius Cironius *in quinta compilatione Epiſt. Decretal. Honorii III. lib.* 1. *tit.* 16, *cap.* 3. *pag.* 47. *edit. Toloſ.* 1645. eas Epiſc. Sulcienſi datas fuiſſe opinatur; nec immeritò, mea quidem ſententia; etenim Eccleſiæ *Saltenſis*, & *Fulcenſis* nunquam fuerunt: qui ergo fieri potuit, ut Honorius ad earum Præſules ſcriberet?

Romanum Pontificem hanc ob rem confugiſſe?

Pag. 155. col. 1. l. 4. poſt *confecit* adde. Turritanorum Pontificum ordinem, & chronologiam hactenus a me ſtatutam pervertere videtur Albericus *trium Fontium* Ordinis Ciſtercienſis; nam in ſuo *Chronico*, quod in lucem a cl. Leibnitio emiſſum eſt, de nonnullis ex eodem Ordine Viris ad Epiſcopatus aſſumptis loquens, ad annum MCCXI. hæc habet: *In Sardinia Admalbertus Monachus in Epiſcopum Giſardenſem electus, antequam conſecraretur, aſſumptus eſt in Archiepiſcopum Turretanum: ante eum fuit ibi Epiſcopus (Archiepiſcopus) Petrus*. Sed Auctor noſter occaſione factum narrandi, quod præfato anno evenit, alia etiam narrat, quæ diverſis temporibus acciderunt, quemadmodum apud eorum ſæculorum Scriptores, qui chronologiam, ut plurimum parviſaciebant, in more poſitum erat.

Certa monumenta, quibus probatum a me eſt, anno MCCXI. Blaſium hujus Eccleſiæ Archiepiſcopum fuiſſe, ſat, ſuperque ſunt ad oſtendendum, judicium, quod de Alberico tuli, verum eſſe. Attamen cum Auctor noſter ſæculo decimo tertio floruerit, ac citetur, laudeturque a Chifletio, Labbeo, Miræo, Quercetano, Butkenio, Blondello, Leibnitio, Oudino, & aliis, vereodum mihi eſt, fore nonnullos opinione adeò præjudicata, ut apud eos etiam ſine ratione valeat auctoritas, idque ratum habeant, quod ab iis, quos probant, judicatum vident, qui arbitrentur, me ea reſponſione uſum eſſe, animo duntaxat argumenti vim eludendi; iccirco operæ pretium duco pauliſper hic immorari in demonſtrando, Albericum minus accuratum in temporum ratione eſſe, exemplo deſumpto ab iis, quæ ille ad memoratum annum refert.

Ante verba ſupra recitata in hunc modum ſcribit: *Abbas Ciſtercienſis Arnaldus in Archiepiſcopum eligitur Narbonenſem. Abbas Petrus Lucedii factus eſt Epiſcopus Iuorienſis, & exinde per Summum Pontificem promotus eſt in Patriarcham apud Antiochiam. Abbatem Gerardum fecit Summus Pontifex Archiepiſcopum Regenſem in Apulia, & quemdam de Ponte fecit Placentinum Epiſcopum*. Porrò hæc ferè omnia, quod ad tempus attinet, falſa ſunt; nam Petrus Abbas in Antiſtitem Eporedienſem electus eſt an. MCCV. (2), in Patriarcham Antiochenum poſt quadriennium (3). Gerardus Eccleſiam Rhegenſem in Calabria, quam Provinciam Albericus juxta eorum temporum morem (4) *Apuliam* nuncupat; aut nunquam obtinuit, ſiquidem in illius Archiepiſcoporum catalogo non legitur; aut ſi obtinuit, certè non eo anno, quo Auctor noſter litteris conſignavit; etenim an. MCXCIX. illius Eccleſiæ regimen ſuſcepit Jacobus, cui anno circiter MCCXVI. defuncto ſtatim ſucceſſit Landus (5). Grimerius Porta Abbas Monaſterii Columbæ anno MCXCIX. Parmenſis Epiſcopus creatus eſt (6). Itaque Albericus de Arnaldo, qui Narbonenſem Cathedram conſcendit aut an. MCCXI., aut potius ſequenti, uti doctiſſimi Maurini Patres (7) ſcribunt, loquens, de aliis etiam plures ante annos ex Monachorum

cœtu

(1) *T. II. Acceſſionum Hiſtoricar. pag. 457. ed. Lipſ. 1698.* (2) Confer Ughellium *T. IV. in Ep. Eporedienſ. n. 24. col. 1070.* (3) Vide Innocent. III. *Epiſt. 8. 38. 39. l. 12. T. II. pag. 302. 321. ſeq. ed. Balut.* Confer etiam Petrum Boſchium *Hiſt. Chronolog. Patriarch. Antiochen. ſac. 13. n. 6. pag. 140.* Exſt. *initio T. IV. Julii Bollandiani.* (4) Id patet præſertim ex Joanne Villanio *Hiſt. Florent. lib. 6. cap. 44. 45. col. 186. ſeq.* & alibi apud Murat. *T. XIII. S. Rerum Ital.*

(5) Conſule Ughelli. *T. IX. in A. Rheg. n. 26. col. 326.* (6) Lege Ughell. *T. II. in Epiſc. Placent. num. 49. col. 220.* (7) *T. VI. Galliæ Chriſtianæ num. 36. col. 62.*

cœtu ad Sedes Epiſcopales evectis mentionem facit.

Inquirendum nunc eſt, quis fuerit *Admalbertus* in Antiſtitem Turritanum renuntiatus. Duo Præſules ante Blaſium hanc Eccleſiam gubernarunt, quos *Admalberti* nomine vocatos ab Alberico fuiſſe ſuſpicari optimo jure poſſumus; Albertus nempe, atque Herbertus. Cum hic ex Ordine Ciſtercienſi extiterit, ad quem plerique omnes ab Auctore noſtro relati attinent, probabile videtur, Admalbertum eundem eſſe, ac Herbertum. Mihi tamen probabilius fit, non eſſe ab Alberto Caſſinenſi diverſum; nam Herbertus, quando Antiſtes creatus eſt, Abbas erat; Admalbertus verò *Monachus* tantum appellatur. Petrus juxta varios codices Epiſcopus, & Archiepiſcopus dictus, dubio procul eſt Petrus *de Canneto*, qui, uti jam oſtendi, deceſſor, eſto non proximus, Alberti fuit.

Pag.188. col.1. lin.7. poſt *Leridenſi* adde. Ita quidem narrat Franciſcus Vicus, ſed ex Actis Conſiſtorialibus liquet, quod an. MDLXXII. hanc Eccleſiam dimiſit, ac proinde ante præfatum annum ejuſdem regimen ſuſcepit; quod *Buerba* (fortaſſis utroque modo) cognominabatur; & quod priuſquam in Epiſcopum eligeretur Deo inter Canonicos Regulares S. Auguſtini ſe dicaverat.

Pag.206. col.2. in fine dele *Vivit*, ac lege. Hic Epiſcopatum geſſit octo fermè annos; e vita namque migravit 5. Idus Aprilis præſentis anni MDCCLVIII. non ſine optimi Præſulis fama.

Pag.224. col.2. lin. 22. a *Conſtantino Rege* dele, ac lege: ab Azzone, ſeu Athone Archiepiſcopo &c.

Pag.241. col.2. poſt Homodeum II. ponatur

IX. ALEARDUS.

Arborenſis Archiepiſcopus erat anno MCCLXXIII., quo, uti ex catalogo a Franciſco Maſones edito apparet, Altare quoddam in oppido *Villa Urbana* conſecravit.

Pag.247. col.2. poſt Heliam referatur

XL. LAURENTIUS I. SQUINTO.

Ex Catalogo a Franciſco Maſones in lucem emiſſo patet, Laurentium anno MCCCCXXXVII. hujus Eccleſiæ Pontificem fuiſſe.

ERRATA GRAVIORA SIC CORRIGANTUR.

Pag.1. nota 5. linea 4. lege *ballucinari* p.2. colum.1. l.19. *præferunt* p.4. n.10.l.5. *Zanetti* p.8. in n. l.1. *ut* p.18. col.2. l.1. *Capraria* p.28. c.1. l.13. *egit* p.29.c.2. l.33. *Reipublicæ* p.31. c.1. l.24. *MCXLVI.* l.35. *MCLXIV.* 34. c.1. l.12. *Goſtantine* 38. c.1. l.1. *Gallul.* 42. c.2. l.6. *parvi* 43. n.1. l.8. *Fortunatum* n.3. l.5. *ad 3.calendas Junii* 48. c.2. l.15. *Præſidem* 52. c.1. l.9. *reliqui quatuor* 54. c.2. l.10. *referat* l.13. *Conſtautinopolitano* 55. n.14. l.5. *ſexageſima nona* 67. c.1. l.4. *decimi ſeptimi* 88. c.2. l.19. *ditandos* 90. c.2. l.21. dele *quotannis* 91. c. 2. l. 26. 33. *de Baſſo* 103. c. 1. l. 31. *Feſti* 112. c.2. l.17. *Jacobi* 115. in n. l.6. *propendebam* 117. c.1. l.26. *Ampurienſi* 122. c. 1. l.25. *quæ* 162. c. 1. l. 9. *recitatæ* c.2. l.23. *S. Michaelis* 164. c.2. l.28. *Chriſti.* 165. c. 1. l. 24. *morte* c. 2. l.20. *dimiſſa* 168. c.2. l.7. *tempore* 173. c.2. l.28. VAGNIER 180. c. 1. l. 6. *ſexennio* l. 12. *aliaque* c. 2. l. 24. *duodecimi* 199. c. 1. l. 13. *munus* 200. c.1. l.33. *alumnus* 220. c.2. l.16. *Lugduni Batavorum* 221. c. 2. l. 31. *celebratæ* 232. c.1. l.2. *quas* 238. c.2. l. 1. *conveniant* 245. c. 1. l. ult. *moderandam* 251. c. 2. l. 3. FIGO 252. c. 2. l. 24. MDCCVIII. 261. c.1. l.18. *emiſſum* 266. c.2. l. ult. *Pellu* 269. c.2. l.8. MCCCXXI. 288. c. 2. l. 13. *deceptos*.

Digitized by Google

Digitized by Google